BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
G
98
NAPOLI

SACERDOS
IN VILLA.
ENCHIRIDION
THEOLOGIÆ MORALIS,
INCLUDENS RESOLUTIONES CASUUM CONSCIENTIÆ,

Qui præſertim Sacerdotibus in Villis tùm Miſſionum cauſâ, tùm ad animi oblectamentum, tùm deniq; pro animarum curâ gerendâ degentibus occurrere poſſunt.

CIRCA TRACTATUS
De Sacroſãcto Miſſæ Sacrificio, ac Mirabili Euchariſtiæ Sacramento.

AUCTORE U. J. D. ABBATE
D. FRANCISCO
MARCHESE
PANORMITANO,

S. Metropolitanæ Panormitanæ Eccleſiæ Canonico, Judice, & Examinatore Synodali.

EDITIO SECUNDA,
Ab eodem Auctore recognita, & additionibus Aucta.

PANORMI, Typis CORTESE MDCCVI.
Superiorum Permiſſu.

ILLUSTRISSIMO, ET REVER. DOM.

D. FERDINANDO DE BAZAN

Jam

Compoſtellanæ, Hiſpalenſiſque Eccleſiæ Canonico, ejuſque Judici,

Inde

Cordubenſis, Supremæque Inquiſitionis Fidei Quæſitori:

Nunc

Panormitano Archiepiſcopo;

Qui

Ex Heroibus Sanctæ Crucis exorſus,

In Terris ingenuâ eminet Nobilitate;

Palladiis artibus ſtrenuè vacans,

Litterario Orbi ſplendorem congeminat;

Eccleſiaſticæ Militiæ aſcriptus, Pietatis leges cæteris ſuo præ-

a 2 *ſcrip-*

ſcripſit exemplo:
Ex quo
Fides præſidium, Pupilli ſubſidia, Ægri noſocomia, Ægeni ſuppetias
In Hæreticorum, ac Recutitorum perfidiam, in Anguſtias, in Languores, in Amaritudines, compararunt:
Cujus Proavi
Fortitudine, Prudentiâ
In Bello, in Pace
Præcelluerunt, Emicuerunt.
Ipſemet
Nemini ſecundus,
Archipræſulis eminens Tiarâ,
Orco exitium, Cœlo frugem,
Chriſti oves Cachodæmoni ſollicitus eripiendo,
Animarum profectum operoſius quæritando
indixit.
Huic ergo Sacro Præſuli,
Pa-

Paſtori Pervigili
Enchiridion hoc
Mole parvum, Doctrinâ exiguum,
In cunctis exile.
Franciſcus Marcheſe
Obſequentiſſimus ſervus
Humillimus Capellanus
Devotiſſimus Cliens
D. C. O.

anno qVo præfatVs præsVL benIgnItate CLarVs, zeLo æſtVans, CharItate ferVens, In panorMItana eCCLesIa, atqVe orbI totI fVLgebat.

AD LECTOREM
AUCTOR.

POSTQUAM Medicorum imperium causâ mutandi cœlum ad valetudinem recuperandam in Humaniſſimi Viri Villa me fixiſſet, ibiq; hilariter agens, perpenderim, Sacerdotes Villaticos non levibus, nec perpaucis angi difficultatibus circa ſuum miniſterium, quas non rarò Prudentum conſilio, & librorum copiâ deſtituti nec ſecurè, nec ritè enodare valent; ad hoc Enchiridion elucubrandum animus collimavit; quod reſolvens quæſtiones, quæ Sacerdotibus in Villis obviam ire ſolent, ipſiſmet levamen afferre poſſet: hoc propoſui, & quoad potui perfeci; mihiq; ſuadeo aliquam allaturum utilitatẽ, ſaltem dum *nullus liber*, ait Plin. ep. ad Marcum, *ſit tam malus, qui ex aliqua ſui parte prodeſſe non poſſet*. Doctrinas, quas profero, undique tutas judico, niſi aliter indicaverim:

& ſi

& ſi aliquando eas fuerim aſſequutus, quæ ſtante Eccleſiarum paupertate, vel anguſtiis Villarum plauſibiles eſſe poſſunt, non ſine tamen unius, aut alterius Doctoris calculo, vel Prudentum ſuffragio, aut tandē rationis pondere ad id deveni: proinde ab illis, quæ a recto deviant tramite, vel abſtinui, vel cum cenſurâ, qua a Doctoribus inuruntur, retuli. Methodum facilem arripui. phraſim planam, & ſermonem clarum, quantum brevitas, cui unicè ſtudui, ſubſtinuit. In unaquaque reſponſione plerùmque pugnantes refero ſententias unius tantum, vel alterius Doctoris (niſi aliud materia expoſcat) auctoritate munitas, ut reſolutio, quæ inter Auctores pace fruatur, comprehendi poſſit; & nè opus contra inſtitutum excreſcat. Quod ſi in citationibus aliquod mēdoſum inveniatur, id vel ex varietate editionum, vel lapſu calami, aut typographi proveniſſe ſcias; niſi mavis dicere, me in aſſequendo Doctorum ſenſu, quod humanitatis eſt proprium, meæq; imbecillitati familiare, erraſſe: id tamen teſtor, me

non paucos ſupra ducentos Doctores, quos in hoc opuſculo cito, percurriſſe, præter alios, quos evolvere opus fuit. Nomen SACERDOS IN VILLA opuſculum hoc ſibi jure vendicavit, dum quæſtiones ad Villaticos Sacerdotes, vel immediatè ſpectant, vel mediatè, quatenus ipſas ſcire expedit, ut in confeſſionibus in Villis excipiendis, conſiliiſve præbendis, fidelibus, ipſiſquemet eſſe ſolamen poſſint. Excipe ergò mi Lector grato animo, quicquid boni in hoc Enchiridio invenies; quid vero mali, rejice, meæque aſcribas tenuitati, ob quam ne dum Sanctæ Matris Eccleſiæ, ſed, & tuis correctionibus ſubjacebo. Vale, & pro me Deum roga.

IN-

INDEX
AUCTORUM
Qui citantur in hoc Enchiridio.

A.

ABbas Panormitanus. Cardin.
Ægidius Coninck.
Ægidius Trullench.
Albertus Caſtellano.
Alexander ab Alexandro.
Aloyſius Marino.
Alphonſus Caſarubio.
Andreas Mendo.
Andreas Sauſſay.
Angelus a Lantuſca.
Angelus Maria Verricelli.
Anellus Perſicus.
Anſelmus Solerius.
Antoninus Diana.
Antonius Cotonio.
Antonius Eſcobar.
Antonius Fernandez.
Antonius Naldo.
Antonius Quintanadveñas.
Antonius Ragucio.
Antonius Volpe,
Aſcanius Tamburino.
D. Auguſtinus.

Auguſtinus Barboſa.
Auguſtinus a Virgine Maria.

B.

Bartholomæus ab Angelo.
Bartholomæus Caranza.
Bartholomæus Corſetto.
Bartholomæus a S. Fauſto.
Benedictus Biſſo.
Benedictus Pereyra.
Benedictus Remigius.
Bonaventura Bellutus.

C.

Cæremoniale Epiſcoporum.
Cæſar Baronius Cardin.
Cæſar Panimollis.
Carolus Caruſo.
Carolus Malletus.
Caſſianus a S. Elia.
Chriſtophorus Delgadillo.
Cornelius a Lapide.

D.

Didacus Nugnus.
Dominicus Macri.
Dominicus Soto.

E.

ELigius Baſſæus.
Emanuel Gonzales.
Emanuel Sà.
Euſtachius à S. Ubaldo.

F.

FElix a Panormo.
Ferdinandus Caſtropalao.
Franciſcus Bardi.
Franciſcus Bordono.
Franciſcus Ceccoperio.
Franciſcus de Lugo.
Franciſcus de Perea.
Franciſcus Londres.
Franciſcus Maria Maggio.
Franciſcus Merolla.
Franciſcus Pellizarius.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Sylvius.
Franciſcus Toletus Card.
Franciſcus Verde.

G.

GAbriel a S. Vincentio.
Gabriel Heneo.
Gabriel Vaſquez.
Gaſpar Ensl.
Georgius Gobat.

Georgius Metzleri.
Geſualdus à Panormo.

H.

Hadrianus Lyræus.
Henricus Henriquez.
Henricus Villalobos.
Hermannus Buſembaum.
Hjeronymus Nicolio.
Hjeronymus Sorbo.
Hjeronymus Trimarchi.
Hjeronymus Venero.
Hjeronymus Vitale.
Hippolytus Tonellius.
Homobonus de Bonis.

I.

Jacobus Graſſius.
Jacobus Marchantius.
Jacobus Pignatellus.
Jo: Adamus Weber.
Jo: Alberghinus.
Jo: Azor.
Jo: Bapt. Bernardinus Poſſevino,
Jo: Bapt. Corrado.
Jo: Bapt. de Bertis.
Jo: Bapt. de Luca Card.
Jo: Bapt. Lezana.

Jo:

Jo: Bapt. Pacichelli.
Jo: Bapt. Scortia.
Jo: Bapt. Ventriglia.
Jo: Bonifacius Bagatta.
Jo: Caramuel.
D. Jo: Chryſoſtomus.
Jo: de Bona Card.
Jo: de Lugo Card.
Jo: Dicaſtillo.
Jo: Duns Scotus.
Jo: Gerardus Voſsius.
Jo: Luca Fenech.
Jo: Maria Caſtilento.
Jo: Maria Turrino.
Jo: Major.
Jo: Petrus Maffejus.
Jo: Scobar.
Jo: Stephanus Menochio.
Jo: Tabiena.
Joſeph Gibalino.
Joſeph Marchiſi.
Joſeph Maria Maraviglia.
Joſeph Maria Requeſens.
Julius Lavorius.

L.

Laurentius Beyerlinch.
Laurentius Peyrinus.
Laurentius Portello.

Luca

Luca Caſtellinus.
Ludovicus Beja.
Ludovicus Engel.
Ludovicus Miranda.
Ludovicus Scildere.
Ludovicus a S. Raymundo.

M.

Marcellus Megalius.
Marcellus Vulpe.
Marcus Serra.
Marcus Vidal.
Marius Italia.
Martinus Bonacina.
Matthiolus.
Melchior Zambrano.
Michael Ferro.

N.

Nicolaus Garſia.
Nicolaus à S. Jo: Baptiſta.
Nicolaus Trigagutius.

P.

Paulus Comitolus.
Paulus Franciſcus de Nigro.
Paulus Fraxinellus.
Paulus Layman.
Paulus Maria Quarti.

AUCTORUM.

Paulus Squillante.
Pax Jordanus.
Petrus a S. Joſeph.
Petrus Binsfeldius.
Petrus Corſetti.
Philibertus Marchino.
Polydorus Virgilius.
Pompejus Sarnelli.
Proſper Fagnanus.

R.

Raphael Averſa.
Raphael de la Torre.
Richardus Arſdekin.
Robertus Bellarmino Card.
Rocchus Pirri.
Rota coram Merlino.

S.

Samuel Lublino.
Sebaſtianus Acoſta.
Sebaſtianus Medices.
Silveſter a Prierate.
Stephanus Fagundez.
Synodus Hiſpalenſis.
Synodus Mediolanenſis.
Synodus Panormitana.

Theo-

T.

Theophylus Raynaudus.
D. Thomas Aquinas.
Tho: Dempſterus.
Tho: de Vio Card. Cajetanus.
Tho: Hurtado.
Tho: Tamburino.
Tobias Lobner.

V.

Valerius Reginaldus.
Vincentius Filliucjus.
Vincentius Tancredi.

Z.

Zaccharias Paſqualigo.

INDEX TITULORUM

CAPUT I.

De Sacrificio Miſſæ. *fol.* 3.

SECTIO I. *DE Ornatu Altaris.* 4.
Subſectio 1. *De Cruce.* *ibid.*
Subſectio 2. *De Mappis.* 13.
Subſectio 3. *De Altari.* 20.
Subſectio 4. *De Lumine.* 55.
Subſectio 5. *De Pallio.* 75.
SECT. II. *De Ornatu Sacerdotis.* 78.
Subſectio 1. *De Sacris paramentis in genere.* 79.
Reſolvuntur nonnulla circa prædicta. 105.
Subſectio 2. *De Sacris paramentis in ſpecie.* 109.
Subſectio 3. *De Colore Paramentorum.* 120.
SECT. III. *De Cæteris ad ſacrificandum requiſitis, & in ſacrificio attendendis.* 133.
Subſectio 1. *De Calice, Patena, horumq; ornatu.* 134.
Subſectio 2. *De Corporali.* 170.

Sub-

Subſectio 3. De Miniſtro. 182.
Subſectio 4. De Miſſali. 205.
Subſectio 5. De Hora celebrandi. 224.
Subſectio 6. De Reverentia Sacrificio præſtanda. 251.
SECT. IV. *De Capellano in Villa celebrante.* 266.
Subſectio Unica. Varia ad Capellanũ in Villa attinentia. 267.
SECT. V. *De Prudentia Sacerdotis in Villa circa aliquos eventus.* 293.
Subſectio 1. De Prudentia Sacerdotis in Villa in ſacrificio ſupplendo. 294.
Subſectio 2. De Prudentia Sacerdotis in Villa circa Sacrificiũ repetendum. 309
Subſectio 3. De Prudentia Sacerdotis in Villa, quo ad varia ad Sacrificium attinentia. 330.

CA-

CAPUT II.

De Sacramento Euchariſtiæ. 437.

SECTIO I. DE *Jejunio Naturali.* 438.

SECT. II. *De Materia Sacramenti Euchariſtiæ.* 463.

Subſectio 1. De Materia remota Corporis. 464.

Subſectio 2. De Materia remota Sanguinis. 488.

Reſolvuntur varia circa materiam remotam utriuſque ſpeciei. 500.

SECT. III. *De hujus Sacramenti Adminiſtratione.* 512.

FINIS.

SACERDOS IN VILLA,

ENCHIRIDION THEOLOGIÆ MORALIS

Don Franciſci Marcheſe.

PROOEMIUM.

CONSCIENTIÆ caſus, qui fidelibus in Villis, potiſſimumq; Sacerdotibus occurrere poſſunt, explana-

turus, ab illis ordior, qui ad novæ Legis Sacrificium, ritè offerendum attinent, in quod dubia, quæ in illis emergere ſolent, frequentiùs tendunt.

Quoniam autem Chriſtus Dominus Sacrificii non ſolùm principalis eſt offerens, verùm etiam victima; congruit, ut de Euchariſtiæ Sacramento, Sacrificii incruenti Victimâ, agatur; ideo hoc opuſculum, in duo diviſum capita, PRIMÒ de Sacrificio Miſſæ, & SECUNDÒ De Euchariſtiæ Sacramento tractabit. Invocato ergo Sanctiſſimæ Triadis nomine, cui laus, honor, & gloria, ac Illibatæ Conceptionis in primo inſtāti ope, erit

CAPVT I.

De Sacrificio Miſſæ.

1 SAcroſanctum atq; vnicum nouæ legis Sacrificium, de quo primò tractãdum curauimus, non ſecundùm ſuam latitudinem, ſed iuxta limites noſtri inſtituti, variarum materiarum diſcuſſionem ad ſe reuocat, tum ſcilicet illarum, quæ ad altare, eiuſq. ornatum, tum earum, quæ ad Presbyterum, eiuſq: miniſterium attinent: quoniam autem Altare aram Crucis, ſuper qúa ſacrificium cruentum fuit oblatum, ſignificat; ideo primò hìc de Altari, eiuſq: apparatu diſſerendum, vbi de Sacrificio incruento tractabimus. 2. agemus de ornatu Sacerdotis. 3. de cæteris ad ſacrificium requiſitis. 4. de Cappellano in villa celebrante, & tandem 5. de Prudentia Sacerdotis in villa circa aliquos euentus ſermo erit. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

De Ornatu Altaris.

2 PRæcipua Altaris ornamenta æquè, ac neceſſaria ſunt Crux, Mappæ, Ara, Lumen, & Pallium, quorum dignius Crux eſt, quæ dum Chriſtum figurat, cæteris longè præcellit. De quinque his ornamentis ſingillatim per totidem ſubſectiones tractabimus, & quia à dignioribus eſt inchoandum *l. 1. & 2. ff. de albo ſcrib.* hinc de Cruce prior tractatio ſubnectitur. Vnde ſit

SVBSECTIO I.

De Cruce.

3 IN medio altaris, vbi ſacrificium offerendum eſt, Crux collocari debet ex præſcripto Rubricæ *par. 1. tit. 20.* & vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine. Quamuis au-

autem certent Doctores in determinando, quale ſit peccatum, ſecluſo contemptu, & ſcandalo ſine Cruce celebrare, ſubſtinente Delgadillo *de Euchar. myſter. cap.* 16. *n.* 86. *&* 87. id neque eſſe veniale, etiam nulla vrgente neceſſitate; è contra tamen aſſerente Pacio Iordano *tom.* 1. *lucubrat. lib.* 4. *tit.* 1. *n.*235. eſſe mortale: Ego mediæ ſententiæ adhæreo, quæ docet eſse veniale, licèt commodè Crux haberi poſſit. Et hæc ſententia teſte eodem Delgadillo communiſſima eſt, quamque vtì communiorem, & veram ſectatur Tonellius *in Sacro Enchir. lib.* 1. *cap.*2. §. 6. *num.* 1. & tuentur Suarez, Vaſquez, Lugo, Gauantus, Diana, & alij huius farinæ DD. apud, & cum Leandro *de Sacram. tom.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 7. *quæſt.* 23.

4 Nec vrgent rationes Delgadilli: ſupponit enim, nullum Ius Crucem exigere, nec conſuetudinem obligare, dum non probatur, ait, fuiſſe animo obligandi introductam. Non vrget inquam: nam

prima eſt falſa; Ius enim Crucem exigens eſt Rubrica præcitata, quæ ex Bulla Pij V. vi præceptiua, quà cæteræ, gaudet: omnes enim rubricæ ſunt præceptiuæ, quamuis non æquè; cum aliæ ſub graui, aliæ ſub leui, iuxta materiam, circa quam feruntur, obligent, vt ex Caramuele, & Filliucio, verius ſanè, heu quondam Amicus Cotonius *in controu. celebr. lib. 2. contr.* 5. *n.* 82. docet.

5. Nec ſecunda ratio ſubſiſtit: quoniam animus ſe obligandi, vi cuius conſuetudo introducta vigorem obtinuit, facilè conijcitur, ſi regulæ eum arguentes præ oculis habeantur: ſtatuunt enim Doctores, quod ſi conſuetudo ſit de re graui, & communiter ſeruetur. 2. Si viri timorati de tranſgreſſoribus malè ſentiant, populuſq; ſcandalum patiatur. 3. Si Prælati contumaces puniant. Et 4. quod res introducta conferat Reipublicę: tunc animus prædictus conijcitur; ſiue prædicta omnia concurrant, ſiue ex ijs alterum ex doctrina Cotonij

lib.

lib. 1. *contr.* 2. *n.* 15. hinc fit; quod cum neceſſitatem Crucis ſuadeat non ſolum altera ex enumeratis regulis, ſed omnes, vt conſideranti patet, de efficacia conſuetudinis debito animo vallatæ non poterit dubitari.

6 Ad excludendum verò mortale, quod Iordanus in omiſſione culpabili Crucis agnoſcit, ſufficit meo iudicio communis ſententia leuem reputans Rubricam citatam. Scio nonnullos grauitatem Rubricæ aſtruere ex ſingulari miraculo, quod in arce Carabazæ coram Kazizio Maurorum Rege contigit: ſed his ſatisfacit Mendo *in append. ad epitom ſub tit. de Immunitate n.* 7. *&* 8. ad quem lectorem remitto, ne illum euentum examinando, aſſumptæ breuitati officiam.

7 Diſcrepant item Doctores in determinando, quando Crux in altari collocari debeat, dum Corſettus *in praxi ſacr. rit. tr.* 2. *par.* 1. *ſect.* 1. *n.* 103. Ceccoperius *in lucubr. can. lib.* 3. *n.* 26. & alij Crucem ſuper altare collocandam eſſe fir-

mant, etiam quando Icon altaris eſt ipſamet Chriſti Crucifixi Imago: (quod negant alij cum Diana *par.* 10. *tr.* 15. *reſol.* 28.) & etiam in altari vbi ſeruatur Euchariſtia, ſiue hæc ſit expoſita ſiue non. Ita Paſqualigus *de Sacrificio nouæ legis qu.* 715. *n.* 3. à qua doctrina, quatenus exigit Crucem vbi Sacramentum eſt expoſitum, diſsentit Tamburinus *in opuſc. ſacrif. miſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. *n.* 1. equidem authoritas relatorum Doctorum cuilibet ſententiæ ſuam probabilitatem refundit.

8 Tandem diſsentiunt Auctores dum aliqui exigunt in Cruce Imaginem Crucifixi, ſequuti Gauantum *in rubr. miſ. par.* 1. *tit.* 20. *littera v.* §. *Crux certe.* Alij nuda Cruce contentantur, vt Paſqualigus *cit. quæſ.* 714. *n.* 1. ex Quarto. Priori ſententiæ fauent Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. & particulares aliquarum diœceſum conſtitutiones; poſteriori verò tum Rubrica ſupra citata, quæ de imagine nil innuit, tum miraculum Carabazæ, vbi Crux è Cœlo dela-

pſa

pſa pro Sacerdote celebrante non, erat Imagine Crucifixi inſignita, teſte Tobia *Lohner de SS. Miſsæ ſacrif. par.1.tit.3.* §.1. *n. V.* in qua diſsentione adhæreo ſententiæ requirenti in Cruce Imaginem Crucifixi, non ſolùm quia in noſtra Panormitana diœceſi synodales cõſtitutiones *par.3.cap.1.n.* 3. nouiſſimè ſub Illuſtriſſimo D. Iacobo de Palafox editæ id imperent; ſed quia Ceremoniale Epiſcoporum, veluti Rubricæ declaratiuum, id edicit, quod legis vim habere tamquam deciſorium meritò ait Panimollis *in elegantiſſimis deciſ. fori eccleſiaſt. deciſ.* 1. *annot.* 3. *n.* 4. & ex Bullis Clem. VIII. & Innocentij X. liquet. His igitur generaliter quo ad Crucem præhabitis ad difficultates particulares, quæ ad propoſitum noſtrum faciunt, deſcendimus, quaſq; per quæſtiones ſequentes enucleabimus.

9 Quæſtio I. Sacerdos in villa celebraturus, ſi Cruce careat, an poſsit ſine ea celebrare? Reſp. ſi vrget celebrandi rationabilis ne-

ceſſitas non dubito, quod poterit; nec illa debet eſse grauis; dũ, ſicut dictum eſt, ſub leui præcipiatur. Vt autem ſciatur, quęnam dici poſſit rationabilis neceſſitas, ſit.

10 Quæſtio II. Quænam exiſtimatur cauſa rationabilis ad licitè ſine Cruce celebrandum? Reſp. pro certò habeo, quod cauſam rationabilem præbeat obligatio audiendi ſacrum, cui, cum ſit grauis, cedit præceptum leue Crucis; & ita docet Pasqual. *de Sacrif. nouæ legis tom.* 1. *quæſ.* 717. *n.* 2. in quo potius vidi hæſitare Eccleſiaſticos, quam Scriptores. Rurſum ob eamdẽ rationem dicetur cauſa rationabilis obligatio grauis celebrandi. An autem ſufficiat cauſa, ex qua Sacerdos leuiter ad celebrandum impellatur? Affirmat Idem Paſqual. *n.* 2. *&* 3. qui putat, nunquam omittendam celebrationem ob Crucis defectum, ductus hoc motiuo, quod non eſt veriſimile Eccleſiam ita optare ornamentum Crucis in altari, vt huic poſtponat ſupremum cultum, qui

Deo

Deo per oblationem ſacrificij exhibetur.

11 Simili motiuo ducitur Niger ad docendum, quod ipſamet miſsę celebratio ſit cauſa ſufficiens ad celebrandum licitè ſine Cruce, ne ſcilicet Eccleſia tanto ſacrificio, tantaq. vtilitate priuetur. Ita docet *in addit. ad Ruiz in ordine miſſæ par.* 1. *præſuppoſ.* 3. *n.* 9.

12 Quæſtio III. ſufficiet ergo ad celebrandum ſine Cruce ſimplex deuotio, quam habet Sacerdos celebrandi? Reſp. Affirmat Gobat *in exper. Theol. tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 3. *n.* 296. hìc autem vnum non deſinam aduertere, quod prædicti euentus mihi videntur potius excogitati metaphyſicè, quam moraliter, in praxi enim non facilè occurrent, cum ſemper, ſi deficiet Crux in altari, hæc formari poſſit ex ligno, virgis, arundine &c. vel ſaltem poſſit depingi in tabernaculo, aut pariete, quod ſufficere ad leuandum ſcrupulum putat Mendo *in append. ad epitomen ſub tit. de Immunitate n.* 6. id quod ego

facerem carbone, atramento, ſucco herbarum, aut alio colore, qui ex anguſtijs locorum præſtò eſset.

13 Rogabis quando celebratur ſine Cruce, an debeant omitti inclinationes verſus Crucem fieri ſolitæ iuxta præſcriptum rubricarum? Reſp. ex Doctoribus, quos vidi nullus de hoc tractat. Sed pro certo habeo inclinationes eſse omnino faciendas, dum has principaliter intendit Rubrica, minus verò principaliter intendit modum, quod ſcilicet fiant verſus Crucem, aut librum. An autem tunc fieri debeant verſus medium altaris, vbi collocaretur Crux; affirmatiuè mihi reſponderunt nonnulli docti Rubriciſtæ à me ſuper hoc conſulti.

SVB-

SVBSECTIO II.

De Mappis.

14 MAppis, ſeu tobaleis altare ornari debere ex Rubrica *par.* 1.*tit.*20.*n.*1. conſtat, idq; etiam Doctores deſumunt ex *cap. altaris* 38. *de conſecr. diſt.* 1. *&* 26. *q.*5. *cap. quicumque* 13. quarum auctor fuit Bonifacius III. teſtibus Polydoro Virgilio *de rer. inuent. lib.* 5. *cap.*6.*poſt medium*, & Macro *in hierolex. v. Mappa*. Requiritur autem, quod ſint tres; tum ex *cap. ſi per negligentiam de conſecr. diſt.*2. tum ex Rubrica *præcitata*, & rurſus quod ſint benedictæ ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatē, vt loquitur eadem Rubrica. Hinc miror graues Doctores cum Suario *tom.* 3. *in* 3. *partem diſp.*81.*ſect.* 6. *dicto* 1. non agnouiſse neceſſitatem benedictionis, quæ clariſſimè ſaltem ex Rubrica dignoſcitur; & tandem ex communi requiritur, quod ſint ex linteo lineo, non la-

neo,

neo, aut ſerico; repræſentant enim linteamina, quibus Chriſti corpus fuit inuolutum.

15 Obligatio, ſub qua præcipiuntur, grauis eſt; vnde ſine mortali abſq; mappis (quidquid ſit de caſibus neceſſitatis, de quibus infra) celebrari non poteſt Leander *de ſacr. tract.* 8. *diſp.* 7. *quæſ.* 15. quãuis præſcriptus numerus, & benedictio leui præcepto ſubiaceant, ſecluſo tamen contemptu, Paſqual. *q.* 709. *n.* 4. *&* *q.* 712. *n.* 7. his de mappis generaliter prælibatis ad propoſitum noſtrum nõnullas reſoluo quæſtiones.

16 Quæſtio I. Sacerdoti in villa ſi deficiant mappæ pro ornando altari, an poſſit ſine illis celebrare? Reſp. minimè: ſed debet à ſacrificio abſtineri, iam enim diximus, quod ſub mortali requiruntur; niſi concurrat neceſſitas; pro qua ſit.

17 Quæſtio II. An ſaltem poſſit ſine mappis celebrare, quando neceſsitas celebrandi vrget? Reſp. Ita planè, ſi ſit grauis: ſic enim iure præcepti grauitas retunditur.

Gra-

Grauis autem reputatur ea neceſſitas, quæ reſultat ex Iure diuino, vi cuius tenemur miniſtrare viaticum, vel ex Iure naturali; quo ſtante debemus aliquoties ſacrificium offerre. Paſqualigus *de ſacrif. q.* 712.*n*.4. de Iure naturali prædicto dicemus *infra ſubſect.*3.*quæſt.*3.

18 Quæſtio III. Poteſt ne prædictus Sacerdos celebrare cum vnica mappa, ſi reliquas non habet? & quando? Reſp. affirmatiuè quando tamen concurrit neceſsitas celebrandi; neceſsitas autem hæc non debet eſſe grauis, quia numerus mapparum ſub veniali ſolum præſcribitur, vt *num.*15.innuimus: hinc ſufficere feruorem deuotionis celebrandi, amiſsionem eleemoſynæ etiam reſpectu Sacerdotis diuitis, & à fortiori obligationem audiendi ſacrum die feſtiuo (vel ex voto) docet Paſqual.*dicta quæſt.* 712.*n*.7.*&* 9. vnde patet, quod celebrare miſsam cum vnica mappa, ſecluſo contemptu, veniale non excedit Diana *par.* 10.*tr.*11.*reſol.* 5.*in fine*. Vltra quod, ſi mappa ſit lon-

longior, poteſt inſeruire pro tribus, ſi ter implicetur ſaltem quo ad illam partem altaris, in qua eſt repoſitus lapis conſecratus. Paſqu. *cit. q. 707. n. 6.*

19 Quæſtio IV. Sacerdos in villa quid faciet ſi careat mappis benedictis, & celebrare vellet? Reſp. vti poterit non benedictis, nec in harum vſu optarem rationabiliorem cauſam ſupra eas, quæ celebrationem cum vnica mappa cohoneſtant, de quibus quæſtione præcedenti diximus.

20 Quæſtio V. Sacerdos prædictus ſi neque habeat mappas non benedictas an poſsit adhibere tobaleas vſui prophano deſtinatas? Reſp. Tonellius *in ſacro Enchiridio lib.1.cap.2. §.5. n.7.* affirmat licere prophanarum tobalearum vſum, exigens ad hanc aliquam cauſam, quam tamen non explicat; explicat vero Paſqualigus *q.710.n.3.* dicens: id licere die ſolemnitatis ad prætioſiùs ornandum altare, vt ſi mappæ Eccleſiæ eſsent laceræ, &c. hinc ſi ornamentum externum al-

ta-

taris prophanarum tobalearum vſum admittit, cur illum non cohoneſtabit vtilitas ſacrificij pro Sacerdote reſultans. Ad quæſtionem ergo reſpondeo affirmatiuè.

21 Rogabis. Tobaleæ prædictæ poſtquam inſeruierunt ſacrificio, an poſsint prophanis vſibus, ad quas prius erant deſtinatæ, reſtitui? Reſp. Affirmant relati Doctores Tonellius, & Paſqualigus *n.* 3. non enim eſt cur id prohiberi poſsit; quamuis ex maxima decentia illas fore concedendas Eccleſiæ cenſet Pacius Iordanus *tom.* 1. *lucubr.lib.*4.*tit.*1.*n.*226.

22 Quæſtio VI. Poteſt ne etiã Sacerdos in prædicta neceſsitate tobaleis prophanis vti, ſi hæ ſint aliquo colore tinctæ, cuiuſmodi eſse ſolent illæ, quibus altaria expletis celebrationibus cooperiuntur ad conſeruandam mapparum munditiem, quas telas ſtragulas appellant? Reſp. Negat Bertis *de ſacrif.miſ.quæſt.*3.*n.*64. quia, inquit, mappæ carnem, ſiue humanitatem Saluatoris deſignant, quæ multo

la-

labore candidantur; ſicut Chriſti caro ex terra, id eſt ex Maria orta per multas tribulationes ad reſurrectionem, & candorem, & lætitiam immortalitatis peruenit.

23 Quæſtio VII. Suppoſito ex communi Doctorum (nam Rubrica nil præſcribit) quod mappæ debent eſſe lineæ non laneæ, aut ſericæ; quæritur quid faciet Sacerdos in villa ſi mappas habeat tantum ex canape, vel goſſypio, quas dicimus vernaculâ linguâ *di Cannauo, o di Cottone*? Reſp. affirmat de vtraque telæ ſpecie Tambur. *in opuſc. de ſacrif. miſ. lib.*1. *cap.*5. §. 3. *n.*4. & quo ad canapeas ſupponit vt certum Sapientiſſimus Maggius *de ſacr. cærem. præſertim circa ſalut. Angel. & opuſc.* 2. *diſquiſ. vlt. n.*8. verſu *mappæ altaris fol.* 224. ratio eſt quia canapis, & goſſypium ſunt lini ſpecies, id quod Paſqualigus *q.*708. *& alij* ex Plinio vt conſtans ſupponunt; mihi vero non placet hæc ratio, nam nec Dioſcorides, nec Galenus goſſypium inter lini ſpecies recludit teſte Mattiolo *in*

2.*lib.*

2. *lib. Dioſcoridis cap.*94. vbi de canape nulla ſit mentio, quæ certè fieret ſi lini eſset ſpecies, de qua tamen Dioſcorides ratiocinatur *lib.*3. *cap.* 159. *&* 160. tamquam planta prorſus aliena à ſpecie lini. Sentio ergo cum Tamburino *cit.* prædicta differre à lino ſpecie phyſica, non tamen morali, ſecundum ſcilicet acceptionem, & vſum hominum; quod ſufficit, vt mappæ ex canape, vel goſsypio factæ ſint aptæ pro ornando altari.

Et hinc patet quid dicendum ſit de Byſso? firmandum ſcilicet eſse materiam aptam pro mappis: ſiue enim ſit genus lini, ſiue lanugo arboris, videlicet goſsypium iuxta varia Auctorum placita quæ habes apud Cornelium à Lapide, (primam opinionem defendetem) *in Geneſim cap.*25.*verſu* 4. ſtat, quod ſit ſpecies ſaltem moralis lini. Noſtra ſanè in Sicilia linteum byſſinū vocamus, quod eſt lineum, candidiſſimum, & ſubtiliſſimum. Hodie tamen inſulſa eſt præſens quæſtio ſi fidem damus Guidoni Pancirollo

rollo *de reb.deperd.tit.de Byſſo*)cum byſsus amplius non inueniatur.

SVBSECTIO III.

De Altari.

24 Altare, in quo Amantiſſimus Redemptor ſui ipſius cruentum ſacrificium ad humani generis ſordes expiandas Æterno Patri obtulit, Crux fuit, in qua confixus pependit: vbi verò Eccleſia incruentum litatur, tabula eſt lapidea conſecrata. Debet equidem tabula eſse conſecrata ex Concilij Agathenſis decreto *relato in can. altaria* 32. *de conſecr. diſt.* 1. & lapidea ex Concilio Epaunenſi *relato in can. altaria* 31. *de conſecr. diſt.* 1. & meritò: nam altare inter alia, vt innuit Scortia *de Sacrif.Miſ. lib.*2. *cap.*14. *n.*2. ſignificat ipſummet Chriſtum de quo 1.*ad Corinth.* 10. dicitur: *Petra autem erat Chriſtus*: ob quam ſignificationem fit, quod altare debeat in eminentiori

Ec-

Eccleſiæ loco erigi. Beda, Rupertus, & alij apud Macrum *in hierolex. v. altare circa initium*. Et hinc deducitur ethymologia verbi *Altare* quaſi *Alta ara*, quæ tamen Gerardo Io:Voſsio *in ethymolog. v. altare* non placet.

25 Debet ergo altare ex lapide conſtrui, idq: de Iure eccleſiaſtico, vt ex ſupradictis patet: quicquid ſit de S.Luciano, qui pridie, quã martyrio coronaretur, pro altari lapideo, cuius defectum patiebatur, proprio vſus eſt pectore, ſuper quo conſecrauit: & de Theodoreto EpiſcopoCyri, qui in ijſdem anguſtijs, vt deſiderio cuiuſdam S.Anachoretæ ſatisfeciſset, ſupra Diaconorum manus ſacrum perfecit: non enim eſt hic locus ad trutinam vocandi horum Patrum geſta relata per Macrum *ſupracitatum circa finem*.

26 Conſecratio autem fieri debet per Epiſcopum loci ordinariũ, vel per alienum de illius venia, vel tandem per Abbates priuilegiatos, quorum facultas eſt reſtringenda

genda ad vſum ſuarum Eccleſiarũ, & in locis ſubiectis ex decreto nouiſsimo Sacræ Rit. Congregationis 27. *Septembris* 1659. §. *IX.* apud Nicolium *in lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 33. *n.* 17. niſi aliter priuilegia, quibus potiuntur, indicent; circa quod vide nouiſsimè Londres *in magno theatro hum. conſc. v. Abbas tit.* 8. *q:* 4. *& tit.* 14. *à n.* 201. & Doctiſsimum Pignatellum *tomo* 3. *conſult.* 68. vbi firmat Abbates Caſsinenſes nec vigore Iuris Communis, neque conſuetudinis, aut præſcriptionis, nec priuilegij poſſe benedicere, ac conſecrare altaria, fixa, & portalia quarũcunq: perſonarum, & eccleſiarum, quæ ſuæ Religionis non ſunt; idemque firmat de conſecratione campanarum, vaſorum, ac veſtium.

27 Adnotare tamen non omitto claritatis gratià, quod altare duplicis eſt generis, aliud ſtabile, ſeu fixum, aliud amouibile, quod ara portatilis, altare paruum, vel viaticum denominatur: vtrumq; genus nobis innoteſcit paſſim ex Iure; de

fixo

fixo enim, & ſtabili fit mentio in *cap. ſi motum* 15. *de conſec. diſt.* 1. *cap.* 1. *cap. quod in dubijs* 3. *& cap. ligneis* 6. *de conſecr. eccleſ.* de portatili verò, ſeu viatico liquet ex *cap. cõcedimus* 30. *de conſecr. diſt.* 1. *& ex cap. fin. de priuileg. in* 6. Hinc patet, quod altaris nomine ſecũdùm propriam ſignificationem non venit ſtructura, vel lapidea, vel lignea ſuper terram erecta ad miſſas celebrãdas deſtinata, ſicuti ſentit vulgus, ſed venit eadem ſtructura, vel fixa conſecrata, vel altari portatili cõſecrato ornata.

28 Rurſus nec adnotare prætermitto, quod neceſſitas altaris cõſecrati pro ſacrificijs offerẽdis grauis ſit. Megalius *in promptuario Theol.* v. *altare nu.* 10. vbi ex Suario teſtatur, ità docere omnes Doctores; vnde ſine altari celebrare abſq; diſpenſatione Summi Põtificis, mortale eſt facinus. Megalius *cit.* idq; Jure Eccleſiaſtico, radicato tamen in naturali dictamine, vt oſtendit Paſqualigus *de ſacrif. nouæ legis q.* 699. *n.* 3. proinde

de in quacũq; lege, & in vnaquaq; religione ſemper altaria fuerunt neceſſaria, vt obſeruat Delgadillus *de Euch. myſt. cap.* 16. *n.* 57. Et hæc mihi videtur ſufficienter eſſe inſinuata quoad aptitudinẽ, & neceſſitatẽ altaris in genere, attẽtâ breuitate, quã in hac lucubratiuncula vndiq; ſectamur: reſoluendæ tamẽ ſunt in ſpecie aliquæ quæſtiones, quas noſtri inſtituti ratio ad ſe reuocat, quarum ſit

29 Quæſtio I. Sacerdos in villa, vbi deeſt altare conſecratum, poteſt nè ſine illo celebrare? Reſp. Non eſt dubiũ, quod non poterit nullâ vrgẽte grauiſſimâ cauſâ, ſine qua grauia præcepta non relaxãtur; quod ſi ea vrgeat, affirmatiuè reſpondetur; non enim leges poſitiuas cum noſtro graui damno ſeruare tenemur. Et ità docet Paſqual. *cit. q.* 701. *n.* 5. à quo reputatur grauis cauſa non ſolũ mortis periculum, vel mutilatio; verùm etiam amiſſio omnium fortunarũ, aut maioris partis, dejectio à ſtatu, aut quid æquipollens: ex eo quod

lex

lex de vſu altaris conſecrati non obligat in caſibus, in quibus Ius naturale dat facultatem declinandi notabilia damna, cuiuſmodi ſunt ſuperius enumerata. *Idem n.* 6. vbi aduertit & rectè hoc procedere facta ſuppoſitione; quod ſacrificium, quamuis ſine altari poſſit reuerenter offerri; nam ſi reuerentia ſeruari non poſſet, vt ſi tabula, vel locus eſsent immunda, nulla ex prædictis cauſis celebrationem ſine altari cohoneſtabit: quomodo enim irreuerentia intrinſecè mala cohoneſtabitur?

30 Quæſtio II. Damna prædicta an ſufficiant ſi in fidei contemptum immineant? Reſp. Minimè: potius enim Sacerdos tunc mortem ſubire debebit, quam ſine altari celebrare: nam celebratio ſine altari; tunc eſſet interpretatiua negatio fidei in actu exteriori Paſq. *dicta q.* 701. *n.* 2. ſubdens, quod ſi dubitatur, num in fidei contemptum id exigatur, poterit ſine altari celebrari, cum con-

trarium etiam præſumi poſſet.

31 Quæſtio III. An ſint alij caſus in quibus liceat ſine altari celebrare? Reſp. Affirmat Paſqualig. in alijs tribus caſibus. Primò in loco vbi non eſt liberum exercitium Catholicæ Religionis, propter quod non eſt facile habere copiam altaris, cuius defectus ibi poteſt durare per multum tempus. Seruari tamen tunc debet, quod ſacrificium offeratur in quocumque altari omni meliori modo, quo poſſit, erecto. Et ità docet *in dicta q. 702. per totum.*

32 Secundò in caſu quo debet celebrari, vt conficiatur Viaticum moribundo ex Iure Diuino miniſtrandum. *Sic q.* 703. *n.*8.

33 Tertiò quando ad celebrandum obligat Ius naturale. *Idem n.* 8. Ratio primi caſus eſt, quia cum leges non obligent ad impoſſibile, quod ex eo patet, Deum, quamuis ſupremum Dominum, impoſſibilia nõ præcipere ex atteſtatione Tridentini *ſeſs.6.cap.*11. impoſſibiliſq; eſſet ijs

in

in locis (vt ſupponitur pro conſtanti in hac facti contingentia) altaris vſus;ſit conſequenter,quòd lex, altare in celebrationibus exigens non obliget. Ratio ſecundi, & tertij caſus eſt, quia præcepta Viatici, & celebrandi obligante Iure naturali ſunt altioris ordinis reſpectu præcepti altaris, quod eſt Iuris poſitiui, vnde hoc illis cedere neceſſarium eſt. Et ità probat ſua aſſerta Paſqualigus *citatus*.

34 Pro quibus tamen aduerte, quòd non tranſeunt ſine contradictione; nam contrarium ſtatuit Verricelli *de apoſt. miſs. q.* 261. §. *Aduerte* ex Quarto, vbi docet, quod in nulla neceſſitate licet celebrare ſine altari lapideo conſecrato. Quid ergo ſentiam breuiter dicam. Circa ſecundum caſum, puto probabile eſse, quòd poſsit ob miniſtrandum viaticum ſine altari conſecrato celebrari,quod vltra Paſqualigum docet Hurtado *var. reſol. p.* 1. *tr.* 1. *n.*22. ratio eſt eadem, quam paulò ſupra retuli;

quamuis Verricelli id non conce-dat, ex eo quia Ius Viatici non, obliget neceſsitate medij, ſed puri præcepti, & non ſit tam rigoroſum, vt obliget etiam quando ſacrum ſine grauioribus ritibus; & ceremonijs præſcriptis ſit offerendum: quæ ratio; mihi non videtur efficax: ſemper enim præſtantia diuini pręcepti de ſumendo Viatico præponderat ritibus eccleſiaſticis ex poſitiua; & humana lege deriuatis. Circa verò tertium caſum facile, & tutum reputo adhærere Paſqualigo, ſimiliter circa primùm quatenus tamen cum tertiò conueniat.

35 Pro quibus aſsertis circa tertium, & primum caſum roborandis ſuppono, de Iure naturali adeſse obligationem offerendi ſacrificium: nam poſito naturali dictamine de colendo Deo per cultum ei conuenientem, quatenus Deus eſt, cuiuſmodi cultum per ſacrificium præſtamus, quoniam dùm per ſacrificium nos totos Deo dedicamus, & noſtram ſubie-

ctio-

ctionem proteſtamur, ipſum Deū, vt Deus eſt, recognoſcimus, & colimus, Marchantius *in hortu paſtorum in tit. candelabri myſtici tract. 4. lect. 14. in princ.* obſeruans ob id congruum fuiſse ſacrificium aliquod inſtitui: Proinde certum eſse Adamum ſacrificia Deo obtuliſse ante omnes, ſubdit, Neceſsariò ſequitur, quod ex obligatione naturali oriatur neceſsitas aliquoties ſacrificiū offerendi Paſq. *q.* 840. *n.* 1. adquā naturalē obligationē acceſsit diuina propter ſacrificij inſtitutionem per Redemptorem factam. *Idem.* Et hanc naturalem obligationem communis, & vera Doctorum ſententia agnoſcit teſte ſapientiſsimo Cotonio *lib.* 1. *contr.* 14. *n.* cui Sacerdotes per ſe, reliqui verò per ſacerdotem, quatenus eſt miniſter, ſatisfaciunt.

136 Facta igitur ſuppoſitione huius naturalis obligationis euidenter probatur aſsertum; dum enim vrget Ius naturale celebrandi, ceſsat Ius poſitiuum ſuper altari lapideo conſecrato celebran-

di, quod minùs grauem obligationem inducit: hinc ſi vbi non eſt liberum exercitiũ Catholicæ Religionis aliquando concurrit naturalis obligatio, (quæ determinatis diebus addicta non eſt) ibi ſine altari celebrari poſse exiſtimo; vbi verò non vrget, penſarem feruorem deuotionis Catholicorum ſacrificium expoſtulantium, & ſpiritualem conſolationem, quam ex ſacrificij oblatione compararent, eaſque notabiles eſse comprehenderim, ſine altari celebrarem; vel quia tunc concurreret tacitus Eccleſię aſsenſus, vel quia tunc Fideles Ius haberent ad ſacrificium per Sacerdotes offerendum, quod ex Iure naturali, & Diuino dimanat, vt notat Paſqual. *q.* 702.*n.*4.

37 Quæſtio IV. Sacerdos in villa an poſsit celebrare ſuper altari cedrino ex ijs, quibus Sacerdotes Maronitæ vtuntur? Caſus Miſsionarijs circa montem Libanum contingere poterit, vbi Sacerdotes poſsũt recreationis cauſa à reſidentijs ad villas diſcedere,

ibiq; latini ritus altaria non inuenire, benè tamen cedrina iuxta illius Eccleſiæ morem. Ratio dubitandi eſt: quia altaria Maronitarum ſunt confecta ex ligno cedrino, cui ſunt infixi dumtaxat quinque lapilli per modum crucis, proinde videntur inepta, cum non ſint lapidea?

38 Reſpon. Negat Verricellus *cit. quæſt.* 261. *v. dico primo* debet enim in Eccleſia latina altare eſſe lapideum; qui tamen *v. dico ſecundo*, id concedit, ſi aliquis lapis ex infixis ſit tantę latitudinis, vt maiorem partem calicis capiat, atque maiorem partem Hoſtię. Affirmat indiſtinctè Paſq. *q.* 670. *n.* 2. ea namq; altaria pro illis regionibus ſunt apta ad ſacrificium ob conſuetudinem legitimè pręſcriptam, vt ſupponit idem Paſqualigus *n.* 2. & ego addo, quod illa numquam fuit per Summos Pontifices, quod ſciam, impugnata; vnde ſi licet peregrinis conformari legibus, & conſuetudinibus locorum quâ tranſeunt, vel vbi

morantur, cur non licebit vſus prædictorum altarium Miſsionarijs? Difficultatem tamen in hoc agnoſco, quod conſuetudo illorum altarium mihi non videtur localis, ſed perſonalis, addicta ſcilicet Sacerdotibus illius nationis, non latinis: cæterum auctoritas Paſqualigi in opinionem affirmatiuam probabilitatem refundit. Ob eamdem rationem prędocuerat idem auctor *q.* 669. licere altaria ex lateritia materia (quam argillam dicimus) aut gypſo conficere, ſcilicet quando conſuetudo eam materiam pręſcripſit, quãuis, ſi eſset introducenda, etiam ob rationabilem cauſam, ſine conſenſu Summi Pontificis nullum locum ſibi vindicabit.

39 Rogabis Maronitæ quinã ſi? Reſp. Sunt populi nationis Catholicæ valde pij colentes montem Libanum, in præſtando deuotionis ſigna erga Sedem Apoſtolicã, nulli ſecundi, eidemque nimiùm affecti. Nominantur ſic à Maronio Abbate, ex cuius prædicatione in

Orthodoxa Fide tempore Neſtorianæ hæreſis,(à Neſtorio Epiſcopo Conſtantinopolitano dictæ) quæ vniuerſam ferè Eccleſiam orientalem graſſabatur,permanſerunt. Inconſultè tamen aliqui aſſerunt hos populos hæreſi Monothelitæ adheſiſſe. Huius nationis Gregorius XIII.in alma Vrbe Seminarium erexit. Legatur Macrus *in hierolexicon v. Maronita, & v. Transfiguratio*, ex quo eruditiſſimo opere prædicta accepi.

40 Quæſtio V. Altare vt commodiùs, ac faciliùs portetur ad villam,an poſſit ex duobus lapidibus inuicem coniunctis conſtrui, vt inſtar libri poſſit aperiri, & claudi? Reſp. Negat Megalius *in promptuar. v.altare n.9.* Bonac. *de ſacrif. diſp.4. quæſt. vlt. pun.9. n.*13. Tonellius *in ſacro enchir. lib.* 1. *cap.* 2. §. 3. *n.*2. & communis Doctorum quorum agmen ducit celebris Syluester *v. altare n.* 3. vbi docet id ſine peccato; niſi de ſpeciali Pontificis licentia, fieri non poſſe.

41 Probant tum quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, tum etiam quia altare ſignificat Chriſtum, qui eſt vnica perſona, & ſi fieret ex duobus lapidibus duas ſignificaret, quod eſt abſurdum. Sed affirmant Paſqualigus *de ſacrif. nouæ legis q.* 693. *n.*4. Delgadillus *de Euchar. cap.* 16. *n.* 68. *& alij* ex eo quia id non eſt alicubi in iure vetitum. Ad rationem ſignificationis primò reſpondetur non carere myſterio altare ita cõſtructum; nam vi artificij moraliter vnum cenſetur, quod ſufficere ad repræſentandam vnitatem Perſonæ Chriſti probabile putat Caſtilentus *in Polyanth. Theol. mor. verb. altare diffic.* 5.

42 Nec obſtat conſuetudo, quam ſoluit Paſqualigus *cit n.* 10. per hoc quod conſuetudo allegata ab aduerſariis fundatur in non vſu altarium duorum lapidum; non vſus enim non inducit conſuetudinem. Sed hæc ſolutio mihi non placet: nam conſuetudo, quam allegant aduerſarij, radicatur in

vſu

vſu Eccleſiæ; quæ altaribus vnius lapidis vtitur, qui vſus alium contrarium excludit: rectè igitur dici poteſt, vſum altaris duorum lapidum eſſe contra conſuetudinem. Melius tamen mihi videtur reſponderi poſſe: illam conſuetudinem in hoc non habere vim legis, ex eo quòd non videtur iuxta voluntatem introducentium id prohibere: ſicuti ſi ſupponamus, quod de conſuetudine altaria fieri ſolerent ex marmore, non per hoc excludenda eſſet alia lapidis ſpecies in conſtruendis altaribus, prout etiam quamuis Fidelium pietas Sacerdotis paramenta ex ſerica, & pretioſa materia parauit, non per hoc cenſetur excluſa materia lanea, vel minùs pretioſa; non enim videtur vſus pius fidelium vim conſuetudinis verè vindicari poſſe, dum non eo animo introductus videtur: hinc patet, quod obſeruantia huiuſmodi potius eſt dicenda vſus, quam conſuetudo.

43 Reſpondetur ſecundò cum Paſqual. *cit. n.*8. Altare ſignificare

vel Chriſtum, vel Sepulchrum Chriſti ex D. Thoma 3. *part. q.* 83. *artic.* 3. *ad* 5. vndè altaris ſignificatio cum ſit æquiuoca, ex vna ſignificatione non poteſt argumentum validum deduci, quod ità oſtendo. Si quis diceret: Petrus vel eſt laicus, vel eſt clericus, malè argueret, ergo percutiens Petrum, eſt excommunicatus, quæ conſequentia ſi non eſt bona, niſi firmet, quod Petrus ſit Clericus, neq; erit illa altaris, niſi facta ſuppoſitione, quod altare Chriſtum ſignificaret.

44 Quæſtio VI. Stando in ſententia affirmatiua, quæ mihi placet, quid in huiuſmodi altaris ſtructura obſeruandum? Reſp. Obſeruari debet, quod lapides nectantur nexu æneo, vel ferreo, & ſimilibus, qui tamẽ nexus debet præcedere conſecrationem, vt illi duo lapides per modum vnius conſecrentur: hinc fit, quod rupto nexu (ſi is ſit vnicus) conſecratio perit; ſi verò ſit dupplex, rupto vno non perit conſecratio, ſi con-

ſtru-

ſtructio artificialis remanet. Quæ patebunt ex infra hìc dicendis, & aduertit Paſq. *cit. q.* 694.*n.*4.

45 Nota tamen, quod Delgadillus *dicto cap.* 16. *n.*61. putat, per quamcumq; fractionem, aut amotionem non perire conſecrationem, ſed manere altare æquè conſecratum, ac erat ante diuiſionem; per quem Auctorem ſufficit, quòd lapides ſeparati inter ſe adaptentur, vt ſine irreuerentia valeant ſacrificio deſeruire, vnde clarè videtur parum de prędictis cautelis curare; ſed quia ſunt contra communiſſimam doctrinam, mihi videntur laxè excogitata, illum ergo reijciemus *infra ſect.* 2. *ſubſect.*2. *quæſt.*5.

46 Initio huius ſubſectionis diximus altaria debere conſecrari, hinc pro ſacrificijs offerendis inepta cenſentur, quæ conſecrationem deperdiderunt; vt autem ſciat iudicare Sacerdos quodnam altare in villa (vbi vix cuſtodiri ſoleant) inuentum conſecrationem retineat, quodque non, ac

pro-

proinde aptum, ineptum ve ſit, ex ſequentibus quæſtionibus facilè dignoscet.

47 Quæſtio VII. Sacerdos aliqua in villa commorans, ibique volens celebrare, ſi in eius Sacello vnicum inuenit altare, hocque fractum, an in illo ſacrum conficere poſſit? Reſp. Solutio huius quæſiti pendet ex iudicio Sacerdotis, quo tunc determinabit, num altare per fractionem amiſerit cõſecrationem, nec ne; nam ſi amiſerit, reſpondebitur non poſſe; ſecus verò è contra. Vt autem ſciat id iudicare ex ſequenti regula, & Doctorum interpretationibus cõprehendet. Regula eſt ſanè indubitata: altare ſcilicet quod enormem fractionem paſſum fuit amittit conſecrationem *ex cap. quod in dubijs, 3. de conſecr. Eccl.* quando autem fractio cenſenda ſit enormis variant Doctores, vt conſtare facilè poteſt ex ſequentibus.

48 Variant quidem Doctores primò, nam ſi altare frangatur in quatuor cornibus cenſent aliqui

amit-

amittere conſecrationem, quia conſecratio fit per vnctionem Olei Sancti, quo quatuor cornua vnguntur; ità Barb. *de Iur. Eccleſ. lib.2.cap.7.n.20. & alij*; non amittere verò cenſet Tambur.*de ſacrif. lib.1.cap.5.§.1.n.*14. quia quamuis ſola cornua vngantur, totum tamen altare remanet conſecratum; quæ doctrinæ ſunt applicabiles, tũ altari portatili, tum fixo, vt innuit Paſqualigus *q.690.n.* 3. inhærens ſententiæ Tamburini, in quo etiam Doctores ſententiæ negantis amiſſionem conſecrationis diſſentiunt, dum Paſqualigus *dicto n.* 3. & repetit in ſpecie loquendo de portatili *q. 696. n.* 3. dixit, quod ſi fractio esset talis, vt computata in omnibus quatuor cornibus maiorem partem altaris deſtrueret, ſufficit vt dicatur enormis, ac exiſtimetur execratum altare ità fractum; cuius contrarium tamen docuit Tamburinus *dicto n.*14. vbi docet, quòd rupto altari, ſi remaneat pars, quæ ſufficiat ad ſubſtentandum Calicem, & Patenam,

con-

conſecrationem retinet, & tamen poteſt euenire, quod quando altare portatile eſt magnum (prout in Eccleſia Domus profeſſæ Societatis Ieſu Panormitanæ, vbi aræ portatiles tabulam totius altaris occupant) fractura maiorem altaris partem deſtruxit. Diſſentit etiam Caſtilentus *in polyanth. Seraphica v. altare diffic.* 1. verſu *adde quod*, qui quamuis putet per cornuum fractionem conſecrationem non deperdi, id limitat quando in aliquo ex cornibus non fuerit ſigillum. Cui maluerit Doctori ex prædictis Sacerdos in villa adhærere poterit; vnaquæque enim opinio ſua gaudet probabilitate. Recedendum tamen puto à Delgadillo *in tract. de Euch. myſt. cap.* 16. *n.* 67. vbi putat, quod ſtante etiam quacumq; fractione, ſi partes ità adaptari poſſint, vt capiant maiorem partem Hoſtiæ & Calicis, non tenetur Sacerdos abſtinere, nec ſub veniali, à celebratione; doctrina sanè contra omnium Doctorum mentem; vnde

il-

illum infra reijciemus.

49 Variant secundò Doctores circa Altaris consecrationem, quando illius sepulchrum (vbi scilicet reconduntur Reliquiæ, quod etiam, ſigillum, dicimus) frangitur: nam tunc execrari dicunt Miranda *in manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 39. artic. 3. concluſ. 1. versu quarto.* Paſqualig. *in decis. mor. 44. num. 1. & deciſ. 51. n. 1.* & alij: & tamen tunc non execrari docet Paſqualig. ſibi contrarius *de ſacrif. nou. legis tom. 1. q. 691. n. 4.* vterque Lugo, & alij apud ipsum.

Sentio cum secunda sententia; nón enim amotio ſigilli, aut fractio remanentibus reliquijs in sepulchro execrationem causare poteſt, cum ſit fractura leuis, & facilè ſanabilis. Dixi: remanentibus reliquijs in sepulchro; quia procertò habeo ex sensu Sacræ Congreg. Rituum, apud *Barboſ. in Summ bull. v. celebrans n. 2.* quod ſi amoueantur ab altari reliquiæ, integra etiam remanente tabula,

il-

illud debet de nouo conſecrari. Et ideò Tamburinus *in opuſc. de ſacriſ. miſ. lib.1.cap.5.§.1.n.15.in poſterioribus editionibus* ſe retractauit ab opinione contraria, quam inſcius prædicti Decreti in prioribus ediderat. Hinc recedendum à Georgio Gobat *in Theol. exper. tomo 1. tract. 3. n. 276.* & alijs docentibus per ſubtractionem reliquiarum conſecrationem non deperdi, eò quia ſubſtinent eas non eſſe de eſſentia; id quod nouiſſimè doctiſſimus Pignatellus *tom. 1. conſult.93.n.32.* propugnat: nam quicquid ſit de Rubrica Miſſalis antiqui, cuius meminit Pignatellus *cit.* & quam per poſteriorem reuocatam cenſemus, Pontificale tum vetus, tum nouiſſimum reliquias pro altaribus conſecrandis parari, & apponi imperat: vltra quòd Decretum Sacræ Congregationis citatum neceſſitatem Reliquiarum eſſentialem conſecrationi ſupponit.

Et confirmo ex Nicolio *in floſc.*

v. al-

*v. altare n.*5. vbi refert, quod cum Episcopus Auguſtanus petijsset reliquias Sanctorum pro conſecrandis tria millia altaria ab hæreticis deſtructa Summus Pontifex anno 1640. 2. Aprilis iuſſit petitioni satisfieri etiam cum Reliquijs anonymis, impoſitis eis nominibus Sanctorum, de quibus populus magis erat inſtructus. Certè ſi Reliquiæ non essen: de essentia Pontifex non annueret, & in magna reliquiarum caritate respondisset eas non esse de essentia.

50 Variant tertiò Doctores circa altare remotum à capſula lignea, in qua continebatur; aſſerentibus Paludano, & Aſtenſi apud Suarium *diſp.* 81. *de Euch. ſect.* 5. verſu *tertiò additur* per illam remotionem altare conſecrationem amittere, quod ipſe Suarius ſecurius putat; negantibus verò Leandro *tract.* 8. *de ſacr. diſp.* 7. *q.*4. *& alijs*, etiam quando lapis tamquam ſigillum, ſeu ſepulchrum ſit in ligno Paſqual. *q.*695. *n.*9. quam am-

plia-

pliationem tamen non admittit Caſtilentus *v. altare diffic.* 1. *dico quarto*, ſicut nec admiſerat Azor. *inſtit. moral. par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *q.* 12. in qua opinionum varietate puto poſse Sacerdotem ſuper huiuſmodi altari celebrare ſequendo opinionem, quod amotio lapidis à capſula, etiam ſi ſigilli vices gerat, conſecrationi altaris non officiat.

51 Cæterum ſi caſus occurrent, qui non opinionibus (prout ſupra enumerati) ſubiacent, ſed dubijs tunc incõſulto Epiſcopo non eſt procedendum, quoniã in dubio num altare amiſerit conſecrationem nec ne, iudicio Epiſcopi ſtandum erit, ita Caſtilentus *dicto v. altare diffic.* 1. §. *adde quod.*

52 Quæſtio VIII. An poſſit celebrari in altari fracto in duas partes ſi vna tamen ab altera non dimoueatur? Reſp. Affirmant Caſtilentus *dicta diffic.* §. *adde quod*, quia ſciſſura huiuſmodi non tollit formam, vnde neq; conſecrationem.

Quæ-

53 Quæſtio IX. Sacerdos in villa an poſſit ſuper altare non conſecratum (ſiue fixum, ſiue portatile) celebrare, ſuper quo tamen alius Sacerdos putans illud conſecratum bona fide celebrauit? Reſolutio pendet ex famigeratiſſima illa quæſtione de qua vtrinque diſputant celeberrimi Doctores: An ſcilicet per huiuſmodi celebrationem altare remanſerit cõſecratum? in qua quidem negant remanere conſecratum, vterque Lugo, Fauſtus, Quartus, & alij apud Paſqual. *q.683. n.3.* quam probabiliorem putat Gobat *in Theolog. experientijs* editionis recẽtioris *tom.1.par.1.tract.3. n.280.* Affirmant verò è contra Naldus, Marchinus, Marchantius Sa, & alij apud eumdem Paſq. *n.5.* & probabilem putat Tamburinus *in meth.miſ.lib.1.cap.1. §.4.n.1.* mihi verò placet maximè ſententia Paſqualigi *cit.n.6.&* 8.putantis altare ſuper quo bona fide celebratur manere ſanctificatum non ſanctificatione rituali, ſed equipollenti

per

per quam ſcilicet deputatum cenſeatur ad vſum ſacrificij: inquit enim D. Chriſoſtomus *in 2. ad Corinth. homil.* 20. loquendo de altari: *lapis quidem eſt natura, ſanctum autem fit, quoniam corpus accipit Chriſti.* & hæc doctrina procedit etiam quando mala fide fuerit ſuper illud celebratum, vt aduertit *Idem* Paſq. *n.* 23. & Tamburinus *cit. n.* 2. vbi nonnullos contrarium ſẽtientes ſuppreſſo nomine reijcit.

54 Rectè tamen ſubdit Paſq. *cit. n.* 14. altare ſic ſanctificatum debere ſecundùm ritum Eccleſiæ cõſecrari; ſunt enim omnino quoad poſſunt ſolemnitates ab Eccleſia inſtitutæ ſeruandæ, etiam facta ſuppoſitione, quod effectus principalis, ad quem diriguntur, conſequutus fuerit; ſic videmus, quod denunciationes omiſſæ ob intempeſtiuam ſponſaliorum de præſẽti celebrationem supplentur; ſicut, & cathechiſmus, & cætera pro Baptiſmi adminiſtratione præſcripta, ſi fuerit in neceſſitate aliquis baptizatus.

Hinc

55 Hinc ad quæſtionem reſpondeo poſſe tunc Sacerdotem eo altari in celebratione vti; poteſt enim doctrinæ atteſtanti altaris ſanctificationem inhærere. Et quamuis Caſtilentus *v. Calix diffic. 6. in fine*, aſſerat hanc ſententiam vti ſpeculatiuè tantum probabilẽ non eſſe ſine præciſa neceſſitate ſequendam; tamen puto etiam practica potiri probabilitate, & eſtò res ſe habeat, vt ſibi perſuadet Caſtilentus; neceſſitas non debet eſſe multùm grauis, ſed ſufficit quæcumque etiam prouéniens ex deuotione celebrandi.

56 Quæſtio X. Quid faciet Sacerdos in villa ſi habeat altare, conſecratum ſanè, ſed eo vſus eſt in concione Præco Zuinglianus, an cenſeri debeat profanatum per exercitium illud heterodoxæ religionis? Caſus in his regionibus nõ poteſt euenire, vbi diuina largiente pietate hæreſes non graſſantur, nec hæretici noſtro cœtui admittuntur, ſed euenire in Heluetia, & Suetia, vbi heterodoxi cum ortodo-

todoxis comunia habent templa; teſtatur Gobat *tom.1. par.1. tr.3. n. 265. in appendice* 11. §. *ego ſingulariter*, qui putat non profanari, quia ſicut non profanantur templa mixtæ religionis, ita neq; altaria ab exercitio eiuſdem mixtæ religionis; propterea idem Gobat contra quemdam Sacerdotem reſpondit altare portatile non eſſe deferendum ad Sacriſtiam ne profanaretur concione Præconis Zuingliani. ratio eſt quia in iure nil contra hanc reſpõſionem viget, & ex alia parte id confirmat vſus prædictorum regnorum.

57 Quæſtio XI. Sacerdos in villa celebraturus, tenetur ne explorare an altare ſit conſecratum? Reſp. Quamuis tutum ſit celebrare ſuper altari, ſuper quo ſolitum fuerit ſacrificium offerri, ſi non appareat poſt celebrationes altare fuiſſe motum, vel enormiter fractũ (idem dicas de ara portatili) ex eo quod credere ritè poſſumus illud fuiſſe conſecratum; dum celebrationibus deſtinatum

in

inuenimus: non enim eſt veriſimile maiores noſtros in illo altari celebraſse ſine ſcientia conſecrationis, vt obſeruat Megalius *in promptuario v. altare n.* 14. vbi aduertit, quod ad hoc ſcriptura, vel teſtimonium alterius non deſideratur; quamuis inquam id tutum ſit; tamen docent Doctores, quod ſi aliqua altaria conſueto ornamento, & requiſitis iocalijs, præſertim mappis, carent, non debet (regulariter) ſuper illis ſacrificium offerri. Ita Paſqualigus *q.* 700. *n.* 3. vbi rationem aſsignans ſubdit: quia defectus ornamenti præberet ſufficiens motiuum dubitandi, an eſsent (altaria ſcilicet) conſecrata. Idem motiuum dubitandi locum ſibi vindicaret, quando altaria eſsent alicuius capellæ erectæ prope aliqua diuerſoria; ex eo quod locus parũ honeſtus præbet tunc motiũ ſufficiens dubitandi, præſertim quando altaria ſunt ſub cura cauponum, aut aliorũ huius furfuris, vnde non eſſe de facili in ijsdem celebrandum ſtatuit.

tuit. Idem Paſqual. *n.* 4. Quoniam autem ex Eccleſiis villarum plures ornamentum neceſſarium non habent, nonnullæ etiam ſunt derelictæ, multæ verò ſub cura cauponum : meritò Sacerdos ibi celebraturus de conſecratione altaris poſſet dubitare ; quibus in caſibus (& eſt reſponſio ad quæſtionem) ad regulas præfatas attendens, conſilium, quod ſibi rationabile eſſe iudicauerit, ſequatur.

58 Quæſtio XII. Non ſemel contingit,quod Eccleſiæ villarum diruantur remanente tamen integro altari in ea conſecrato ; ideo quæritur : An poſſit ſuper eo celebrari ? & an requiratur licentia Epiſcopi ? Reſp. Quod non poſſit celebrari ſine prædicta licentia, firmat Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par.diſp.* 81. *ſect.* 5. §. *fin.* & videtur ſupponere Reginaldus *in praxi fori pœnit.lib.*29.*n.*191.hoc enim eſſet celebrare extra Eccleſiam,quod ſimplici Sacerdoti non licet. Quod verò poſſit , affirmat ex Rodriquez Paſqualigus *q.*715.*n.* 2. Quia

al-

altare fixum, dum conſecrationem conſeruat, retinet quoddam veluti Ius, vt ſupra illud celebretur; & ſicut deſtructo altari fixo conſecrato in Eccleſia, in qua illud fuit erectum, poteſt celebrari; ita, & deſtructa Eccleſia poterit ſuper altari celebrari, & in vtroq; caſu ſine licentia Epiſcopi.

59 Sentio cum prima ſententia. Nec obſtat ratio ſecundæ ſententiæ: quia non minùs Ius habet altare portatile, vt ſacrificia ſuper illud offerantur, quam fixum; & tamen extra Eccleſiam cum altari portatili, (præciſo priuilegio, quo fruuntur Epiſcopi, vt ſuo loco dicemus) celebrari non poteſt.

60 Nec vrget paritas, quia deſtructo altari fixo poteſt celebrari, quia locus eſt aptus, vnde ibi cum portatili abſq; dubio tutè celebrabitur, deſtructâ verò Eccleſiâ locus eſt ineptus. Imo eamdem paritatem ſic ad fauorem primæ ſententię retorqueo: ſicuti deſtructo altari fixo, & remanente

Eccleſia non poteſt ſine noua altaris erectione in ea celebrari, ità & deſtructa Eccleſiâ non poterit Sacrificium offerri ſine Eccleſiæ reedificatione.

61 Cæterum ſi quis velit adhærere ſententię affirmatiuę, ſciat, quod illa probabilitatem ſaltem extrinſecam non emendicat, & poteſt eſse plauſibilis in villis, prę ſertim concurrentibus circumſtãtijs, vt carentia aptioris loci, qui multum diſtet, &c. Ego quidem ad praxim illam non deducerem, niſi in caſibus, quibus licebit extra Eccleſiam Miſsam celebrare, de quibus infra.

62 Quæſtio XIII. Quia cautum eſt in *Can. in altari de conſecr. diſt.* 2. quod in altari in quo Epiſcopus celebrauit, non poſſit eodem die alius Sacerdos celebrare ſine licentia eiusdem Epiſcopi, & contingere poteſt, quod Epiſcopus per villam tranſiens celebrauerit in illius Eccleſia, quæ vnicum habeat altare, quod villis paruis ſatis eſt familiare, ſi Sacer-

dos

dos recedente Epiſcopo velit celebrare, an licitè poſset? Reſp. Non eſt dubium, quod poſſit, ſi Epiſcopus licentiam fuerit impartitus. Dubium verò procedit, quando nil dicens receſſit è villa. Et in hoc caſu reſpondeo poſſe ex præſumpta, & rationabili Epiſcopi voluntate; quod ſi requiſitus id negauerit, ad huc poſſe ſentio vrgente tamen neceſſitate, puta confecrandi propter Viaticum, vel celebrandi propter feſtum.

63 Poſſe item id ſine licentia facere, vbi diſpoſitio canonis citati non viget ob contrarium vsũ: (quam canonis legem noſtra Panormitana Synodus ſub Illuſtriſſimo Palafox *par.* 3. *n.* 3. innouauit) Et quidem apud nos, quãdo Dñus Archiepiſcopus priuatam Miſſam celebrat per Cœremoniarium licentia prædicta expoſtulatur, ſine qua nemo audet celebrare; quãuis alibi Decretum illud in deſuetudinem abijſſe teſtetur Palaus apud Cotonium *lib.* 2. *contr.* 5. *n.* 79. Vltra, quod non deſunt Doctores,

qui dicunt, dignitatem Epiſcopalem hàc præcellentiâ eminere tantum cum Miſsa ſolemniter fuerit celebrata, non verò priuatè: & ità ſentit Cotonius *cit.* & alij intelligentes verbum canonis *cantauit* in rigoroſa ſignificatione, non verò in larga, qua multoties verbum *cantauit* idem ſignificat ac verbum *celebrauit*: iuxta quod Sacerdos in villa abſque hęſitatione etiam nulla concurrente neceſsitate poterit poſt Epiſcopum celebrare; niſi aliàs Synodales conſtitutiones diſponerent. Quamuis mihi videtur cum Naldo *in ſum. v. Epiſcopus n.* 31. canonem *cit.* id prohibere tum propter Miſsam ſolemnem, tum propter priuatam. Etenim ſummarium dicti *can.in altari* hæc habet: *Presbyter in altari Miſsam non celebret, in quo eadem die Epiſcopus celebrauit.*

SVB-

SVBSECTIO IV.

De Lumine.

64 OMnium Gentium mos fuit, in rebus ſacris peragendis lumen adhibere, idque nè dignitati, quam tribuebant ſuperſtitioſis victimis immolãdis ſuis Numinibus, officerent. Porrò ſi futilia ſacrificia, quibus humani generis hoſtem tantâ impietate gentilitas colebat, ſine lumine non offerebat, ità vt nullum ſacrificium (aduertit Alex. ab Alex. *in diebus genial. lib. 4. cap. 17. poſt medium*) ſine igne fieri tunc licuerit; non immeritò nouæ legis ſacrificium, in quo Diuina Victima mactatur, ex Eccleſiaſtica traditione inueterata conſuetudo luminis prǫſentia reuereri iubet: id quod tam vero Numini gratum eſt, vt non ſemel in Miſſis diuinitus luminaria accenſa ſint, & videre eſt apud Scriptores paſſim, & nouiſſimè apud eruditum Bagattam *in admirandis Sac. in Villa.*

*Orbis Chriſtiani tom.*1.*lib.*2.*cap.*1. §. 3.*n.*78. & 92. tamq; Eccleſia contrarium vſum abhorreat, vt non immeritò recenſeatur inter grauiſsima delicta, quæ patratus infelix quidam Presbyter ſuſpenſionem perpetuam ab officio, & beneficio canonica ſanctione paſsus fuerit, vt ex *cap. litteras fin. de celebr.miſſar.* liquet. Hinc fit, quod de necesſitate luminis in ſacrificij oblatione dubitandum nõ ſit, præſertim ex præcepto Rubricæ *par.* 1. *tit.* 20. quod ſanè præceptum cum ſit graue, mortali culpa contumaces afficit, in quo vnanimis eſt Doctorum ſententia.

65 Obſeruandum tamen eſt ex Concilio Carthaginenſi 4. *caſu* 6. apud Caranzam *in ſum.Conciliorum fol mihi* 90. quod lumen vt ſit ad ſacrificium aptum ex cera confici debet, cui vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo conformatur. Et ſecundùm Rubricam duplex ſaltem eſt adhibendum.Sed quia anguſtiæ villarum non ſunt modicæ, vnde poſset Sacerdos celebraturus ha-

bere

bere tantum vnicum lumen, non duplex; & ſi duplex non cereum, & multoties nullum, vel ob defectum ignis; vel candelarum: ideo occaſionem præbent examinandi, quid tunc Sacerdos facere debeat, omittere ne celebrationem, an potius cum altero, vel non cereo lumine celebrare? quod ex ſequentibus quæſtionibus patebit.

66 Quæſtio I. Sacerdos in villa ſi velit celebrare, & careat lumine, an poſſit ſine illo celebrare? Nota defectum luminis non ſolum dari, quando nullum adeſt; verùm etiam quando habetur lumen, ſed extra altare: hinc ſi habetur lampas ardens altè pendens in medio Eccleſiæ, & celebraretur ſine alio lumine, diceretur celebrari ſine lumine, percurratur Paſqual. *de ſacrif. q.* 324. *n.* 9. Reſp. Iam ſuppoſuimus mortale eſſe ſine lumine celebrare, vt eſt conſtans omnium ſenſus; vnde negatiuè reſpondetur, niſi grauiſſima vrgeat neceſſitas pro qua ſit

67 Quæſtio II. An aliqua ne-

ceſſitas ſufficiat ad celebrandum ſine lumine, & quænam? Reſp. Quo ad primum ſunt Doctores, qui docent, numquam licere ſine lumine celebrare, etiam ſtante quacumque neceſſitate. Ita ſentiunt Bellarminus, Fagudez de Lugo, & alij apud Paſqualigum *de ſacrif. q.* 725. *n.* 1. Quod adeò verum putant aliqui, vt ſtatuant, neq: in neceſſitate conſecrandi Viaticum licere continuare ſacrũ iam incæptum, ſi lumen extinguatur ante conſecrationem. Ita Buſembaus *lib.* 6.*tract.*3. *cap.* 3. *dub.* 5. *n.* 11. Tamburinus *in meth. miſ. lib.*1. *cap.* 5. §.4.*n.*1. & alij. Ratio eſſe poteſt: quia cum lumen adhibere, ſit cęremonia grauis, illius omiſſio cederet in grauem irreuerentiam ſacrificij. Sed poſſe celebrari ſine lumine vrgente rationabili cauſa, ſuſtinet Paſqual. *citatus dicta quæſt.* 725.*n.*2.& probabilius putat Tonellius *in Sacro Enchir. lib.* 1. *cap.*2. §.7. *n.*3. & ita etiam mihi videtur: nam ex eccleſiaſtica inſtitutione lumen in ſa-

cri-

crificijs exigitur; vnde tota irreuerentia ex transgreſſione prædictæ inſtitutionis proueniet: ſi ergo eccleſiaſtica inſtitutio non obligat, quando neceſſitate vrgente lumen haberi non poſſet, nec irreuerētia tunc eſſet ſine lumine celebrare. Quænam autem ſit hæc neceſſitas, dicam modò quæſtione ſequenti.

68 Quæſtio III. Ex quanam neceſſitate licebit ſine lumine celebrare? Reſp. Iam diximus *quæſtione antecedente* ſecundum aliquos nullam neceſſitatem cohoneſtare poſse celebrationem ſine lumine. Sed mihi videtur probabilior ſentētia contraria. Dico igitur primò: Quādo vrget neceſsitas celebrandi ex Iure naturali (quod quale ſit, dictum eſt hic *ſubſect.* 3. *q.*3. *n.* 35.) poteſt ſine lumine celebrari; Ratio eſt eadem ac illa de celebrando ſine altari ob neceſsitatem ſacrificandi ex Iure naturali, ſcilicet ex eo quia huic Iuri cædit Ius poſitiuum de celebrando cum lumine. Et hinc fit,

quòd cum debeamus ex Iure naturali vitare mortem, licebit ſine lumine celebrare, quando, extra fidei contemptum, timor mortis incutiatur, vt ſine lumine celebretur. Ita Requeſenius *in l.* 2. D. Tho. *lib.*2.*diſp.*15.*n.*65. & probabile putat Tonellius *cit.n.*3.

69 Dico ſecundò cū Tonellio *in Sacro Enchir. lib.*1.*cap.*2.§.7.*n.*3. Probabile eſse, ad dandum Viaticum infirmo, poſse ſacrum celebrari ſine lumine; Obligatio enim ſumendi Viaticum eſt ſuperioris ordinis, obligatione celebrandi cum lumine; Nam illa eſt Iuris diuini Coton. *lib.* 1. *contr.*15. *n.*1. *ad* 4. hæc verò vim humanæ legis non præterit. Ita docet Paſqualigus *dicta quæſt.* 725. *n.* 5. & mihi videtur, id ipſum docere Tho. Hurtadus *in reſol.mor.par.*1. *tract.* 2.*cap.*1.*n.*22.nec diſsentit Leander *de ſacr. par.*2.*tr.*8.*diſp.*7.*q.*20.dum docet, quod ſi ſit celebrandum pro conficiendo, & miniſtrando Viatico, ventuſq: extinguat lumen, poſsit Sacerdos ſacrum quocum-

que

que modo incæptum continuare. Imò idem Paſqualigus docet, poſſe Sacerdotem celebrare absq: lumine, non ſolùm quando ex officio tenetur Viaticum miniſtrare; verùm etiam, quando ex charitate. An autem celebrans ad conficiendum Viaticum, poſsit ſine lumine miſsam proſequi, ſi, ea incæpta, ventus extinguat lumen, dicetur infra hic *quæſt*.4.

170 Dico tertiò non ſufficere ad celebrandum ſine lumine neceſsitatem prouenientem ex obligatione celebrandi ob diem feſtum (niſi pro illa die aliqua etiam vrgeat obligatio Iuris naturalis, aut Diuini, vt patet ex dictis) Ratio eſt, quia præceptum audiendi ſacrum eſt eccleſiaſticum; nec præſtantius eo celebrandi cum lumine, vt de ſe patet; & ſacrificium dum grauius non reſiſtit præceptum, retinet quoddam veluti Ius, vt cum omnibus Eccleſiaſticis ritibus offeratur. Et licet præceptum audiendi miſsam, quo ad ſubſtantiam ſit de Iure naturali, & di-

diuino, vt oſtendit Paſqualigus *q:* 1246. *n.* 4. *&* 6. quo ad determinationem tamen temporis, pro quo obligat, eſt de Iure Eccleſiaſtico. *Idem n.* 3. legatur etiam Cotonius *lib.* 1. *cont.* 14. *n.* 2. vbi docet, quòd quamuis ſit congruum, & naturali rationi conſentaneum, vt Fideles adſtent ſacrificanti, tamen aſsiſtentia hæc iure purè humano præcipitur.

71 Quæſtio IV. Sacerdos in villa quid faciet, ſi, incæpto ſacro, ventus extinguat lumen? Caſum euenire facilè poſse in ſacellis, aut eremitorijs remotis à vicis, & pagis, obseruat Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 19. Pro reſponſione autẽ prænotandum: dubium non esse, quando extinctio eueniret poſt consecrationem: tunc enim sacrũ continuari debere non solùm vsq. ad consumptionem incluſiuè, verùm etiam vsq: ad finem compleri, rectè aduertit Pasqualigus *q.* 724. *n.* 2. Difficultas tamen procedit, quando extinctio eueniret ante consecrationem. Abrumpendum

dum ſacrum, putat Mendo *in appendice ad epitom. ſub tit. de Immun. n.* 3. etiam in neceſſitate conſecrandi pro miniſtrando Viatico Buſembaus, & Tamburinus *cit. ſupra q.* 2. & alij Doctores, quorũ agmen ducit Fagundez. Sed Leander *de ſacr. par.* 2. *tr.* 8. *diſp.* 7. *q.* 20. vti probabile docet, quod ſi extinctio eueniret ante conſecrationem, poſt tamen offertorium, poſſet tunc Sacerdos ſacrum continuare, quem nouiſſimè ſequitur poſt hæc ſcripta lectus Doctus P. Richardus Archdekin *in Theolog. tripartita par.* 3. *tract.* 6. *in quæſtionib.* pro miſſione caſtrenſi, & nauali *quæſt.* 8. verſu *quæritur quartò*. Imò ſubdit idem Leander quòd ſi miniſtrandum eſſet Viaticum; durum ſibi videtur relinquere miſſam quocumque modo inceptam. Et pro hac ſententia citari poteſt Gobat *tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 3. *n.* 293. dum iam habet claſſicum Doctorem (qualis certò eſt Leander) quem opponere poſſet Fagundezio, & Tamburino, pro ut

pero-

peroptabat ad negãdum rigorem, quo ſententia horum claſſicorum Doctorum ſcatebat. Quod à fortiori ſequitur ex reſponſione *q.* 3. verſu *dico* 2. vbi probabile putauimus, Viatici gratiâ poſſe sacrũ ſine lumine celebrari. Non placet tamen Delgadillus *de Euchar.myſt. cap.* 16. *n.*79. indiſtinctè pro omni caſu docens poſſe,& teneri Sacerdotem extincto lumine sacrum quocumque incæptum, complere.

72 Quæſtio V. In præfigurato caſu, ſi lumen reaccendi poſſit, an Sacerdos deberet expectare nõ proſequendo sacrum? Reſpondetur Negatiuè, ſed sacrum proſequi debere, ſiue exiguo tempore expectandũ eſſet, ſiue multò, quia pręualere debet continuatio ceremoniarũ, ex quarum interruptione inducitur deformitas intrinſeca accenſioni luminis, ex cuius omiſſione committitur tantùm deformitas extrinſeca. Ita Paſq. *q.*724.*n.*10.

73 Quæſtio VI. Sacerdos in villa, ſi dumtaxat vnicum lumen

ac-

accendere poſſit, an ipſi licebit, eo ſolo accenſo, ſacrificium offerre? Reſpondeo mihi non arridere reſolutionem illorum Doctorum, qui affirmatiuè reſpondent; ex eo quia ſufficienter ſatisfit præcepto non celebrandi ſine lumine, ſi, vnico accenſo lumine, celebretur, & ſic diſcurrendo affirmatiuè reſoluunt quæſtionem Delgadillus *cap.* 16. *n.*80. & Paſq. *q.*723. *n.*3. mihi inquam non arridere huiuſmodi reſolutionem dixi; eo quia non ſatisfit præcepto Rubricæ *par.*1. *tit.*20. vbi duplex præſcribitur, cui conformatur vniuerſalis conſuetudo, quæ me teſte in his viget regionibus; præſertim cum Rubrica ſit præceptiua, vt tamquam verius docuimus ſupra hic *n.* 4. & conſuetudo circa hoc vim legis habere non dubito iuxta regulas traditas *n.* 5. quamuis obligatio non ſit grauis, & tãtùm ad veniale obliget Leander *de ſacr. par.* 2. *tr.* 8. *diſp.* 7. *q.* 18. Ratio eſt, quia leuis eſt irreuerentia cum vnico lumine ſacrificium offerre.

Hinc

74 Hinc respondeo ad quæſtionem, poſſe celebrare cum vnico lumine vrgente neceſsitate. Hæc reſpõſio eſt media inter duas extremas, quarum affirmatiuam dat Delgadillus cit. dicens nullum eſse peccatum, etiam ſine neceſſitate celebrare cum vnico lumine: negatiuam verò tradit Nugnus *in* 3.*p*.*q*.64.*art*.6.*diff*.3.*in fine articuli*, cui adhærere videtur Diana *p*. 2. *tract*.14.*reſol*.45. vt aduertit Leãder *dicta q*. 18. dicens, neq; in neceſsitate licere cum vno lumine celebrare. Ratio meæ reſponſionis eſt; quia præceptum duorum luminum non eſt talis conditionis, vt relaxari non poſſit in caſu neceſsitatis: imò ſi grauiora præcepta ob neceſſitatem relaxantur; non erit abſonum illud, quod eſt leue, pro aliquo euentu ſuſpendere. Et quidem nõ requiritur, quod neceſſitas ſit multùm grauis; & mea fert opinio, ſufficere ad celebrandum cum vnico lumine neceſſitatem audiendi ſacrum die feſto; neceſſitatem eleemoſynæ mis-

missæ pro Sacerdote etiam non valdè indigente; deuotionem validam optantis celebrare, vel missam audire, & ſimilia, quæ dicta sunt iuxta noſtram sententiam. Cæterum non facilè damnarem venialis Sacerdotem, qui etiam nulla vrgente causa cum vnico lumine celebraret, sequendo tamen ſententiam Delgadilli, Paſqualigi, & aliorum.

75 Tandem aduerte, quod quamuis Pasqualigus putet ex obiecto ſic celebrare, neq. eſse veniale; id tamen asserit posse committi ratione finis, vel alicuius circũſtantiæ, ita *dicta q.*723.*n.*3. circúſtantia (quam non explicat, ſicut nec finem) meo iudicio esse poteſt negligentia in accipiendo, vel procurãdo alio lumine &c. Ratione finis item poteſt peccari venialiter, quando ex auaritiâ aliud lumen non accenditur: qui finis poteſt esse mortalis, vt ex D. Tho. 2.2.*q.*118.*art.*4. suppono, ſi inordinatus affectus ad lucrum adeò crescat, vt præferatur charitati;

sci-

ſcilicèt, ſi propter amorem diuitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi, vt ex eodem D. Tho. exemplificat Medices *in ſum. peccatorum capital. tit. 6. q. 6.* Illicitum item erit vnicum lumen ſi ſuperſtitionis cauſâ ſolum accendatur, vt patet.

76 Quæſtio VII. Sacerdos in villa ob defectum ceræ, an posſit adhibere lucernas olei? Reſp. Fagundez *præc. 1. lib. 3. cap. 22. n. 17.* quamuis ſatis rigidè, id concedit in magna necesſitate: & ſubdit, numquam tamen id ante factum, eſt conſulendum, licèt poſt factum tolerandum. Pereyra verò *in elucid. Theol. mor. n.* 1593. non damnat peccati mortalis eum, qui lucernam olei adhibet ob defectum ceræ, ſecundùm quem conſequenter non eximitur à veniali. Sed nullũ eſſe peccatum concedit, ſtante necesſitate, Leander *tract.* 8. *diſp.* 7. *quæſt.* 19. *fine*, vbi ex Dicaſtillo ait, quod ſecluſo ſcandalo ſatiùs eſſe celebrare cum lumine olei, quam non celebrare; nec videtur aliam

de-

deſiderare neceſsitatem præter defectum ceræ, quod placet Paſqualigo *q.*727.*n.*2.dicenti:poſse ad sui libitum Sacerdotem cum lumine olei celebrare. Ratio autem eſt, quia ex vna parte olei vsus eſt frequentisſimus in Ecclæſijs, præſertim coram Sanctisſima Euchariſtia; ex alia parte consuetudo obligans ad ceram eſt adeo leuis, vt non impediat celebrationes cũ lumine olei.

77 Quæſtio VIII. An poſsit Sacerdos prædictus adhibere lumen ſeui? Reſp. Quod nullo modo adhiberi poſſit hæc materia ſuſtinet Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 81. *ſect.* 6. §. *Tertio requiritur* circà finem: putat enim id eſse valde indecens, & ab vſu Eccleſiæ valde alienum. Sed abſolutè poſſe docet Pasqual, *q.* 726. *n.* 8. & probabile putat Tambur. *in meth. cel. miſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *n.* 2. & negantem opinionem rigidam exiſtimat Gobat *in exper. Theol. tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 3. *n.* 292.

78 Ratio eſt eadem, quæ ſupra

pra

pra de oleo. Nec obſtat indecentia, quam allegat Suarez: quia minorem indecentiam continere videtur lumen ſeui, quam olei; illud enim magis confert ad munditiam, & in vſibus prophanis præſtantius reputatur, habetq; ſimilitudinem cum cera; hoc verò, vt plurimùm, grauem odorem emittit. Hinc docet Paſqual. *cit.n*. 9. quod ſi Sacerdos non habens ceram, habeat lumen ſeui, & lumen olei potius lumine ſeui, quam olei vti debeat, quamuis vtrolibet vti poſſe teneat Malletus *de hierarch.lib*.4.*p*.1.*tit*.5. §.6.*n*.7.

79 Quæſtio IX. An etiam poſſit vti candelis, & luminibus ex alia materia præparatis vt ex naphta, pice, terebinto, & alijs reſinis ad accendendum aptis? Reſp. Affirmatiua reſponſio facilè deducitur ex Paſq. *q*.726.*n*.8. legatur. Quã tamen limitarem in caſu, quo materia aliqua ex prædictis, vel ſimilis lumen reddit ſub obſcurum, vel graueolentiam cauſat; eſset enim tunc ſatis indecens,

quod

quod prudens Sacerdos perpendet.

80 Quæſtio X. Sacerdos prædictus ex quanam neceſſitate licitè vti poterit ſeuo, vel oleo? Reſp. Non requiri grauem cauſam celebrandi, ſed ſufficere leuem: vnde non solum ſufficit obligatio sacrum audiendi die feſtiuo, deuotionis feruor (& ex ſimplici deuotione id licere docet Gobat *ſupra cit. n.* 292.) neceſſitas vitandi tentationem ſacrificij oblatione ſuperandam; verum etiam opportunitas eleemosynæ reſpectu Sacerdotis non diuitis (& ego libenter extenderem ad Sacerdotem diuitem, cuius ſacrificij oblatio etiam ineſtimabiles producit fructus, qui ſunt magis in conſideratione habendi, quam præceptum de cera) vt videre eſt apud Tamburinum *cit.* vbi se remittit ad eũdem *lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *n.* 4. quod ſi scandalum immineat, ad illud vitandum poterit Sacerdos adſtantes de congruitate luminis admonere, vt aduertit Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 5. §. 4. *n.* 2.

Et

81 Et hinc patet, à fortiori ſufficere ad celebrandum cum lumine olei, vel adipis obligationem ſatisfaciendi voto de dicenda, vel audienda Miſsa, tam ſi emiſsum ſit ab eodem Sacerdote, quam ſi ab amico Sacerdotis; Et ita docet Tancredi *in quæſt. mor. par. 1. tract. 3. diſp. 4. q. 59.*

82. Quæſtio XI. An ſufficiat cauſa leuior prædictis, vt cum lumine olei, vel ſeui celebrari poſſit? Reſp. Quamuis Petrus à S. Ioſeph, pro ſubrogando oleo, vel ſeuo loco ceræ exigere videat grauem neceſsitatem, prout videre eſt *in Idea Theologiæ Sacramentalis lib. 2. cap. 12. reſol. 2.* verſu *dicendũ 2*; tamen aſserit Paſqualigus *q. 727. n. 2.* ſufficere ſolum defectum ceræ, quo ſtante nulla alia neceſsitas exquiri debet, dicens item toties, ſic celebrari poſse, quoties Sacerdoti libuerit.

83 Quæſtio XII. Sacerdos ſi habet ceram, & adhibet aliam materiam, quodnam peccatum committit? Reſp. Veniale putat

Paſq.

Paſq. *dicta q.* 726. *n.* 7. limita quando aliqua concurrit circumſtantia ex enumeratis *ſupra hic n.* 74. de celebrante cum vnico lumine.

84 Rubrica præcitata *par.* 1. *tit.* 20. præſcribit: quod in altari adhibeantur candelabra his verbis: *Super altare collocetur Crux in medio, & Candelabra ſaltem duo cum candelis accenſis hinc, & inde in vtroque eius latere*, circa quam Rubricam inſtituitur

85 Quæſtio XIII. Sacerdos in villa, ſi nō habet cādelabra an poſſit ſine illis licitè celebrare? Reſp. Affirmat Paſq. *q.* 721. *n.* 3. affirmareq; debent ij omnes, qui Rubricam de candelabris purè directiuam exiſtimant; candelabra enim deſiderantur non ratione ſui, ſed luminis, quod ſubſtentare debent.

86 Quæſtio XIV. Ob defectū candelabrorum altaris, an liceat vſus illorum, quæ ſunt deſtinata pro vſibus prophanis domus? Reſp. Ita planè: nec remanent inepta ad vſus prophanos, quid-

quid ſit de decentia. Ita Pacius Iordanus *in lucubr.tom.1.lib.4. tit. 1. n.* 247.

87 Quæſtio XV. Sacerdos prædictus an poſſit vti fructibus arborum puta pineis, malis punicis, &c. qui deficientibus candelabris horum vices gerant? Reſpondetur affirmatiuè: Excipio tamen mala maſsilica, & aurea, quibus in noſtris regionibus, vbi de illis plurimum abundamus, infima gens in diuerſorijs vtitur pro candelarum ſubſtentaculis, cum noctis tempore ſtomaco indulgent; ne vſus cauponarum in Eccleſia locum ſibi vendicet, vel irriſionem cauſet.

* *
*

SVB-

SVBSECTIO V.

De Pallio.

88 QVamuis pallij nomen ſit æquiuocum, apud Canoniſtas ſignificans pallium, quod de Iure ſumunt Archiepiſcopi; & ex priuilegio nonnulli Epiſcopi; de quibus nos alibi, (qua præeminentiâ olim fulſiſſe in noſtra Sicilia Epiſcopum Catanenſem, teſtis eſt eruditiſsimus Pirrus *in notitia eiuſdem Eccleſiæ ad annum* 1108.) Apud verò moraliſtas ornatũ, quo ſtructura altaris in parte anteriori exornatur; Nos omittentes ea, quæ ad pallium iuxta primam ſignificationem ſumptũ, prorſus aliena à noſtro inſtituto; de Pallio, quod ſecundùm alteram ſignificationem ad altaris ornatum ſpectat, nonnulla ad propoſitum libabimus. Qui autem de pallio iuxta primam acceptionem aliquid ſcire cupiat, adeat Canoniſtas in commentarijs *ad*

lib.1.decretal. de auth. & vſu pallij, præſertim Marcum Paulum Leonem, qui prolixam, & luculentam de hac materia tractationem inſtituit, nec non Vētrigliam *de poteſtate Archiepiſcopi*, & alios.

89 De pallio ergo iuxta ſecundam ſignificationem, quod etiam Antipendium dici ſolet, hìc agemus, quod ad ornandum altaris frontiſpicium requirit Rubrica *par.1. tit.20.* quæ an ſit præceptiua, an directiua iuxta differentiam Rubricarum, quam ſupponunt aliqui Doctores, Quartus *in Rub.miſ.par.1.tit.20.dub.9.ver.reſpondeo* ſecundum ſe directiuam putat, quamuis nos aliter ſentiamus ex dictis *nu.* 3. vbi verius putauimus omnes Rubricas præceptiuas eſse.

90 De Materia, ex qua pallia confici debeant, nil eſt determinatum (quod ſciam) in Iure. Vniuerſalis tamen conſuetudo pallijs ſericis vtitur, pauperiores verò Eccleſiæ aliquando pictis aſseribus, quod tolerari poſse ob pauper-

pertatem ſentit Iordanus, cuius doctrinam teſte Gobat *tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 3. *n.* 250. & Metipſo vſus approbauit, ditiores tamen opere phrygio elaboratis, vel modernà in hac regione lapidum ſpecioſorum contexturà, quæ in hac Vrbe ſatis ſunt vulgaria: nec deſiderantur ex rubeis corallis, & margaritis intexta, vel omnino ſolido argento fabrefacta, quæ magno in numero fidelium pietas huius Vrbis Panormi Eccleſijs largita eſt, Rectoreſq; ipſi Eccleſias ſuas ditarunt: pro villis autem, quæ occurrere poſſunt circa pallia vnica quæſtione reſoluuntur. Sit ergo

91 Quæſtio Vnica. Sacerdos in villa caret pallio pro ornando altari, num poſsit ſine illo celebrare? Reſp. Quartus *ſuprac.* verſu *dico ſecundò* putat eſse veniale ſine pallio celebrare, quando pars anterior altaris ſit rudis, eo quia ſit contra naturale præceptum de tractando cum decentia res ſacras: contra quem tamen inſurgit Paſqualigus *q.* 713. *nu.* 2. dicens

nullum eſse peccatum ſine pallio ſacrificium offerre præſertim ratione paupertatis, quæ familiaris eſtEccleſijs villarum. Sentio cum Paſqualigo. Defectus enim pallij notabilem non inducit irreuerentiam, & gratius videtur Deo ſine pallio celebrare, quam ſacrificium omittere.

SECTIO SECVNDA.

De Ornatu Sacerdotis.

92 ORnatus, quo Sacerdos litaturus præparari debet, duplicis eſt generis, alter intrinſecus, ſeu ſpiritualis, alter extrinſecus, ſeu corporalis. Primus ex pœnitentia, qua animæ ſordes diluuntur aſsequitur; Secundus verò ex ſacris veſtibus, & paramentis, quibus induitur. Sed quia ornato altari Sacerdos ſpiritualiter ornari debet, & ſpiritualis ornatus temporale præcedere conuenit

uenit ex decentia, vt aduertit Quartus *in rub. miſs. p. 2. tit.* 1. ver. *Primo ſtatuitur.* Ideo hic eſset inſtituendus ſermo de caſibus, qui occurrere poſsent Sacerdoti in villa circa preuiam confeſsionem. Sed de illis agemus, cum de Sacramento Pœnitentiæ, ne de Sacramento hoc carptim tractetur. Dũtaxat tamen de paramentis in genere, & in ſpecie, eorumdemq; coloribus requiſitis per tres ſubſectiones, quæſtiones inſtituemus.

SVBSECTIO I.

De Sacris Paramentis in Genere.

93 PAramenta ſacra, quibus Myſtæ celebraturi indui debent, ſunt tantùm ſex; ſcilicet, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta. Leãd. *tr.* 8. *de ſacr. diſp.* 7. *q.* 38. & omnes quamuis non deſit, qui ſine fundamen-

to addat Superpelliceum. Ita Fabius apud eumdem. Alia eorum dicuntur maiora, alia minora; maiora ſunt Alba, ſeu Tunica, Stola, ſeu Orarium, aut Palla linoſtima, vt olim dicebatur, (de qua vide Macrum *in Hierolex.* v. *linoſtima*) Planeta, ſeu Caſula. Minora verò Amictus, ſeu Humerale, Cingulum, vel Zona, & Manipulus. Ita Tonell. *in ſacr. Enchir. lib.* 1.*cap.*3. §.6. *num.*1. licèt nonnulli Amictum intra maiora reponant, quando inſeruit ad tegendum caput; vt eſt vſus nonnullorum ordinum religioſorum. Sic Paſqu. *de ſacrif. nouæ legis tom.* 2. *q.* 810. *n.* 11. & ſtolam intra minora: vt Delgadillus *de Euch. Myſter. cap.* 16. *n.* 112. dum ait: Stolam eſſe materiam minus notabilem, & alij ſuppreſſo nomine apud eumdem Tonellium; contra quos acriter inſurgit, & meritò Paſq. *cit. n.* 2.

94 Voluntariè autem omittere aliquod ex enumeratis paramentis, quale ſit peccatum, certò conſtare non poteſt, ſtante varie-

tate

tate opinionum. Aliqui enim putant omiſſionẽ cuiuslibet ex prædictis paramentis, etiam ſolius Cinguli, mortale eſse; cum quælibet veſtis notabilem habeat conſiderationem reſpectu ornatus Sacerdotalis. Ita Reginaldus *in praxi for.pœnit.tom.2.lib.29.num.*161. Temperat hanc ſententiam citatus Gobat *tr.*3.*n.*347.*&* 348. non damnando vti mortalem ſolam omiſſionem cinguli. Alij tamen docent mortale eſſe celebrare ſine aliquo ex maioribus; veniale verò ſine aliquo ex minoribus; quia maiorum omiſſio notabilem defectum inducit, non ita minorum. Sic Paſq. *queſt.* 810. *n.*5.& ita Ego ſentio.

95 Debent tamen omnia paramenta benedici, vt ſint ad ſacrificium apta. Textus eſt in *cap. veſtimenta* 42.*de conſecrat.diſt.*1. & ſub graui obligatione ſecundùm comunem Doctorum cum Paſqu. *q.*808. *num.* 2. quæ benedictio per Epiſcopum fieri debet (qui ex declaratione S. C. facultatem bene-

dicendi ſimplici Sacerdoti non poteſt delegare) vel per priuilegiatum; cuiuſmodi ſunt mendicantes. Legatur Tambur. *de ſacrif lib.*1.*cap.*3.§.2.*n.*4.

96 Sed aduertendum: quod præcepta prædicta, ſcilicet tum paramenta in Celebrante, tum benedictionem illorum exigentia, vt poſitiua, pluries non obligant, ſi rationabiles vrgeant neceſſitates; quę cum non rarò in villis practicentur, dum illarum Eccleſiæ aliquibus carere ſoleant, & ſi non careāt, ea ſunt vel ſciſſa, aut ſordida, vel non benedicta, vel tandem coloris indebiti; ideò plures inſtitui quæſtiones, ex quibus, quid tunc facere debeat Sacerdos, colligi poterit.

97 Quæſtio I. Sacerdos in villa an poterit celebrare cum veſtibus non benedictis, cùm quibus tamen alius Sacerdos celebrauerit, ſi harum ſolum copiam habeat? Reſpondeo ex dictis *n.* 53. Affirmatiuè: iam enim ſunt deputatæ ad ſacrificium; quod ſufficit,

vt

vt cum illis ſine alia benedictione celebrari poſset. Et ita docet Paſq. *q.* 804. *n.* 2. & docere debent omnes, qui putant remanere benedictas, vt Pacius Iord. *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 11. *n.* 271. & alij. Nec eſt examinandum, num bona fide fuerit cum illis celebratum, vel mala; quicquid aliter ſentiat Ciccoperius *in luc. can. lib.* 3. *num.* 18. cuius ſententiam reijcit Tambur. *de ſacrif. lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *n.* 2.

98 An autem curari debeat, vt ritualiter benedicantur? Diſcrepant Iordanus, & Paſqualigus, hic affirmando, ille negando. Tu verò affirma ex dictis *n.* 54.

99 Quæſtio II. Sacerdos prædictus non habet niſi veſtes laceras, poteſt ne cum illis celebrare? Reſpon. Si ex laceratione artificialem formam amiſerunt, nõ poteſt: ſecus ſi illam retinent: nam per retenſionem, vel amiſſionem formæ prædictæ conſeruatur, vel deperditur conſecratio. Ita Bonac. *de ſacr. diſp.* 4. *q. vlt. pun.* 9. *n.* 2. & Delgadillo *de Euch. myſt. cap.* 16.

n. 118. qui alio principio innititur: ex eo ſcilicet, quia aduerſantur decentiæ requiſitæ Iure naturali de decenter tractando tam Venerabile Sacramentum, non quia amittunt conſecrationem, quam, putat veſtes quomodocumq; laceras retinere: quod vltimum dictũ reijciemus infra *ſect.* 2. *ſubſect.* 2. *q.* 5. *à n.* 146. Limitanda tamen eſt reſponſio ex dicendis, pro illis caſibus, in quibus poterit cum veſtibus non benedictis celebrari, vt de ſe patet.

100 Quæſtio III. Quid ſi habeat veſtes refectas paulatim per partes? Reſpondeo poſſe cum illis celebrare (dummodo ſint decentes): per refectionem enim huiuſmodi ſicut non mutant formam; ita nec amittunt benedictionem. Tonell. *in ſacro Enchir. lib.* 1. *cap.* 3. §. 9. *n.* 2.

101 Quæſtio IV. An vti poſſit veſtibus, quæ ſunt ſeparatę ab interiori panno, vulgo fodera? Reſpondeo affirmatiuè. Ita Tonell. *cit. n.* 3. Ratio eſt eadem, quæ ſu-

ſupra *quæſt. præcedenti.* Idem dicas, quando veſtes ſunt duplices, ita vt ex parte intus ſint alterius coloris: quia poterunt abſq; amiſſione benedictionis ſeparari, & ſi ſingulę ſuppannentur, vt loquitur Tonellius *n.* 5. (apud nos ſi foderano) nec noua indigent benedictione. Idemq; ſupponit Io: Baptiſta Corradus *in reſponſ. caſ. cõſc. tom.* 2. *q.* 349. *ſub litt. D.* Loquendo de caſula, & ſtola dupla. Ratio eſt quia eadem benedictio ad ſuppannum extenditur, quod digniori parti inhærens, de eiuſdem præſtantia participat.

102 Et hinc fit, quod ſi ſuppannum (quod ab alijs ſuffultura nuncupatur, à nobis verò Italicè *fodera*) à veſte ſeparetur, illud ſeorſim vſurpari poteſt pro miſſa celebranda ſine alia benedictione, vt loquendo de caſula docet Iordanus: cuius aſſertum rectè extendit ad ſuppannum ſtolæ, & manipuli Gobat *in Theolog. exper tr.* 3. *n.* 368.

103 Quæſtio V. An poſſit

Sa-

Sacerdos in villa ob defectum alicuius ſacrę veſtis ex pluribus alijs immutatis vnam facere, & ſine benedictione illa vti: vtputa ex pluribus amictis albam, ex manipulis ſtolam, ex ſtolis planetam? Reſpondet negatiuè Tamburinus *de Sacrif. miſſæ lib. 1. cap. 3. §. 3. n. 7.* Quia benedictio veſtis maioris ex minoribus compactæ eſt diuerſa ab ea, qua minores benedicuntur: ideo veſtis maior ex minoribus conſuta non eſset propria benedictione ſacrata, proinde pro non benedicta habenda; quamquàm qui vteretur alba ex humeralibus confecta ſecundum Gobat *cit. nu.* 369. non poſset apertè redargui, vt ipſe loquitur, cum eadem ſit benedictio albæ, & humeralis.

Mihi videtur abſolutè reſpondendum poſse. Quia veſtes omnes vna eademq; benedictione benedicuntur; nam ſi benedicantur ſimul, id ſub vnica benedictione fit; ſi verò ſeorſim; & tunc etiam ſub eadem oratione ſacrantur, ſolùm addendo nomen veſtimenti

be-

benedicendi ex Pontificali Rom. *par.* 2. quæ varietas eſt minus conſiderabilis ad reputandum, benedictiones veſtium eſſe diuerſas.

104 Quod ſi iterum diſsuantur, ità vt redeant amictus, E. G. ex alba diſſuta ad priſtinam formam amictuū, an cenſendæ veſtes diſſutæ benedictæ? Reſpondet negatiuè Tonellius *cit. n.* 7. ſequutus Paſqualigum. Sed affirmat Tamburinus *cit. n.* 8. quem ſequor: ſemel enim ac, quòd formam artificialem retinuerint, quamuis accidentaliter mutatam, non eſt cur benedictione deſtitutæ cenſeri debeant.

105 Quæſtio VI. Eccleſia villæ habet conſuetum ornamentum pro miſſa celebranda, ſed immundum, & lacerum; ſi Sacerdos velit celebrare, an poſſit illo vti? Reſponſio. Pro certo habeo, quod ſi immunditia, & laceratio ſint tales, vt reddant veſtimenta, vel multùm indecentia, vel ridicula, illarum vſum illicitum eſſe. Procedit ergo quęſtio, quando ornamen-

men-

dicto tr. 3. *n.* 381. Neceſſitas tamen debet eſse talis, qua vrgente indecentia deprimatur: propterea quò grauior eſt neceſſitas, eò grauiorem indecentiam retundit. Et ratio eſt; quia ſtante grauitate neceſsitatis indecentia non apprehenditur, vnde nec reſultat: tota enim indecentia ex hominum apprehenſione oritur. Et hinc fit, quod Prudentes honeſtatem actionis metiuntur, ex neceſſitate, ad cuius exigentiam actio fieri oportuerit; propterea prudens vir poſset rectè exiſtimare aptum ornatum ſacerdotalem, ſi neceſsitas Viatici vrgeat, non verò ſi neceſsitas audiendi ſacrum ex feſto. Legatur Paſq. *dicta q.* 816. *n.* 4. *&* 5.

108 Ex quibus colligitur primò. Ornatum ſacerdotalem notabiliter immundum, & lacerum per ſe ſine graui culpa adhiberi non poſse *cap. relinqui nolumus* 2. *de cuſtodia Euchar.* Colligitur ſecundò peccare grauiter Sacriſtiæ Prefectos negligendo in ſacris veſti-

ſtibus requiſitam munditiem. *Ita* Gobat *dicto tr.3.nu.* 381. Meritò ergo exclamat doctus Io:Baptiſta Corradus *in reſp.caſ.conſcien.par.2.q.*349.*circa princ*: dicens.*Veh illis Sacerdotibus, qui maiorem curam adhibent, vt ſemoralia ſua ſint munda, & nitida, quam ea, cum quibus tractari debet ſanctiſsimum Corpus, & Sanguis Chriſti*. Quæ vtinam in cordibus Eccleſiaſticorum imprimerentur.

109 Quæſtio VII. Si Sacerdos prædictus non aduertens notabilem immunditiam, & lacerationẽ paramentorum, his ſe induerit, & poſt quam celebrare cæperit illorum ineptitudinem comprehẽderit, an poterit miſſam proſequi? Reſpondet affirmatiuè Paſq.*dicta q.*815.*n.*7.præualet enim, ait, præceptum de complenda miſſa quomodocumque incepta.

110 Quæſtio VIII. Sacerdos in villa an poſſit celebrare cum veſtibus Sacerdotalibus, quarum aliqua non ſit benedicta, cæteræ vero ſic? Reſpondeo reſolutionẽ

ex

ex eo pendere; num in celebrando cum veſtibus non benedictis detur paruitas materiæ? In qua difficultate negatiuè reſpondet Trullench *in praxi ſacr. lib.* 3.*cap.* 8.*dub.*18.*n.*3.& alij, quorum nonnulli excipiunt caſum neceſſitatis. Affirmatiuè verò Diana *p.*5. *tr.*5. *reſol.* 62. & alij apud, & cum Paſqualigo *q.*308. *n.*5. *&* 6. quibus addo nouiſſimè Delgadillum *de Euchar. myſter. cap.*16.*n.*113. & Tonellium *in ſacro Enchir. lib.* 1. *ca.*3.§.6.*n.*3. vbi cōcedit paruitatē materiæ etiam quando veſtis non benedicta ſit ex maioribus, & rectè: nam, vt aduertit Paſq. *cit. n.* 7. paruitas materię non eſt conſideranda ſecundùm eſse materiale veſtium,ſed ſecundùm qualitatem benedictionis,quę in omnibus eadem eſt ex dictis *n.*103.

111 Ex qua opinionum repugnantia oritur diuerſum iudicium in ſtatuendo, quale ſit peccatum cum prædicta paruitate celebrare: nam negatiuam ſententiam propugnantes aſſerunt eſse

mor-

mortale: affirmatiuæ verò ſectatores, veniale; & ſi ob rationabilem cauſam cum aliqua veſte non benedicta celebretur, etiam à veniali Sacerdos excuſabitur; vt infert Paſq. *cit.n.*11.

112 Neceſſitas autem non debet eſſe grauis, ſed ſufficit quælibet, quæ honeſtum contineat motiuum, ratione cuius præſumitur, Eccleſiam remittere leue præceptum benedictionis alterius veſtis, quæ præſumptio mihi videtur locum ſibi vendicare vrgente graui neceſſitate celebrandi, vel magnâ vtilitate, vel aliâ cauſâ iudicio Prudentum ſufficiente ex Paſq. *dicto n.* 11. cuiuſmodi puto eſſe obligationem celebrandi, vel audiendi ſacrum propter feſtum, feruorem deuotionis, velle ſuperare tentationes, neceſſitatem Sacerdotis pauperis habentis ſtipem pro celebratione, quod docetur à Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 68. *in fine.* Dum ſufficientes eas cauſas putat ad celebrandum cum cingulo non benedicto, & eadem militat ratio

pro

pro ſingulis paramentis, vt patet ex dictis.

113 Reſponſio ergo ad quæſtionem principalem eſt, quod poſſit Sacerdos in villa celebrare cum veſtibus, quarum aliqua non ſit benedicta, concurrente altera ex cauſis enunciatis *nu. præcedēti.*

114 Quæſtio IX. Sed quid faciet Sacerdos in villa, ſi veſtes ſacerdotales non benedictas tantum habeat; an poſſit cum illis celebrare, & quando? Reſpondetur affirmatiuè: quando tamen neceſſitas celebrandi vrgeat; non ſolùm illa, quæ prouenit ex metu mortis incuſſo, extra tamen fidei contemptum, vt docet meus Requeſenius *in* 1. 2. D. Tho. *lib.* 2. *diſp.* 15. *n.* 65. (vbi etiam firmat poſſe ob idem motiuum celebrari ſine altari, vel calice conſecrato. ac lumine. Sed quo ad metum iterum redibit ſermo infra *n.* 113. *&* 128.) verùm etiam quęlibet neceſſitas reſultans ex obligatione præſtantioris præcepti, quo concurrente pręſumpta volũtas Dei,

&

& Eccleſiæ ſuadet, quod potius celebretur cũ veſtibus non benedictis, quã quòd ſacrũ omittatur.

115 Hinc ſit, quod pro conficiendo Viatico,& pro celebrando coram populo die feſto aliàs miſsam non audituro, etiam ſi nullum ſcandalum timeretur ex ſacri omiſsione, poſsit celebrari cum paramentis ſacerdotalibus non benedictis. Ita Paſq. *q.* 809. *per tot.* prçſertim *n.* 5. *&* 6. quem ſequitur Tonell. *in ſacro Enchir. lib.* 1. *cap.* 3. §. 6. *n.* 4. Per miniſtrationem enim Viatici exequitur Chriſti inſtitutio; & celebrando die feſto, ſeruatur dignius præceptum, vtpote radicatum in Iure naturali diuino colendi Deum.

116 Vnde colligitur, quod ex pura deuotione non poteſt celebrari cum veſtibus, quarum nulla ſit benedicta.

117 Rogabis. In prędicto caſu an poſsit ſimplex Sacerdos veſtes illas benedicere? Reſpondeo negatiuè. Tum quia id proprium eſt Epiſcoporum, Abbatum, &

pri-

priuilegiatorum ; nec neceſsitas ſimplici Sacerdoti eam communicat facultatem: tum etiam quia ſtante iuſta cauſa lex benedictionis non vrget. Legatur Paſq. *q.* 809. *cit. n.* 7.

118 Queſtio X. Sacerdos in villa an poſsit celebrare cum defectu alterius veſtis ſacerdotalis, cuius copiam non habet? Reſpondeo. Vt ſciatur, quænam, & quanta ſit obligatio ſingularum veſtiũ ſacerdotalium, aduerto aliquos Doctores ità grauem reputare illam obligationem, vt doceant mortale eſſe, etiam ſine ſolo cingulo celebrare. Ita Leander *tr.* 8. *de ſacram. diſp.* 7. *q.*39. Iordan. *in lucubrat. can. tom.*1.*lib.*4.*tit.*1. *nu.* 265. Homobonus *in exam. Eccleſ. par.*1.*tract.*4.*cap.* 11. *n.* 99. & alij. Nonnulli verò, excepto cingulo, affirmant graue facinus eſſe celebrare abſq; altera ex reliquis veſtibus. Sic Gobat *in exper. Theol. tr.*3.*n.*347. *&* 348.

119 Alij demum temperant prædictas ſententias admittendo

mor-

mortale in omiſsione alterius veſtis maioris, ſcilicet, Caſulæ, Stolæ, Albæ; non autem in omiſsione minoris, ideſt Manipuli, Cinguli, Amictus ex dictis *n.* 93. Ratio eſſe poteſt, quia in omiſsione veſtiū ſacerdotalium eſt admittēda paruitas materię, quæ in omiſsione alicuius ex minoribus locum dumtaxat vendicare poteſt, cum alterius ex minoribus defectus de ſe non inducat grauem inordinationem.

120 Ex quibus colligitur, quod aliter diſcurrere debemus de veſtibus maioribus, quam de minoribus; proinde per duas concluſiones ad quęſtionem reſpondeo. Igitur.

121 Dico 1. Poſse celebrari cauſa neceſsitatis ſine altera ex veſtibus minoribus. Cum enim, vt dixi, ſingulę veſtes minores paruitas ſint materię, proinde tantùm prçceptæ ſub veniali, hoc propter neceſsitatem excuſari nō dubito, Gradus verò neceſsitatis, ait Tamburinus *de Sacriſ. lib.* 1.

cap.

cap. 3. §. 1. *n.* 4. non eſt valde ſtrictè accipiendus, unde excuſabit neceſſitas audiendi ſacrum, vel celebrandi ob feſtum, vel ea quæ oritur ex fervore devotionis, vel ex voluntate ſuperandi tentationem ſacrificii oblatione, vel ex indigentia eleemoſynæ reſpectu Sacerdotis non divitis. Tambur. *dicto n.* 4. & ſequitur Gobat *citat. tr.* 3. *n.* 352. Huc reduces neceſſitatem implorandi divinum auxilium pro aliqua ſpeciali indigentia, & obligationem celebrandi ex capellania, voto, promiſſione, ſtipendio jam accepto, vel alio capite ex Paſqualig. *q.* 811. *n.* 3. *&* 5. Ratio horum eſt: quia præponderat fructus ſacrificii levi obligationi ex Fagundez apud cit. Gobat remiſſivè *ad n.* 269. ſed

122 Petes. Quando adeſt defectus veſtis minoris die feſto, an poſſit licitè omitti ſacrum? Reſp. Negat Tamburinus *cit. n.* 5. eo quia defectus ille non eſt in conſideratione habēdus propter eam neceſſitatem; concedit tamen,

omitti poſſe, ſi Sacerdos inhæreat opinioni non concedenti ſine mortali ſacri celebrationem cum defectu veſtis minoris, quam retulimus, *n.* 120. Sed hanc indulgentiam, quam concedit Tamburinus, libenter negarem Sacerdoti in villa; cum expediat in villis, ubi res ſacræ minus frequenter peraguntur, ob levem defectum non omittere ſacrificium, quo devotio villas incolentium ſummè fovetur: unde omnino obligari Sacerdotem in villa ad celebrandum cum defectu alterius veſtis minoris ſentio, niſi aliter prudentię leges dictabunt.

123 Dico. 2. Poſse etiam celebrari propter neceſſitatem ſine altera ex veſtibus ſacerdotalibus majoribus. Neceſſitas autem gradus conſiderabilis eſſe debet: ſic ad vitandam mortem, niſi hæc incutietur in fidei contemptum, id licebit. Tambur. *cit. n.* 6. Rurſus licebit ob neceſſitatem miniſtrādi Viaticum, vel alterius gravis indigentiæ, vel implendi præce-

ptum

ptum naturale divinum de ſacrificio offerendo (quod quale ſit diximus ſupra *n.*35.) Paſq.*q.*811. *n.*9.ubi quamvis excipiat Stolam, hujus tamen defectum in celebratione ad comunicandum infirmũ permittit Gobat *dicto tr.*3.*n.* 352. Tob. Lohner *de Sacrif.miſſ. par.*1. *tit.*3.§.2.*n.*2. & à fortiori admittet Delgadillus ſtolam inter minores veſtes computans, ut diximus *n.* 92.

124 In caſu autem minoris neceſſitatis, qualis eſſet ea, quæ oritur ex obligatione audiendi ſacrum ob diem feſtum, vel ob pręſcriptum regulæ, aut fundationem beneficii, non licet cum omiſſione veſtis majoris celebrare, quod à fortiori docebit Gobat *n.* 352. vbi ob eas cauſas non admittit in celebratione defectum ſtolæ, aut manipuli. Et meritò; quamvis enim utrumq; præceptum ſit eccleſiaſticum; illud tamen veſtium majorum eſt præcipuum:& licèt ob diem feſtum putet celebrari poſſe ſine ſtola Del-

gadillus *cap.* 16.*n.* 112. & ſine caſula, aut ſtola Ragucius *in tract. de Voce Canon. &c. ſub tit. de miſſ. in Eccl.q.*27.*n.*1. & probabile putat Lohner *cit. n.* 1. (malè interpretans Tamburinum apud Gobat) ſolum defectum albæ,& planetæ non admittens; ego tamen non aſſentior.

125 Ex quibus colligitur, quomodo ſe gerere debeat Sacerdos in villa celebraturus, quando alterius veſtis ſacerdotalis defectum patitur.

126 Advertere tamen hìc non omitto pro Sacerdotibus meticuloſis, quod ſi ſtante neceſſitate legitimà celebrent ſine ſtola, vel cingulo (idem dic de reliquis veſtimentis) nulli ſubjacent pœnæ, nec poſſunt ab Epiſcopis puniri, ut tádem annotat doctus Jo: Adamus Vveber *in Nucl. Jur. Epiſc. par.*2.*v.miſſa, n.*20.

127 Quæſtio XI. Quid faciet Sacerdos in villa, ſi ob legitimam cauſam incepit celebrationem ſine ſtola, quæ tamen poſt inceptũ

ſa-

ſacrificium ſit delata; an teneatur illa inducre? Reſp. Reſolvo quæſtionem ex Gobat *tr.* 3. *n.* 341. ubi caſum accidiſse teſtatur cuidam ſacrificanti ſine illa ob inadvertentiam, quam tamen ad illum Eccleſiæ Rector, dum celebrabat, miſit: hic enim Auctor conſultus de eventu, imprudentiæ notà inuſit eum Rectorem, eo quia miſit ſtolam. Ita *loco cit. n. ſequentibus*; non debebat enim corrigere Sacerdotem inculpabiliter erranté, dum ex ea correctione non leve incommodum celebranti reſultare poterat ob publicam mortificationem, & diſtractionem à devotione; cenſuit tamen, Sacerdotem teneri induere, ſi paucos habuiſſet obſervatores (prout habebat) ſicut non teneretur ſi multos. Ita *n.* 345. juxta cujus Doctoris mentem quæſtionem propoſitam reſolvo; unum dumtaxat addendo, quod ſi in villa plures ſint obſervatores, adhuc Sacerdos obligari videtur, niſi aliter expediat, cùm adſtantes advertere

debeant Sacerdotem non ex inadvertentia defectuoſa, ſed neceſſitate compulſum ſine ſtola celebrationem incepiſse.

128 Quæſtio XII. Sacerdos in villa, an poſſit aliquando cum ſolis veſtibus ordinariis abſq. ſacerdotalibus ſacrificium offerre? Reſpondeo *primò*. Si timore mortis extra fidei contemptum, deterreatur, adſtringaturq; quãvis Cajet. *in* 1.2.*q.* 96. *art.* 4. §. *ſed hanc opinionem* verſu *ſimiliter*, & alii quos citatos ſequitur Paſqual. *q.* 813. *n.* 5. (qui tamen permittit *n.* 9. *& ſeq.* eo caſu poſse celebrari cum ſola ſtola, vel caſula, vel alba, ſimul cum amictu, & manipulo) & probabilius putat Tambur. *de ſacrif. lib.* 1. *cap.* 3. §.1. *num.* 6. quamvis, inquam, prædicti, & alii Auctores id negent; tamen illorum ſententia dura viſa eſt Fernandez *in exam. Theol. mor. par.* 3. *cap.* 5. §. 13. *n.* 2. & rigida Ragucio *ſupra cit. q.* 25. *n.* 3. unde affirmãt Mendo *in epit. v. miſſa n.* 14. Gobat *tr.* 3. *n.* 328. *&* 350. & alii gra-

viſ-

viſſimi Doctores; non enim leges poſitivæ tam ſtrictè obligant, ut adeo grave periculum parvi pendi præcipiant.

129 Reſpondeo *ſecundò*. Si urgeat Jus naturale divinum (de quo diximus *n.* 35.) de ſacrificio offerendo, probabilius puto non poſſe ſine ſacerdotalibus paramẽtis celebrari; quia non videtur Jus prædictum obligare ad ſacrificandum ſine ullo ſigno ſacerdotali, quod in veſtibus conſiſtit.

130 Nec obſtat, quod ſicuti poteſt urgente naturali Jure celebrari ſine altari conſecrato ex dictis *n.* 36. ita & ſine omnibus paramentis: clara enim eſt diſparitas; Nam defectus altaris non eſt tam conſiderabilis, quàm omnium paramentorum, cùm horum omiſſio deformitatem contineat magnam, non verò illius: propterea irreverentia, quæ ex magna deformitate reſultat in omiſſione omnium paramentorum, facit ceſſare Jus naturale celebrandi; non ſic defectus altaris, qui cum, ut

dixi, ſit minus conſiderabilis, prædictum Jus enervare poſſe non videtur.

131 Reſpondeo *tertiò*. A fortiori non poſſe celebrari ſine omnibus ſacerdotalibus ornamentis cauſa dandi Viatici. Sic Paſqual. *q.* 812. *n.*3. quicquid aliter ſentiat Delgadillus *cap.* 16. *n.* 111. Nam quamvis urgeat tunc divinum præceptum, hoc tamen non cadit ſupra materiam ſimpliciter neceſſariam: unde non obligat, niſi quando legitimè confici poteſt. Quod autem Viaticum non ſit eo modo neceſſarium; patet, dum contritione, vel confeſſione poteſt Fidelis juſtificari.

132 Adverto tamen Paſqualigum dicta *quæſt.* 812. *n.*6.*&* *ſeq.* plures cumulare rationes, ſuadentes, eo caſu ſufficere ornamentum ſolius ſtolæ, quas aliis examinandas propoſuit nil determinare volens.

133 Ex quibus fit, non poſſe Sacerdotem inter hæreticos, vel alios Infideles commorantem ſine

ſa-

ſacerdotalibus indumentis celebrare ad Catholicorum ibi degentium ſolatium, vel ſpiritualem fructum. Ita Marchinus *de Sacr.Ord.tr.*3.*cap.*14.*n.*7.

134 Rogabis. Demus, quod Sacerdos aliquis illicitè ſine ſacris veſtibus celebret; an ſic celebranti aſſiſtentes ſatisfaciant præcepto de audiendo ſacro? Reſp. Affirmat Venerus *in exam.Epiſc. lib.* 1. *cap.* 10.*n.*47.jam enim verificatur, quod ſacro interſunt, nec aliqua urget in contrarium ratio.

Reſolvuntur nonnulla circa prædicta.

135 QUæſtio XIII. Sacerdos in villa non habet ſchedulam orationum recitandarum, dum paramentis ſe parat, nec menti eas retinet; an debeat omittere ſacrum ex pura devotione celebrandum, ne illum defectum committat? Reſp. Affirmativè videtur reſpondendum ex doctrina Siluii *in* 3.

*par.q.83.art.6.*Graffii *in deciſ.par.* 1.*lib.2.cap.*41. & aliorum ſentientium, omiſſionem illarum orationum eſse tranſgreſſionem præcepti gravis. Sed reſpondeo non teneri abſtinere à ſacro: quia omiſſio orationum eſt involuntaria, proinde inculpabilis. Nec eſt vera ſententia prædictorum Auctorum: unde docent comuniter Doctores, etiam omiſſionem non eſse gravem, dum præcepto levi opponatur. Ita Scortia *de ſacrif. miſ. lib.2.cap.8.n.*14.Mendo *in append. ad epit. ſub tit. de Immunit. num.* 5. ultra quod non deſunt, qui aſserant, orationes prædictas omittere, neq. eſse veniale, ut Delgadillo *cap.* 16. *n.* 162. cui me non ſubſcribo.

136 Quæſtio XIV. Suppoſitò quod celebrans non poſsit paramenta de altari ſumere, niſi ſit Cardinalis, aut Epiſcopus (& niſi conſuetudo aliter introduxerit) ut decrevit Sacra Rituum Congregatio *die* 5. (*alias* 7.) *Julij* 1612. apud Lohner *in inſtruct.*

de

*de ſacrificio par.2.tit.1.n.*IV. quæritur, quid faciet Sacerdos celebraturus in Eccleſia villæ, in qua non habet locum ubi veſtimenta ſacerdotalia præparet; an poſsit illa de altari ſumere? Reſpondeo affirmativè:non credo enim, quod Eccleſia etiam cæremoniam,præciſo contemptu, levem, ut infra, ſervari potius velit, quam ſacrum omitti. Benè verùm, quod veſtes ex altari induendæ in cornu Euãgelii aptari debent, ut notat Gavantus *in Rubr. Miſs.par.* 2. *tit.* 1. *n.2.in princ.* & noviſsimè Tobias Lohner *de ſacrif. miſ. par.* 2. *tit.* 1. *q.* 4. Abbas Pompejus Sarnellus vir reconditæ eruditionis *in comment. ſupra tit. miſ. par.2.* §.2. *n.6.* ubi advertit, id fieri non debere, ſi in altari ſit expoſitum Sanctiſsimum Sacramentum.

137 Dixi ſupra in parentheſi, (*& niſi conſuetudo aliter introduxerit*) quia Pacius Jordanus *tom.* 1. *lucubr. lib.* 4. *tit.*1.*n.*280. & alii ſentiunt, decretum prædictum nõ obligare, ubi conſuetudo eo non

obſtante contrarium præſcripſerit; quia ſicut conſuetudo legibus derogandi, vel eas abrogandi vi pollet, cur etiam id contra decreta Sacræ Congregationis non poterit?

128 Rogabis. Quale eſt peccatum ſine neceſsitate, aut rationabili cauſa veſtes de altari ſumere, præciſo tamen contemptu? Reſpon. Ex Quarto *in Rubr. Miſ. par.2.tit.2. dub.*4. veniale non excedere: & quamvis Paſqualigus *q.*817.*n.*4. putet id nullam culpam trahere, niſi quando modus ſumendi Epiſcopalis uſurpatur, quo caſu veniale dumtaxat admittit; tamen ei meritò non acquieſcit doctiſsimus D. Joſeph. Marchiſi *in memor. Sacerd.ſchol.6.n.16.* nam ſive modus epiſcopalis uſurpetur, ſive non, ſemper contra decretum operatur.

139 Hinc fit, quod quælibet cauſa rationabilis, quamvis levis, cohoneſtat ſumptionem veſtium de altari: propterea poterit Sacerdos infirmitatis causà, puta po-

da-

dagræ, debilitatis crurium &c. vi cujus non poteſt commodè accedere, & recedere ab altari, ſe ſacris indutus ſupra altare parare Paſqualigus *cit. n.* 5. quamvis nec Marchiſius *cit.* acquieſcat.

SUBSECTIO II.

De Sacris Paramentis in Specie.

140 IN hac ſubſectione de modo, quo ſingularibus veſtium defectibus occurri poſſet, agemus, ut Sacerdos in villa ſciat in ſpecie eos ſupplere, ultra eos modos, quos ex dictis in genere excogitare poſſet.

141 Quæſtio I. Sacerdos in villa non habet cingulum, quomodo huic defectui obviabit? Reſp. Vel uti poterit recticulis, ſeu vittis, quas habet intus caſula in anteriori parte, ſecundum Paſqualigum *q.* 810. *n.* 13. vel alià ſto-

ſtolà; (de quo iterum redibit ſermo *n.* 50.) qua loco cinguli ligabitur juxta Vveber *in nucle Juris Epiſc.par.2.v.miſſa n.* 20. Uterque occurſus videtur rectus; quia cinguli forma non eſt determinata, nec materia; & quamvis debeat cingulum eſse benedictum, benedictio prædictis non deficit; dum ſtola ſupponitur benedicta, & recticulæ, cùm ſint caſulæ alligatæ, illius benedictionem participent. Ex quibus fit, quod nulla neceſſitas requiritur ad ſic occurrendum defectui cinguli, ut etiam colligitur ex eodem Paſqualigo.

142 Quæſtio II. Quid ſi habeat cingulum, ſed ruptum? Reſp. Occurret Delgadillus *de Euch. cap.* 16. *n.*119. permittendo, quod nectatur etiam ſi in multas partes eſset diviſus. Occurret etiam Leander *de Sacrif.diſp.*7. *q.*46. dicens, ſi utraque pars ſufficiet ad cingendum, poſſe altera ligari, cùm utraq. pars retineat benedictionem; id quod Diana *par.* 2.*tr.* 14.*reſol.*57. *& tr.*15.*reſol.*4. per-

mit-

mittit etiam, quando neutra ſufficiet ad cingendum (à qua tamen ſententia diſcedit *par.10.tr.15.reſol.28.* verſu *nota etiam*) ſed quãvis ego Dianam hìc retractatum ſequar, ex eo quia, quando neutra pars ſufficit ad cingendum jam mutavit formam, evaditq. inæptum, & mutata forma benedictio perit ex dicendis infra hic *q. 5. per totam*; tamen ſequor etiam Gobatum *tr.3.n.*354. & 368. doctrinam Dianæ *in dicta reſol.* 57. ſaltem practicè ob auctoritatem non improbabilem exiſtimantem. & juxta hanc Gobati ſententiam accipi debet ſententia Jo: Adami Vveber *in nucle. Juris Epiſc. par.2. v. Miſſa n.*20. ajentis, quod quando Sacerdos nectit cingulum, cujus neutra pars ſufficit ad cingendum, eoq. cingatur, non poteſt ab Epiſcopo puniri.

143 Quæſtio III. Quod ſi habeat cingulum non benedictum? Reſp. Quamvis ex dictis *n.* 110. pateat aliquos Doctores in celebrando cum paramentis non bene-

nedictis non admittere parvitatem materiæ, patet etiam ex veriori ſententia relata ibidem, eam parvitatem dari; id quod neq.veniale peccatum inducit urgente aliqua neceſsitate, vel utilitate ex relatis ſupra *n.* 112. quas Diana *ibi citatus* ſufficientes putat ad celebrandum cum cingulo non benedicto.Et quamvis Leander *tr.*8. *diſp.*7. *q.*44. exiſtimaverit cũ cingulo non benedicto celebrare eſſe mortale, licèt id fiat ex juſta causa; illum tamen, & meritò, reiicit Delgadillus *de Euchar. myſter. cap.*16. *n.*115. propterea Sacerdos in villa urgente legitima cauſa poterit cum cingulo non benedicto celebrare; aliàs venialiter peccabit.

144 Quæſtio IV. Veniale prædictum an vitari poſsit, ſi Sacerdos velit ſacrificare nulla ad ſacrificandum impellente utilitate, vel neceſsitate, puta ſi Sacerdos eſſet dives, & eſset dies ferialis, & nulla legitima cauſa miſſam exigeret? Reſp. Videtur, quod

quod ſic, ſuendo cingulum non benedictum caſulę, nam per unionem tunc cõtinuatur benedictio: ad eum modum, quo partes additę veſtibus refectis ſucceſsivè per partes evadunt benedictę ob continuationem, & ſicut licitè uti poterit etiam ſine cauſa recticulis, ut diximus *n.*141. ita, & cingulo non benedicto caſulæ benedictæ unito, quod ratione unionis pro recticulis inſeruit. Hæc reſponſio quamvis ſit nova, nec ſciam, qui illam defendat; mihi tamen non diſpliceret, ſi auctorem haberem.

145 Quæſtio V. Sacerdos prędictus habet Albam ſine manicà, poterit ne cum illa celebrare? Reſp. Negat Bonac. *de Sacrif.diſp.*4. *quæſt. vlt. pun.*9. *n.*27. quia eſt inepta ad ſacrificium, etiam ſi eadem manica illi aſsuatur; & multo magis ſi manica fuerit de novo facta, & addita ſtante quod prior erat dilaniata. Cicсoperius *in lucubr.can. lib.*3.*n.* 18. Limita hanc ſententiam pro

iis

iis caſibus, in quibus cum aliqua veſte non benedicta celebrari poteſt, quos numeravimus ſupra *n.* 120. hæcquè adverti velim, ut cuſtodiantur.

146 Et eſt iam locus examinandi doctrinam Delgadilli, quam hìc trutinandam non ſemel remiſimus: in qua docet *dicto cap.* 16. *n.* 117. quod poſset Sacerdos celebrare cum alba, cui unita fuerit manica. Sentit namque hinc Auctor contra comuniſsimum Doctorum, quod nulla veſtis (ſunt verba ipſius Doctoris) amittit benedictionem per ruptionem, aut ſeparationem unius partis ab aliis, ſed omnes, & ſingulæ ejus partes, etiam ſi minutiſsimæ ſint, poſt ruptionem, aut ſeparationem retinent eamdem benedictionem partialem, qua gaudebant ante ruptionem, ſeu ante quam dividerentur à toto, ſeu inter ſe ſe. (& ſubdit rationem) Quia non capitur, quomodo benedictio abſolutè data ſuper albam v. g. afficienſque omnes, & ſingulas illius

par-

partes poſsit amitti quacumq.ruptione ſuperveniente; quod confirmabamus exemplis aquæ benedictæ, panis benedicti, Agni Dei, &c. quorum partes aquæ benedictæ manent poſt ſeparationem, ac ante illam, non alia ratione, niſi quia abſolutè fuerunt benedicta aqua, panis, Agnus Dei &c. Hæc doctus Delgadillo. Qui ſtante prædicta ratione etiam ſubſtinet, quod altare quomodocũque fractum, ſi uniri poſsint illius fragmenta, conſecrationem non amittit; nec veſtes quovis modo laceræ benedictionem, ut retuli ſupra *num.* 45. & 99. & calicem in plures diviſum partes, ſi artiſiciosè uniri poſset, conſecrationem retinere, ut referam infra *num.* 193. Quæ fusè retuli contra noſtrum inſtitutum, eo quia, cum ſint contra communem omnium, non debent abſq. reſponſione prætermitti.

147 Reſpondeo igitur, quod Delgadillus, & quiſquis cum eo ſentit, ut capiat, quomodo per

ru-

ruptionem benedictio amittatur, percurrere debet *cap. quod in dubiis 3.de conſecr.Eccleſiæ* dum enim ibi leget, quod *altare in quo tabula, cui conſecrationis benedictio pontificali miniſterio adhibetur, ſi mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò conſecrari*, comprehendet, quomodo id etiam evenire poſset in ſacris paramentis. Et ſi de hujuſmodi canonica ſanctione rationem à priori expoſcat, pro reſponſione dicam; quod quamvis hoc non eſset neceſsarium, dum Jura ita diſponãt: tamen optima aſsignari poteſt, ſcilicet, quia pereunte forma artificiali rei benedictæ perit ſubjectum, cui benedictio tamquam acceſsorium inhærebat, ad eum modum quo, ut ex phyſicis habemus, accidentia pereunt pereunte ſubjecto (ſit illud quantitas, quod verius puto, vel ſubſtantia, juxtà Phyloſophorum nonnullorum ſententias) in quo recipiuntur, naturaliter loquendo.

148 Ad rationem in contrarium

rium reſpondetur aquam benedi-ctam, & panem, Agnoſq. Dei re-tinere benedictionem in partes etiam diviſas, eo quia illorum ef-fectus non pendet ſolùm ab uſu totius, ſed etiam ab uſu partis; ideo cenſentur benedictæ illorum partes, non ſolum conjunctim, ſed etiam ſcorſim ſumptæ; ſic ex quantitate aquæ benedictæ non-nullæ guttulæ deſumptæ ſuffi-ciunt ad fugandum dæmones,&c. non ſic ſufficit pars caſulæ E. G. ad celebrandum, quoniam para-menta non in parte, ſed in totum deſeruiunt.

149 Advertendum tamen omnino eſt, quod quando dicitur altare fractum notabiliter (idem dic de calice, patena, & veſtibus ſacris, notabiliter deformatis) amittere conſecrationem, vel be-nedictionem; verba *conſecratio, & benedictio*, quamvis duo dicant primum habitudinem ad rem ſa-cram peragendam; ſecundum: quamdam veluti ſanctitatem, vi cujus venerationem res conſecra-

tæ,

tæ, aut benedictæ merentur, à nobis tamen hìc accipiuntur ſecundùm priorem ſignificationem, nó juxta ſecundam. Hinc aſſerimus, quod altare fractum amittit aptitudinem ad ſacrificium, non verò qualitatem venerationem exigentem: cujus ratio eſt, quia ut advertit Angelicus Præceptor *in* 3. *par. q.* 83. *artic.* 3. *ad tertium* res conſecratæ per conſecrationem aliquam ſpiritualem virtutem adipiſcuntur; quam ſanè non amittunt per fractionem, dum Canones imperant, quod ligna Eccleſiæ dicata non debent ad uſus laicos converti *cap. ligna Eccleſiæ de conſecr. diſt.* 1. & altaris palla, Cathedra, Candelabrum, & Velum ſi fuerint vetuſtate conſumpta comburi debent, & cineres in ſacrarium mitti, vel in pariete, aut ſubtus pavimentum recondi *cap. altaris palla loco cit.* cujus rationem ſubdens idem textus ait: *ne introeuntium pedibus inquinentur*: patet ergo, quod altare etiam fractum conſecrationem ſecun-

cun-

cundo modo acceptam retinere, alias converſio in uſus laicos lignorum non vetaretur, & cineres ubivis proiici poſſent.

150 Quæſtio VI. Sacerdos in villa caret manipulo, ſed habet binas ſtolas, an poſſit uti una pro manipulo, & alia pro ſtola? Reſpondetur affirmativè: prędicta enim non habent figuram determinatam. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 57. Idem dicendum, quando non habet ſtolam, ſed habet duos manipulos; quia tunc longiori uti poteſt pro ſtola. Ita Conradus *par.* 2. *reſponſorum quęſt.* 349. Similiter uti poterit ſtola pro cingulo Tonellius *in ſacro Enchiridio lib.* 1. *cap.* 3. §. 6. *n.* 2. & innuimus ſupra *n.* 141. & hoc etiam quando nulla concurrit neceſsitas celebrandi, & etiam quando ſunt diverſi coloris: utrumq. docet Paſqualigus *de Sacrif. q.* 807. *n.* 2. & 4.

151 Rogabis. Sacerdos prædictus ſi, juxta firmata modo ſupra, deficiente cingulo utatur ſtola, & loco hujus manipulo, an poſ-

poſſet puniri ab Epiſcopo? Reſpondeo negatiuè cum Jo: Adamo Vveber *in nucleo Juris Epiſcopalis p.* 2. *v. Miſſa n.* 20. non enim eſt cur tunc puniri Sacerdos mereatur cum legitimè operetur.

SUBSECTIO III.

De Colore Paramentorum.

152 ECcleſiaſtica conſuetudo ſacra indumenta altaribus,& Sacerdotibus deſtinata non uno colori, ſed pluribus mancipavit, ſcilicet, Albo, Rubro, Viridi, Violaceo, & Nigro;quorum colorum uſum non indiſtintè,ſed variè permiſit, & indixit ſecundùm temporum diverſitatem, id quod præter eccleſiaſticam conſuetudinem Rubrica,*ſub titulo de colore paramentorum n.* 1. prĉſcripſit. Hanc autem Rubricam purè directivam communis Doctorum interpretatur teſte Tonellio *in ſa-*

*ſacro Enchiridio lib.*1. *cap.* 3. §.12. *n.* 1. Nos verò, qui (vt innuimus *n.* 4.) omnes Rubricas eſſe præceptivas ſentimus, conſequenter firmamus, colores paramentorum ſub præcepto cadere, quod regulariter leve reputatur.

153 Hinc fit, quod unum pro altero colore ſubrogare ſine cauſa iuxta noſtram ſententiam ſit peccaminoſum, iuxta verò communem minimè: propterea miror Paſqualigum *de ſacrif. q.*798. *n.* 5. agnoviſſe veniale in indiſtincto uſu colorum, quoniam nullum debebat potius agnoſcere, ſemel ac quod *n.*3. Rubricam colorum directivam, non præceptiuam appellaverit, neq. conſuetudinem esse obligatoriam firmaverit *n.*4. ſi ergo peccari variando colores ſine cauſa putat, fateri etiam debet, variationem præcepto alicui opponi, nullùm enim peccatum committitur, quod alicui præcepto non obſtat. Sed quidquid ſit de varietate prædictarum opinionum, ſentio, quod aliqua ex

cauſa ſine ulla culpa licitè unus color loco alterius ſubrogatur, quod quando contigere poteſt Sacerdoti in villa in ſequentibus quæſtionibus reſponſiones dabimus. Ideo ſit

154 Quæſtio I. Sacerdos in villa non habet paramenta, niſi unius coloris; an poſſit iis indiſcriminatim uti? Reſp. Ita planè: maximè ſi ſint aurea, vel aurei coloris, qui cœteros colores eminenter continet Paſqual. *q.798. n. 5. & 6.* & licèt Quartus *in rubr. miſs.par.1.tit.18.dub.2.* neget colorem aureum posse ſubſtitui loco violacei, aut nigri, ex eo quia color aureus ſit feſtivus; tamen id concedit Paſqualigus *dicto n.6.* ex eo quod aurei coloris pallor congruit pœnitentiæ, & triſtitiæ, ratione quarum prædicti colores adhibentur. (Magis quod flavedo naſcitur ex mixtione coloris albi cum nigro, albo prædominante; ſub qua comprehenditur luteus color, cereus, aureus, melleus, citrinus, fulvus, & ſimiles, ſecundum

dùm Gasparem Ensl. *in Prodromo Thaumaturgi phyſici problema* 22. verſu *ſin autem*) Et quamvis requiratur aliqua cauſa, ut unus color loco alterius ſubſtituatur; nihilominus causam puto ſufficienter haberi per hoc, quod Sacerdos in villa congruos colores in paramentis villæ non habeat: & in hoc non agnoſco alicujus ponderis difficultatem: benè tamen in ſubſtitutione coloris nigri, pro coloribus addictis diebus lętitiæ, num ſcilicet adhiberi poſſit? Pro qua ſit

155 Quæſtio II. An color niger adhiberi poſsit diebus coloris lętitiæ? Reſp. Pro certo habeo, quod ſi urgeat ſcandalum, vel negligentia, vi cujus apti coloris veſtes non procurantur, cum poſſit, id non licere: ſi verò nullus ex prædictis titulis, vel ſimilis urgeat, & præscindamus à rationabili causa, illicita eſt ſubrogatio nigri coloris in locum albi E. G.; contineret enim id contemptum, & irreuerentiam, vt docuit paſ-

qualigus *cit. n.* 5. ubi etiam firmavit ſubſtitutionem prædictam poſse eſſe mortale ratione alicujus circumſtantiæ; puta, ſi publicè adhiberetur, maximè in aliqua ſolemnitate: propterea in subrogatione coloris nigri loco coloris lætitiæ exigit maiorem cauſam, quę ſcilicet ſufficiat ad excludendum contemptum, & irreverentiam, quod prudentis arbitrio remiſit iudicandum. Ut autem in particulari de nigro colore, de quo ex modò dictis conſtat ex rationabili cauſa poſſe loco coloris lætitiæ ſubſtitui, diſſeramus: ſit

156 Quæſtio III. Pro usu indiſtincto nigri coloris ſufficit ne obligatio celebrandi propter feſtum? Reſpondeo, negaſſe Quartum *in rubr.miſs.par.*1. *tit.*18. *dub.* 1. verſu *colligitur ſecundò*, in caſu quo timetur grave ſcandalum; ut ſi quis die Reſurectionis celebraret publicè in paramentis nigris; quia, ait, tunc mortale committeretur.

157 Ego vero ſuppoſito, quod

or-

ordinationes Rubricæ circa colores, ut dixi, transgredi regulariter ſit leve, & præ oculis habens defectum ſacri indumenti debiti coloris, concederem die feſto, quamvis lætitiæ, uſum paramentorum nigri coloris. Nec me ab hac opinione averteret ſcandalum imminens; quoniam huic occurri poterit monendo populum de aptioris coloris paramenti defectu: & multò minus contemptus, quem omnino ceſſare ſentio, per hoc quòd Sacerdos honeſto fine, ac non valens obviare defectui ad ſic celebrandum ducitur. Quæ reſponſio eſt applicabilis, tum quando celebrari debet propter feſtum, tum quando devotio ad celebrandum impelleret.

158 Hanc reſponſionem valdè firmat Gobat *in exper. Theol. tom.* 1.*tr.* 3.*n.* 382. cui non diſſentit Lohner *in inſtruct. Sacrificij miſ. par.* 1.*tit.* 3.§.2.*n.* 11. vbi poſtquam ſtatuerit esse lethale ratione ſcandali adhibere paramenta nigra,

die Reſurrectionis neglectis albis,aut rubris,quæ habentur,ſubdit : sed utiq.quocumq. die ſatius eſt facere ſacrum in quocumq.colore, quam omittere.Hæc celebris Gobat.

159 Fateor reſponſionem limitationem pati poſſe , in caſu quo Sacerdotis prudentia aliter judicaret, ut ſi videret populum inclinantem potius ad omittendam auditionem ſacri,ſi esset dies feſtus;vel ſi ferialis,ad privandum ſe hujuſmodi ſpirituali conſolatione, quàm aſſiſtere ſacro celebrato in nigris paramentis, quod ex nimia religioſitate indecentiſsimum putaret.

Occaſione prædictorum referre obiter non omittam id,quod in hac Urbe Panormi vidimus;tempore, ſcilicet,paſchali anni 1694. Sacroſanctum miſſę ſacrificium in omnibus Eccleſiis,etiam Regularibus,in paramentis violaceis per quadraginta dies juſſu Illuſtriſſimi Domini mei Archiepiſcopi celebratum, quamvis pro miſſis

de-

de feſtis eo tempore occurrentibus alium colorem Rubrica præſcriberet.

Tam funeſtæ Cæremoniæ motivum præbuit ſacrilega manus, quæ ex Eccleſia hujus Urbis Sanctæ Mariæ de Mercede Patrum Mercennariorũ Calceatorum Sãctiſſimam Euchariſtiam ſurripuit, quod ſanè horrendum facinus adeo omnium corda ſcidit, ut undique ploratus, & ululatus reſonabat anhelando Dominum, quem ex præcordiis unuſquiſque propriâ vitâ redimere peroptabat, ut à manu impii ſanctitatis typus eximeretur.

Ad Divinam implorandam miſericordiam, ut cœleſtis panis filiis eſurientibus reſtitueretur. Illuſtriſſimus Præſul proceſſionem pœnitentiæ indixit, quam Dynaſtæ lugubri veſtitu, Religioſi ordines, Clerus, & demum Canonici cum Præſule ſpinis coronati, & funibus ad collum alligati formabant, & perſiciebant.

Enarrari non poteſt quot, & quas lachrymas populus ubertim profuderit videndo proprium Paſtorem (etiam ligneæ Crucis pondere, quam ſuper humeros geſtabat, preſſum) non uti Simeonem de Iſraelis redemptione lætantem, ſed quaſi Tobiam ſuſpirantem, *quale erit mihi gaudiũ, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video*? Nec mœror, quem lugubris campanarum pulſus, altaria ornamentis denudata, ac violaceis veſtita, Cruces velatæ, officia ſine modulationibus recitata animis ingerebat explicari poteſt; ſane omnium mentes in ſacrilegum collimabant; & nil aliud præter Theſaurum Eucharisticum comparandum meditabantur.

Omitto referre miſſam pontificalem in Cathedrali celebratam pro remisſione peccatorum, & aliam cum aſſiſtentia solum pontificali de Septem Doloribus, ac alias, in omnibus, & ſingulis Eccleſiis in dictas per edictum cele-

bratas, omitto inquam prædicta, & alia, omnium enim luculentam effigiem eruditus calamus in monumentis mei Reuerendiſſimi Capituli delineauit, ad quam me remitto.

Hac ergo occaſione, ut præfatum eſt, à Feria II. poſt Paſcha per quadraginta dies in paramẽtis violaceis miſsæ etiam dierum lætitiæ in mœroris ſignum celebratæ fuerunt. Nec abſque exẽplo: id ipsũ enim anno 1637. mẽſe Auguſti Panormitanam Eccleſiã Eminentiſſimo Cardinali D. Joãnettino ab Auria moderante factum fuit, ut ex manuſcripto Codice Magiſtri tunc temporis Cæremoniarum mihi conſtat, & ſimili motiuo, quia ſcilicet in Ciuitate Leocatæ Euchariſtiæ furtum patratum fuit; ut videre eſt apud Pirrũ *in Notit. Eccleſ. Agrigent. ubi de* Leocata *fol.* 341. Sed redeamus ad noſtrum inſtitutum.

160 Quæſtio IV. Pro uſu coloris nigri die lætitiæ an ſufficiat conſuetudo, ſeu, vt melius dicam,

conceptus, vi cujus color niger extimatur feſtivus, albus verò luctuoſus? Reſp. Prædictam exiſtimationem apud Indos reſidere ex Maffejo refert Vveber *in arte diſcurrendi fonte* 83. *exemplo* 9. §. *de coloribus* (Indi enim, ait, è coloribus feſtum habent nigrum, atq. puniceum: albus in luctu eſt) Suppoſito igitur, quòd ex diverſo uſu coloris albi, ac nigri inter Indos, & Europæos varius reſultet conceptus apud eoſdem; conſequenter fit, quod tempore feſtivo uſus albi coloris apud Indos diſſonus ſit, ſicut & albus tempore lugubri penes Europæos, ad eum modum, quo nigredo Æthiopum, apud gentes nigras nullam deformitatē præſefert, benè verò apud albas: indeque fit, quod Æthiopes cenſentur irregulares pro ſuſcipiendis ordinibus, apud gentes albas, ſecus verò inter nigras, ut firmat Leander *de pœnis Eccleſ. tract.*2.*diſp.*2.*quæſt.*39. propterea videtur, quod Sacerdos celebrans apud nos Europæos uti debet albo

bo diebus feſtis colorem albũ requirentibus, & nigrum diebus luctuoſis,apud verò Indos è contra.

161 Nec obſtat Rubrica tempore paſchali E. G. colorem album præfigens; quia non obligat: quamvis enim ceſsante fine legis in particulari contrariè, ſi ad ſuperiorem recurri poteſt lex non ceſsat.Coton.*lib.*1.*contr.* 1. *n.*137. in caſu tamen , in quo verſamur, omnino debet cessare Rubrica , cum hujus finis in universali ceſſet, & ad ſuperiorem recurri non poſſit;deberent tamen Indi ad Sedem Apoſtolicam recurrere , ut concedat, quòd conſuetudini inſerviant , pro ut fecerunt Sinæ pro pilei uſu in celebratione apponi ſoliti , de quo dicemus infra *n.* 323. quorum petitioni annuit Paulus V.Interim tamen,dum verificatur, quod finis cesset in universali , & non ſit facilis aditus ad Summum Pontificem , poſsunt tum incolæ , tum indigenæ tetro colore in feſtis lætitiæ , & albo in luctuoſis uti.

162. Quæſtio V. Sacerdos in villa eo die, quo eſt recitanda miſſa de tempore occurrenti, an poſſit recitare votivam, eo quia paramentum, quod correſpondet miſsæ de tempore eſſet minus decens, ut puta ſordidum, aut lacerum, congruum verò correſpondens miſsæ votivæ? Reſp. Affirmat Paſqualigus *q.* 242. *num.* 7. ubi idem dicit, quando apparatus calicis eſſet etiam minus decens (quod meo judicio non ſufficit) & ſubdit, hoc eſſe intelligendum, etiam quando indecentia eſt modica.

163 Rogabis. An tunc potius deberet miſsam currentem cum paramento non congruente celebrare, quam votivam cum congruente? Reſp. Affirmat Paſq. *q.* 244. *n.* 12. Quia color apparatus eſt minoris momenti, quam ſit congruitas miſsæ cum officio duplici, præſertim in feſtis de præcepto, & cæteris officijs privilegiatis, quod tamen limitat in colore nigro, quem adhiberi poſ-

ſe ſtatuit tantum in miſsa, cui cōgruit violaceus: in cæteris verò, ait: minus dedecet celebrare miſſam Defunctorum, quàm de ſanctis cum colore nigro. An autem audiens miſsam de requiem die non congruente ſatisfaciat præcepto, dicemus *cap.9.q.* 23.

SECTIO III.

De Cæteris ad ſacrificandum requiſitis, & in Sacrificio attendendis.

164 DIſseruimus in prædictis de Cruce, altari, & cæteris requiſitis ad ſacroſanctam novæ legis Victimam litandam; reliquum eſt, ut de aliis tractemus, ſcilicet de Calice, & Patena, Corporali, Miſsali, & Miniſtro: nec non & de Hora in ſacrificando attendenda, ac Reverentia ſacrificiis præſtanda, de quibus per ſex ſubſectiones tractabimus. Propterea ſubnectitur

SUB-

SUBSECTIO I.

De Calice, & Patena, horumq; ornatu.

165 CAlicis uſus ab ipſomet Chriſto Domino ortum ducit, qui ſive in Calice ex lapide Agatha confecto conſecraverit, ut putat Cartagena, apud Macrum *in Hierolex. v. Calix* (quæ opinio, quo fundamento nitatur, ſe neſcire fatetur P. Menoch. *tratt. eruditi p.3. cent.6.c.*38.) ſive ex Luto (non linteo, ut habet Beyerlinch infra,) vel Ligno, ut autumat Stephanus Eduenſis apud Beyerlinch *in Theatro vitæ hum. tomo 7. v. vas f.* 10. *litt. G.* ſive ex Argento, ut refert ex Beda *de locis ſacriſtis cap.* 2. Baronius *anno* 34. & item Patena, in qua idem Dominus panem conſecravit, ſive fuerit ex Smaragdo, ut tenet tamquam probabilius Leander *de ſa-*

cram.

eram.par.2.tr.7. diſp. 1. *q.* 11. ſive non; certum eſt, quod hodie ex auro, aut argento, vel ſaltem ex ſtamno, juxta infra dicenda, confici debent: quamvis etiam antiquis temporibus Eccleſiæ ligneis uſq. ad Zephirinum, & inde vitreis uſq. ad Urbanum I. (vel ut infert Macrus, vitreos calices in pauperibus Eccleſiis per bina ſaltem ſæcula poſt Urbani Pontificatum durasse) Sacerdotes uſi sũt: ex quo Bonifacius relatus in cap: *vaſa de conſecr. diſt.* 1. occaſionem arripiens, ſic Sacerdotum ſui temporis mores deplorat: *quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contrario, lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.*

166 Debent igitur calices hac tempeſtate ex auro, aut argento, vel ſaltem, ſtante paupertate (ac etiam præciſa paupertate ex Rubrica de defectibus mox citanda) ex ſtanno confici *cap. ut calix* 45. *de conſecr. diſt.* 1. quem canonem aliqui putant, quatenus ſtannum permittit, hodie esse abro-

ga-

gatum; vel uſu contrario, ut heu quondam amicus Abbas D. Ioſeph Marchiſius *in memoriali Sacerdotum ſcholio 9.n.9.ante medium* (qui ſanè uſus in contrarium me teſte viget etiam in Eccleſiis pauperioribus hujus Urbis) vel per Rubricam *de præpar.Sacerdot. tit.* 1.*n.*1. limitatum, ut Megalius *in promptuar. v. calix nu.* 1. Sed alii fundati in alia Rubrica *de defectibus in celebrat. miſsæ occurrentibus tit.*10.*nu.*1. non eſse revocatum cenſent.Ita Paſqual. *de ſacrif.novæ legis tom.*2.*q.*765.*n.*3.

167 His igitur in genere prelibatis, ad particularia iuxta noſtrum inſtitutum deſcendimus, quæ communia erunt tum calici, tũ patenæ,quã relatũ *cap. ut calix*, ſub eadẽ calicis lege cõprehendit.

168 Quæſtio I. Sacerdos in villa latronum cauſa, vel paupertatis Eccleſiæ, an poſſit Eccleſiæ villæ calice, & patena ſtanneis conſulere? Reſp. Negabit Tamburinus *in meth. celebr. miſ. lib.*1. *cap.*1.§.1.*n.*2. & quotquot cum eo ſen-

ſentiūt canonem, *ut calix cit.* ſtannea vaſa permittentem, fuiſſe tùm per conſuetudinem, tum per Rubricam revocatum.

169 Sentio ergo, ſtando in Jure, non eſſe prohibitum uti calice ſtanneo, imò poſitivè permitti, ſcilicet per Rubricam *de defectibus loco cit.* proinde licitum erit pro Eccleſia villæ calicem ſtanneum conſtruere, etiam ſi nulla paupertatis cauſa urgeat, ut tenet Paſqual. *q.* 765. *n.* 3. aut latronum timor ex Perſico *de offic. Sacerd. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 8. ajente indepēdenter à quacumque neceſſitate integrum eſſe, uti calice ſtanneo.

170 Non obſtat Rubrica *de præparatione Sacerdotis*: quia neſcio cur ſtari potius debeat huic reſtringenti diſpoſitionem relatæ Canonis, & non Rubricæ *de defectibus* Canonem confirmanti, & amplianti?

171 Nec conſuetudo: nam in facultativis non introducitur cōſuetudo obligans per hoc tantùm, quod

quod non exerceatur id, quod eſt in facultate; ſed requiritur etiam prohibitio exercitii, & acquieſcentia, ut cenſuit Rota coram Merlino *deciſ.106.n.8. & 9.* at facultatis eſt, cuppam calicis facere ex auro, argento, aut ſtanno, dum nuper citata Rubrica præſcribens prædicta metalla utitur particula *vel*, quæ denotat facultatem; eſt enim particula diſiunctiua quo ad verba, & quo ad effectum ex traditis per Barboſam *dict.415. n. 3.* quapropter Jure optimo Petrus à S. Joſeph in *Idea Theol. ſacram. lib.2.cap.12.reſol.2.*verſu *circa tertium* agnoſcens imbecillitatem allegatæ conſuetudinis, dixit: licèt autem calices, ex auro, vel argento fieri ſoleant: non tamen id eſt neceſſarium, ſed ex ſtanno fieri poſſunt.

172 Quæſtio II. An Calix poſſit confici ex plumbo? Reſp. Putavit Paſqualigus *q.766.num.1.* plumbum eſſe materiam neq.prohibitam, neq. permiſſam pro calicibus. Sed immeritò: nam Leo

IV.

IV. illam vetuit, ut refert Scortia *de ſacrif.miſ.lib.2. cap.14.§. oportet ſub num.4.* ſed quidquid ſit de hac prohibitione, non defuerunt, qui dixerint, plumbum eſſe materiam aptam, fundati in eo, quod plumbum veniat nomine ſtanni: è contra verò Alii agnoſcentes differentiam ſpecificam inter utrumque metallum, id negant cum Perſico *cit. n.10.* & meo Geſualdo *in Theol.mor.par.1.tr.15.cap.2.n.29.* ubi etiam ferrum prohibitam materiam meritò cenſet; concedit nihilominus Paſq. citatus *num. 4.* plumbeum calicem, ſi probè fuerit deauratus.

173 Quæſtio III. Quid dicendum de Aurichalco, & Ære? Reſp. Hæc metalla eſſe inepta pro confectione calicum docuit Tambur. *de ſacrif.lib.1.cap.1. §.1.n.2.* & alii fundati in conſuetudine illa non admittente. Apta verò (intellige ſi ſint deaurata; nam ſi non ſunt talia, expreſsè prohibentur tum in *cap. ut calix,* tum in Rubr. *de defectibus*) cenſuit de Lugo *de*

Euchar.diſp.20.ſect.4.n.90. & alii fundati in conſuetudine, & praxi etiam almæ Urbis, cui (firmat Delgadillus *de Euchar.myſter. cap. 16.n.90. in fine*) ſecurè quemlibet conformari poſse. Ratio, quæ favet conſuetudini eſt: quoniam vitia, quæ contrahere poſsunt ſpecies ſacramentales vini, dum æneis vaſis continentur, ſcilicet rubigo, & qualitas provocativa ad vomitum; ad quæ attenderunt Jura, ſufficienter corriguntur per inaurationem. Cæterùm Panormitanorum pietas Calices, & Patenas æneas (ac ſtanneas) inauratas, etiam ab Eccleſiis pauperioribus, Deo ſit gloria, omnino ablegavit.

174 Ad uberiorem autem doctrinam circa calices, & patenas dubitari poteſt: num poſſint fieri ex lapide, cryſtallo, ebore &c. Reſponſio. Si lapis ſit pretioſus, & extenuari poſſit, affirmat Caſtilentus *in Polyanth.Theol.mor.v. calix diffic.* 1. verſu *dico* 2. ultra quod requirit Paſqualigus *q.* 768. *n.*3.

nu. 3. quod ſit durus, ita ut non poſset aliquid de ſpeciebus ſacroſanctis imbibere, & optimè poliri poſſit: imò Tamburinus *de ſacrif. miſ.lib.*1.*cap.*1.§.1. *num.*3. inſuper exigit, quod lapis ſit æquè pretioſus, ac aurum, & argentum.

Quo ad Cryſtallum verò, quam dicunt *di Rocca*, ſentiunt eſse aptam materiam Caſtilentus *cit. diff.* 1.*in fine*, Paſqualigus *cit. n.*5. Hæc ſunt placita horum, & aliorum Doctorum, quæ ſine contradictione non tranſeunt; cùm non deſint, qui lapides etiam pretioſos pro conſtruendis calicibus nõ admittant. Utriuſq.ſententiæ rationes habes apud Paſqualigum, & alios, quas brevitatis gratia hìc recenſere prætermitto.

175 Ebur tamen non admittit Paſqual. *cit. n.* 6. non quia non ſit materia apta, ſed quia ex contactu vini maculas contrahat: idem dicit de Unicornu, quod eſt in magno pretio, ſi eaſdem contrahat maculas. Mihi videtur admitti Ebur non poſse ob declarationem

S.Con-

S. Congregationis 26. *Julii* 1588. cujus mentionem facit Tonellius *in ſacr.Enchir.lib.*1.*cap.*3.§.6.*n.*10. & Nicolius *in ſloſc.v.Euchariſtia n.* 22. prohibentis Pixides eburneas, cujus decreti ratio magis militat in calice. Idemq.mihi videtur applicandum unicornu, & cæteris pretioſis oſſibus, ut ſunt dentes equi marini &c.

176 Quæſtio IV. Sacerdos in villa, ſtante paupertate Eccleſiæ, an poſſit calicem conficere, cujus cuppa dumtaxat ſit ex materia apta? Reſp. Benedictus Pereyra *in elucidar.num.*1595.*in fine*, putat probabile, quod poſſit ſola cuppa calicis fieri ex materia requiſita; quod tamen non conſulendum cenſet. Sed neſcio cur paveat Doctus ille Luſitanus id aſſeveranter docere, cum Rubrica *de defect:bus t.t.*10.*n.*1. ſupponat ſolam cuppá calicis debere eſſe ſtatutæ materiæ: en verba Rubricæ: *cujus cuppa* (loquitur de calice) *debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea,* conſequenter ſi pes calicis omnino de-

deberet eſse ejusdem materiæ, ac cuppa, Rubrica de toto calice, & non de ſola cuppa ſermonem inſtituiſset.

Reſpondeo ergo affirmativè ſive Eccleſia ſit pauper, ſive non, ut indiſtinctè docet Serra *in* 3. *par.D.Thom.q.*83.*artic.*3.§.*advertendum*, & communis: tum ob Rubricam relatam, tum ob conſuetudinem etiam Eccleſiarum divitum.

177 Quæſtio V. Firmato quod cuppa ſolum debeat eſse aptæ materiæ; pes calicis ex qua conſici oporteat? Reſp. Ex qualibet materia, dummodo in illa duo concurrant. *Primum* quod diſponi poſsit ad firmam unionem cuppę, & ad ſubſtentationem ejuſdem. *Secundum*, ut ſit alicujus valoris, dum tam nobili miniſterio deſtinatur. Hinc pedem vitreum ineptum reputat Paſq. *q.* 769. *nu.*4. Tum quia firmiter cuppæ uniri non poſſit (quod non puto verũ, cum id fieri poſse non verear) tum ob ſuam fragilitatem. Utrũque

que requiſitum in ære, & auricalco præſertim inauratis agnoſcitur à Doctoribus, & praxi; & Georgius Gobat *tract.*3.*n.*306.illa admittit in plumbo etiam independenter à paupertate: & Leander *de ſacr.tract.*8.*diſp.* 7. *q.*27. in ferro: propterea à Paſqualigo *dicta q.*768.*n.*6.*& q.* 796.*n.*4.agnoſci, & fortiùs debent in ebore, ligno aloes, cęteriſq. oſsibus, & lignis pretioſis.

178 Quæſtio VI. Sacerdos villaticus an peccet ſi cuppam calicis,& patenam interius non vult deaurare? Reſp. Ratio dubitandi eſt, quia quamvis ex Rubrica *de defectibus citata* habilitentur aurum, argentum, & ſtannum; tamen ex Rubrica *de præparatione etiam citata* conſtat cuppam argenteam debere eſse inauratam; unde videtur, quod quilibet calix debeat intus inaurari: Sed quia Doctores putant, inaurationem prædictam ad decentiam requiri, & ornamentum, inter quos Paſqual, *q.* 770. *n.* 6. propterea ait

Go-

Gobat *cit. n.* 306. inaurationem, ſi calix ſit argenteus, ſtanneuſve, non requirunt Doctores, quamvis Rubricæ abſolutè dicant, calicem debere esse aureum, vel inauratum. Hinc etiam Tamburinus *de ſacrif. lib.* 1. *cap.* 1. §. 1. *n.* 4. in calice argenteo nec ſub veniali inaurationem requirit, & in ſtanneo obligationem gravem, nec agnoſcit relatus Paſqualigus. Tonellius item *in ſacr. Enchir. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *n.* 5. quamvis agnoſcat decentiam in inauratione calicis, tamen dicit, quod ſi alicubi argenteum calicem, aut ſtanneum non inauratum reperiret à ſacro non deſiſteret, & ſine ſcrupulo illum adhiberet.

Concludi ideò debet, quòd cum inauratio ad altius ſub levi ſit præcepta, non peccare, neq. leviter Sacerdotem villaticum ſi inaurationem omitteret ſtante aliqua legitima cauſa (ac etiam ſine cauſa in ſenſu Tonellii, & Gobat) puta paupertate, defectu artificis, &c.

179 Quæſtio VII. Calix, ut commodius deferatur ad villam, poteſt ne pes illius confici ſeparabilis à cuppa? Reſp. Ita planè, cum recedendo à dicto fine, id liceat tum ex praxi, tum ex unanimi Doctorum: imò pes poteſt fieri ex pluribus partibus invicem amovibiliter unitis Paſqual. *qu.* 772. *nu.* 3. qui *q.*780. *nu.* 8. docet, quod quando pes calicis conficitur diviſus in plures partes unibiles, & reponibiles unam intra aliam non ſolum poſſent ſeparari abſq. amiſſione conſecrationis, verùm etiam ſi paxillus aliquis vulgo *vite* à noſtratibus dictus, periret, & reficeretur; tunc non eſſet repetenda conſecratio; per hoc enim non perit forma artificialis.

180 Calix, & Patena, ut ſacrificiis apta cenſeantur, non ſufficit, quod ex materia per canones requiſita ſint confecta, niſi etiam ſint conſecrata, & meritò; per conſecrationem enim conſtituuntur in ordine rerum ſacrarum.

Con-

Continetur autem præceptũ hoc in *cap. unico*, §. *fin. de Sacra Unctione*, & in Rubrica *De ritu celebrandi miſſas tit.* 1. *de præparat. Sacerd.* quod grave eſse communiter firmatur, nec vidi Doctorem, qui contrarium ſenſerit. Et quamvis Bonacina *de Euchar. diſp.* 4. *quæſt. ult. pun.* 9. *n.* 17. agnoſcat contra celebrantes in calice non conſecrato pœnam depoſitionis ab officio, & beneficio ex *cap. ultimo de celebr. miſſ.* tamen meritò illum reijcit Tamburinus *de ſacrif. miſ. lib.* 1. *cap.* 1. §. 3. *per tot:* laudatus ſupra hoc à Tonellio in *ſacro enchir. l.* 1. *cap.* 3. §. 1. *n.* 8. adi illum.

Poſtquam ergo quæſtiones ad materiam ſpectantes reſolvimus, eas, quæ ad conſecrationis neceſſitatem attinent inſtituere hìc neceſse eſt. Propterea ſit

181 Quæſtio VIII. Sacerdos in villa an poſſit celebrare in calice, & patena non conſecratis, ſi conſecrata non habeat? Reſpondeo. Si recolamus, quæ diximus ſupra *à n.* 30. circa celebrationem

ſupra altare non conſecratum, facilis erit quæſtionis ſolutio: proportionabiliter enim dicta de altari applicari poſſunt calici, & patenæ, prout illa applicat Paſq. *q*.775.*n*.4.

Dicimus ergo cohærenter ad ibi dicta duo. *Primum*: Ubi non eſt liberum exercitium Religionis Catholicæ, licitum eſt celebrare cum calice non conſecrato, quando haberi non poſſit conſecratus, ſi ad celebrationem obligat Jus naturale (quamvis Paſqualigus cit. *n*. 1. id ipſum doceat præſcindendo ab obligatione urgente propter Jus naturale) Idem ſentio pro locis liberæ religionis. *Secundum*: Probabile eſt id etiam licere Viatici miniſtrandi cauſa prout docet Tonellius *in ſacro Enchir. lib*. 1. *cap*.3. §.1.*n*.7. aſſerta prædicta probantur eodē modo, ac celebratio ſuper aram non conſecratam, de quibus probationibus vide ſupra *à n*. 34. *ad* 36. *per tot*.

182 Et hinc fit, quod quando

do licet celebrare in calice non conſecrato, ſi neq. calix habeatur non conſecratus, poterit conſecrari in vaſe aliquo prophano (quod ad prophanos uſus amplius converti non poterit) cujuſcumque ſit formæ, dummodo ſit talis formæ, ut poſſit ſanguis cum eo ſumi ſine periculo effuſionis: non enim eſt neceſſarium, quod calix conſuetæ formæ fiat, ut notat Paſqual. *q.771.n.5.*

183 Quæſtio IX. Sacerdos in villa habet calicem, & patenam, de quibus dubitat num fuerint conſecrata; an poſſit cum illis ſacrificium offerre? Reſpondeo. Cum calix, & patena, de quorum conſecratione dubitatur, debeant conſecrari *argum. tex. in c. Eccleſiæ, vel altaria de conſecr. diſt.* 1. & ſentit Megalius *in promptuario v. calix n.*4. conſequenter ſit, quod non poſſit; cum reputari debeant non conſecrata. Unum tamen eſt advertendum, quod veriſimilitudo arguens conſecrationem, tollit dubium; quæ veriſimili-

tudo locum habere poteſt, quādo ſcitur, per tempus præteritum fuiſse cum eis ſacrificatum, nec de execratione per fractionem conſtet; ut in ſimili de altari ponderat Megalius cit. *v. altare num.* 14.

184 Quæſtio X. Sacerdos prædictus habet tantum calicem, & patenam non conſecrata, cum quibus tamen alius Sacerdos bona fide conſecraverat, an poſſit in celebratione illis uti? Pro reſponſione ſuppono inter Doctores non eſſe modicam altercationem circa quæſtionem, num calix in caſu prædicto remaſerit conſecratus nec ne? Cenſent enim Leander *de ſacrific.miſ.diſp.7.q.31.* Delgadillo *de euchar. myſter. cap.* 16.*n.*97. & alii per celebrationem calicem non conſecrari, quod probabilius putat Volpe *in reſol. moral.reſol.*133.*n.*25.

Sed alii conſecrari ſtatuunt. Ita Caſtilentus *in Polyanth.Theol. mor. v. calix diffic. 2. verbo dico 2.* Diana *p.2.tr.14.reſol.69.& par.5.*

tr.13.

tr. 13. *reſol.* 60. quē ſequitur Bordonus noviſſimè in manuali conſultorum (opus eſt poſthumum) *ſect.* 29. *n.* 32. & Niger ad Ruiz *de ordine celebranti miſſas par.* 6. *animadverſ.* 3. *in appendice queſt.* 4. citans Peyrinum, & Trimarchiū, Dianam defendentem ab impugnationibus Lugonis, & probabile iudicat Tamburinus *in meth. miſſæ lib.* 1. *cap.* 1. §. 4. *n.* 1. & Tonellius *in ſacro Enchiridio lib.* 1. *cap.* 3. §. 10. *n.* 1.

Demum Paſqualigus *de ſacrif. q.* 776. *n.* 1. 4. & 7. cui adhæret Marchiſi *in memor. Sacerd. ſcolio* 9. *n.* 15. docet non conſecrari ritualiter, ſed tantum ſubſtantialiter conſecrari, ſanctificari, & habilitari ad ſacrificium.

185 Reſpondeo igitur ad quæſtionem affirmativè; poteſt enim ſecundæ, & tertiæ ſententiæ tutè conformari; & quamvis tertia ſententia mihi valde arrideat ad tradita circa altare *ſupra n.* 53. tamen ſecundam non minus communem, ac primam exiſtimo,

cui favet D. Auguſtinus apud Suar. *de Euchar. diſp.* 81. *ſect.* 7. §. *dico* 2. *in corpore*, dicens: *Sed & nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex auro, & argento habemus in uſum celebrandorum ſacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata ſancta dicuntur*, & de hac ſententia Lohner *de ſacrif. par.* 1. *tit.* 3. §. 3. *n. IV.* poſse ſervire ſaltem in caſu neceſsitatis. Ultra quod ſi quis juxta ſecundam ſententiam eo calice uteretur, non peccaret mortaliter, ut notat Marchiſi *cit.* propterea eſset peccatum leve; cur igitur ſtante carentia aptioris calicis à veniali non excuſabimus Sacerdotem in calice ſubſtantialiter conſecrato celebrantem? Bene verum eſt, quod calix per ſanguinis, & patena per corporis contactum habilitata ad ſacrificia, debent conſecratione rituali ſacrari, pro ut probavimus ſupra loquendo de Altari *n.* 54. & in ſpecie advertit Paſqualigus *dicta q.* 776. *n.* 9. & optimum putat Caſtilentus *cit. diffic.* 6. verſu

at-

attamen, ut Eccleſiæ jubenti, calicem ab Epiſcopo conſecrari, obedientia præſtetur; quamvis contrarium ſentire videatur ſapientiſsimus Diana *locis citatis*.

186 Unum tamen advertere non deſino idem procedere, quã-do fuerit mala fide in calice non conſecrato celebratum, ut meritò ex Sa *v. Eccleſia num.* 19. putat Tamburinus *cit. n.*2. & nos etiam de altari diximus *num.*53. *in fine*, quidquid alias ſenſerint nonnulli, quos difficulter assignare poſſe discrimen, ait idem Tamburinus: & meritò: habilitatio enim ad sacrificium non dependet à Sacerdotis conscientia, sed à contactu Corporis, & Sanguinis.

187 Cæterum ſi Sacerdos etiam, ſtante prima sententia, inadvertenter celebret cum calice, quem non conſecratum ſciebat, certum eſt non peccare, ut ſuppono ex tractatu de actibus humanis, quamvis etiam certum reputo, quod ſi quis celebret in calice non conſecrato ex igno-

rantia ritus, neſciens conſecrationem requiri, peccare, ut ſentit Megalius *in prompt. v. calix n. 2. in fine*, quia debent Sacerdotes ritum legere, & ſcire.

Et hìc rectè inferes cum Bordono *cit.ſect.*21.*n.*35.quod ſi quis abutatur calice, & patena non ritualiter conſecratis, ſed per ſacrificium habilitatis, hæreſis ſuſpicionem incurrit, puta ſi in convivio adbibendum adhibeat.

188 Poſtquam diximus de calicis, & patenæ conſecratione, hujusque neceſsitate; oportet de execratione ſermonem inſtituere, examinando, & firmando, quando patenæ, & calices reputari debeant, amiſiſse conſecrationem. Pro quo ſuppono, in calice, & patena conſecrationem deſinere, quando ea amittunt formam artificialem, propter quod evadant inepta ad ſacrificium. Hoc ſuppoſito, inſtituitur

189 Quæſtio XI. Sacerdos in villa habet calicem, & patenam fracta, an poſsit illis uti? Resp.

Scio

Scio id accidiſse in quadam villa Sacerdoti animi cauſa moranti, & in ejusdem Eccleſia celebrari volenti, ubi calix erat unicus, isque in fundo cuppæ fractus per semicirculum, qui pedi, cui erat unita, correſpondebat: ex fractura, quæ erat valdè tenuis sanguis non effundebatur, sed tantum velut desudabat, ut Sacerdoti teſtabatur capellanus, qui cum eo celebraverat, cui defectui occurrerat cappellanus ipse fiſsuram foris cera sanando. Scio etiam Sacerdotem bis cum illo celebraſse non ſuæ innixus ſententiæ, sed illius in cujus manibus conſcientiam suam dirigendam tradiderat. Sed ab obedientiæ tramite discedendo aliter resolvendum sentio.

190 Respondeo igitur, quod ſi fractura ſit talis, quæ non reddat ineptum calicem, vel deformem ad sacrificium, poteſt in eo conſecrari, secus verò ſi eſt ineptus, vel ſi aptus deformitatem contineat, ex qua resultat quædã

veluti indecentia in conſecrando cum eo; tunc enim eſt cenſendus execratus. Paſqualigus *de ſacriſ. miſ.quæſt.779.n.1. & 2.*

191 Hinc reiicienda venit ſententia, quæ communiter tribuitur Aſcanio Tamburino *de Jure Abbatum tom.1. diſp.23. q.3. n.6.* per quam firmatur calicem ſi aliquibus ictibus mallei percutiatur execrari: nam calix ita percuſsus nec evadit ineptus, nec deformatur, taliter, quod ſaltem reputetur indecens illius uſus, conſequenter non urget motivum execrationem ſuadens: propterea Paſqual. *cit. n.* 4. eam ſententiam falſam reputat; illamque corrigit noſter Tamburinus *in meth. miſ. lib.* 1. *cap.* 1. §.5.*n*.9. & improbat Pacius Jordanus *tom.1. lucubr. lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 179. & uno verbo communiter refutatur.

192 Dixi quod prædicta ſententia tribuitur Aſcanio Tamburino; quia mihi ſuadeo illam non docuiſse: nam pro ea citat Armillam, Azorium, & Bartholo-

mæum

mæum ab Angelo, qui omnes contrarium firmant, quoniam prædicti Doctores poſtquam illā referunt, ſubdunt eam non probari in Jure: proinde dicendum in operibus Aſcanii hunc errorem locum ſibi vendicaſſe ex incuria Typografi omittentis particulam negativam, ut obſervat etiam doctus Tonellius *in ſacro enchir.lib.1.cap.3.§.2.n.2.*

193 Reiiciendus item eſt Delgadillus *de Euchar. cap.16.nu.98.* eo quia docuit, calicem etiam in multas diviſum partes,ſi tamen hæ artificioſè poſſint uniri, non amittere conſecrationem, quaſi quod non ſufficeret amiſſio formæ ad execrationem: ſed jam illum ſupra refutavimus *n.146.& ſeq.* Quid autem dicendum de calice parvo foramine transfixo mox ſubdam.

194 Queſtio XII. Quid dicendum de calice parvo foramine, ex quo ſacramentales ſpecies effluere poſſunt transfixo? Reſp. Hunc calicem execratum reputat

Tam-

Tamburinus *dicto* §. 5. *n.* 1. quia ob foramen, vnde ſacratiſsimæ ſpecies exudare possunt, euadit ineptus. Paſqualigus verò *dicta q.* 779.*n.* 5.cõtrariũ ſubſtinet:eo quia quamvis durante foramine ſit ineptus, dum tamen aptitudo facilè recuperari poſsit, decenter obturando foramen, abſq; eo quod veſtigiũ ineptitudinis remaneat, censeri debet non amissa consecratio.In rigore sententiam Tamburini veriorem puto, quam tradit etiam Tonellius *lib.*1. *ſacri enchiridij cap.*3. §.2. *n.*1. ſed ob probabilitatem contrariæ, puto, Sacerdotem in villa posse calice perforato, & obturato vti.

195 Non approbo tamen, quod cera obturetur; hæc enim non eſt apta, ut metallo perfectè uniatur, quæ erat ratio avertens Sacerdotem, de quo loquuti sumus *quæſt.* 11. à celebratione in villa, aptior esset reſina. Nec obſtat, quod hæc non eſt habilitatæ ad ſacrarum ſpecierum contactũ, quia etiam æs non eſt habile, & ta-

tamen permittitur calix æneus inauratus etiam poſtquam inauratio in aliquibus partibus perierit, ut contra Pasqualigum tenuit Tonellius, quos referemus *q.* 15. Cęterùm sentio, quod obturatio hujusmodi liceat in villa, ubi nec ſtanno, aut aptiori metallo foramini mederi poſſit, quod ſi aptiori modo poſsit occurri, id fieri omnino debet, semper tamen curandum, quod reſina ablata in sacrarium proiiciatur.

196 Quæſtio XIII. Sacerdos pergit ad villam, ibiq; invenit calicem separatum à cuppa, an poſsit cum eo celebrare? Respondeo cum diſtinctione: vel separatio evenit ob fractionem, & non dubitatur eo caſu, etiam ſi ſit tornatilis, non poſſe celebrare in eo, quia jam amiſit consecrationem: tum quia jam evaſit ineptus, tum quia mutavit formam: unde non poteſt dici idem moraliter calix; & licet fractio videatur aliquando exigua in materia, eſt tamen semper reputanda notabilis in

for-

forma artificiali, ut obſervat Paſqualigus *q.* 780. *n.* Ita Doctores mox citandi. Vel evenit abſq; fractione, forte quia erat tornatilis, & non dubito cum Azorio *inſtit.mor.tom.*1.*lib.*10.*cap.*28. *q.*7. Naldo *in Sum. v. calix n.*2. Tambur. *lib.*1.*methodi miſ.cap.*1.§.5. *n.* 2.Paſqual. *dicta quæſt.*730. *n.*3.*& ſeq.* & communi, quod poſſit ſacrificio deſervire: retinet enim conſecrationem, dum forma, ſub qua fuerat conſecratus, continuet; propterea ſi pes uniatur cuppæ, idem moraliter calix exiſtimetur, ad eum modum quo horologium dicitur idem, quando fuerit diſſolutum munditiæ cauſa, & iterum compaginatum.

197 Et quamvis Comitolus *in reſp.moral.lib.*1. *q.* 51. aſſertum ſecundi membri diſtinctionis reprobet, dum tamen nullam afferat rationem, ſitq; contra communem, & praxim, de ea reprobatione non multum curandum.

198 Quæſtio XIV. Sed quid dicendum, ſi invenit cuppam calicis

cis A. & pedem calicis B. tornatiles, & unibiles, an scilicet poſſit his unitis uti? Respondeo cum Pasqual. *q.*780.*n.*6. negativè: non resultat enim per prædictam unionem idem calix tornatilis consecratus, cuppa enim calicis A. separata a pede retinet consecrationem in habitu non in actu, ad quam requiritur, quod uniatur pedi, cui erat unita consecrationis tempore.

199 Quæſtio XV. An poſsit celebrare cum calice, in cujus cuppa periit deauratio? Pro reſponſione diſtinguendum eſt; vel enim calix inauratus eſt materia habilis scilicet auri, argenti, aut ſtanni, vel ineptæ, puta æris argenti, ut dicunt, chimici, &c. primo casu poterit: semper enim verificatur, quod ſit aptus, præscindendo namq; à deauratione, calicem habilis materiæ sacrificiis posse deservire diximus supra *n.*178. Ita Caſtilentus *in polyanth. ſeraph. v, calix diffic.* 5. versu *dico igitur.*

Se-

200 Secundo verò casu non poterit. Caſtil. *cit.* versu *at verò.* Ratio eſt: quia forma aptitudinis in materia inepta eſt inauratio, quæ ſi perit, neceſſe eſt, quod pereat id, cujus eſt forma: quæ procedunt, quando deauratio in totum periit, vel secundùm majorem sui extenſionem, quod ſi in aliquibus tantum partibus perierit, tunc perire consecrationem senſit Pasq. *q.*781.*n.*1. cujus opinionem nimis rigorosam putat Tonellius *in ſacro enchir. lib.*1.*cap.* 3.§. 2. *n.* 1. proinde illam temperat, dicens eſſe veram, quando inauratio notabiliter periret.

201 Rogabis. Si deauratio calici habilis materiæ, & consecrato consultò artificiosè auferatur, an pereat consecratio? Respondeo negativè cum Pasqual. *q.* 781. *n.*4. ablata enim inauratione, non evadit ineptus, nec ſacrificium cum eo oblatum indecentiam præ se fert, parumq; refert quod artificiosè, vel continuo attritu auferatur. Malè autem pro

con-

contraria ſententia citat Aſcaniũ Tamburinum *de Iu. Abbatum tom. 1.diſp.*23.*q.* 3.*n.* 5. ibi enim (ſaltem in mea editione, quæ eſt Lugdunenſis anni 1640.) de artificioſa ablatione nihil dicit.

202 Queſtio XVI. Sed quid faciet, ſi inveniet calicem iterum deauratum ſine nova conſecratione, poterit ne illum ſacrificio aptare? Reſp. Secundum Geſualdum *tom.*1.*Theol.mor.tr.*15. *cap.*2. *n.*32. Pacium Iordanum *tom.*1.*lib.* 4.*tit.*1.*n.*178. Aſcanium *cit.q.* 3. *n.* 3. & alios putantes calicem iterum inauratum debere iterum conſecrari, negativè reſpondetur, quam opinionem communiorem, & probabiliorem exiſtimat Angelus à Lantuſca *in Theatro regular. v. calix n.*3. Affirmativè verò ſecundum Delgadillum *de Euchar.myſter.cap.*16. *nu.*99. & alios, quod ſatis probabile reputat Gobat *in Theol. exper. de ſacr. tr.*3. *n.*210. & probabile Diana *p.*2.*tr.*15.*reſol.*3.

Oppoſitas haſce ſententias æque

què probabiles cenſet Leander *de ſacrific.diſp.* 7. *q.*34. Sacerdos itaq. prædictus ſine peccato poteſt prædicto calice uti, depoſita conſcientia innixa ſententiæ negativæ, & amplexa affirmativa ex notatis per Paſq.*quæſt.*782.*n.* 10.

203 Ego verò adhæreo Tonellio *dicto lib.*1.*cap.*3.§.2.*n.*4. ita diſtinguenti. Vel calix de novo inauratus eſt materiæ habilis, & non indiget conſecratione, quia calix per deperditionem auri, ut diximus paulò ſupra, non amittit conſecrationem, nec per additionem auri mutat formam: decere tamen advertit Idem ex Buſembao *lib.* 6.*tr.* 3. *cap.*3.*dub.*4. *nu.*4. quod aqua benedicta abluatur, propter laicarum manuum contactum. Vel eſt materiæ inhabilis: & debet conſecrari, quoniam conſumpto auro calix evadit ineptus, accedente autem nova inauratione fit capax conſecrationis ob mutuatam habilitatem ab auro, ſed actu illam non recipit. Et ſecundùm hanc ſententiam Illu-

luſtriſsimus Dominus meus D. Ferdinandus de Bazan Archiepiſcopus Panormitanus noluit quatuor calices, & totidẽ patenas argẽteas, iterũ deauratas cõſecrare.

104 Quæſtio XVII. Sacerdos volens in villa celebrare nõ habet pallam pro calice cooperiendo, an deberet omittere ſacrũ? Reſpõdeo minimè: poſset ergo celebrare ſine palla, tum ſi ad miſſam teneatur ex Præcepto, tum ſi impellatur à deuotione. Ita Gobat *in Theol. exper.tom.*1.*par.*1. *tr.*3. *n.*322. qui quamvis *n.* 324. dicat, quod in hoc mavult ſtare judicio aliorum, quam ſuo, ſubdit tamen in id inclinare.

205 Rogabis quomodo defectui pallæ occurret Sacerdos prędictus? Reſpondeo multis modis: vel alio corporali, vel purificatorio, vel burſa, vel eodem corporali eodemmet modo, quo fit apud Eccleſias Orientales, teſte Tamburino *de miſ.lib.*1.*cap.*5.§.3. *n.*1. & faciunt etiam Carthuſiani, qui extremitatem corporalis re-

vol-

Digitized by Google

voluunt ſupra calicem, vt advertit Macri *in Hierolex.v. corporale circa medium.* Poſſet item occurri aliqua palla prophana, cum pallæ non debeant neceſſario, quamuis ſoleant cum corporali, benedici. Tonellius *dicto lib.* 1. *cap.*3.§.3. *n.* 4. ſed hoc eſt contra Rubricam *tit.de præp.Sacerd. n.* 1. *in fine.* ubi requirit, quod Corporale ſit ſimul cum palla benedictum.

206 Quod ſi quæras ex qua materia pallæ confici debeant? Reſpondeo Doctores inter ſe diſcrepare: cenſent enim nonnulli confici debere ex linteo lineo; Alii vero præter linteum prædictum admittunt ſericum, aurum, & quamcumq; honeſtam materiam.

207 Fateor me non poſſe recedere à prima ſententia:magnam enim vim mihi facit Rubrica *de præparatione Sacerdotis tit.* 1. *n.* 1. ibi *Eam* (loquitur de patena cum Hoſtia) *tegit parua palla linea*: quamvis multi Doctores ex alio motivo id doceant.

Non

Non obſtat Paſq; *q.*786.*n.*9.vbi conatur reſpondere ad relatam Rubricam: quoniam hujus Doctoris reſponſio non concludit; quod non eſt noſtri limitati inſtituti examinare.

Sufficit autem, quod pars interior ſit linea, vt docet praxis, & certum reputat Tonell. *dicto* §. 3. *n.* 5. Et licet Delgadillus *de Euchar.cap.*16. *n.* 77. aſserat eſse nimis ſcrupuloſum in parte interiori pallæ non admittere ſericum, &c. mihi videtur receſsus à Rubrica, & praxi, vnde meritò id improbabile iudicat Vaſquez, apud eumdem Delgadillum.

208 Quæſtio XVIII. Sed ſi habeat pallam, non vero burſam, & velum pro calice cooperiendo, ac etiam careat purificatorio, quid faciendum? Reſp. Reſoluit Lohner *in inſtruct. ſacrif. par.* 1.*tit.*3.§.3.*q.*3. in aliquo caſu ſine ullius culpæ reatu licere ſine velo, & burſa celebrare; nec grauis peccati damnat, qui celebraret ſine purificatorio, aut mundo ſtrophio-

phiolo, ſi facile haberi non poſſit. Ideo mihi videtur Sacerdotē in villa habere iuſtam cauſam licitè celebrandi ſine prædictis.

209 Id tamen omnino præ oculis habendum, quod ſi in defectu purificatorii adhibeatur ſtrophiolum (quod fieri poſse non vereor cum nullo Jure requiratur, quod purificatorium benedicatur, vt notat Gobat *in exper. Theologico-ſacramētali tom.*1. *par.* 1.*tr.*3.*n.*314. & ait Tonell.cit. *lib.* 1. *cap.* 3. §.4. *n.*1. eſse ſententiam ferè communem, quamvis *n.*2. aſſerat ſibi placere, quod cum cæteris linteaminibus benedicatur) hoc ad tergendum naſum, & ſimiles uſus non erit amplius applicandum, vt benè ex Suarez advertit idem Gobat.

210 Habendū item præ oculis eſt, quod quando ſine purificatorio celebratur calix debet accuratius purificari infundendo tam in purificatione calicis, quam in ablutione digitorum vinum, & aquam in quantitate ſufficienti ad ab-

abſorbendas ſacramentales ſpecies, & calicem purificandum, quo ad poterit, ſervata decentiâ.

211 Queſtio XIX. In Eccleſia villæ poteſt ne Pixis, & Sphera, in qua exponitur Sacramentũ (quamq; etiam appellant, oſtenſorium, Monſtrantia) ſtante paupertate, vel periculo latronum confici ex ſtanno, vel ære ſive inaurato, ſive non? Reſpondeo, quod quamvis conſulendum ſemper ſit, quod fiant aurea, vel argentea, cum tamen in Jure circa materiam prædictorum nil cautũ ſit ex deductis per Marchinum *de ordine tr.*3.*p.*3.*cap.*13.*n.*6.poſſunt benè ex prædictis materiis confici. Ratio eſt; quia vt ex Suarez docet Tambur. *lib.*1.*de ſacrif. cap.* 1.§.6.*n.*4. id veniale non excedit: ergo ſtante cauſa legitima, qualis meo iudicio esset paupertas, vel periculum bannitorum,&c.etiam vitabiturveniale.Nobiſcum,quoad pixidem loquendo de inferiori materia reſpectu argenti, ſtante

paupertate, ſentit ſapientiſſimus Suarez *tom.3.in 3.par.diſp.81.ſect. 7.§.tertio obiter in fine.*

SUBSECTIO II.

De Corporali.

212 QUoniam Chriſti corpus fuit linteis involutum, *hac de cauſa factum eſt,* ait D. Hieronymus apud Toletum *tom.2. in cap.19.* Joannis *fol. mihi 335.vt in altari Corpus Domini non ſuper ſericum, ſed ſuper lineum pannum ponatur;* quapropter lineum corporale (ita dictum, eo quia pro Chriſti ſacramentato Corpore, inſeruit, ut explicat Macri *v. corporale in hierolexico,*& notat Maggius *de ſacris cæremoniis præſertim circa ſalutationem &c.opuſc. 2. diſp.23.n.1 fol.204.*)præcipitur *in cap.Conſulto 46. de conſecr. diſt. 1.* idque etiam album, & mundum, quæ qualitates dicunt ordinem ad fin-

ſindonem albam, & mundam Redemptoris cum ea ſepulti. Legantur Scortia *de ſacrif. lib.3.cap. 5.à n. 2. ad 4.* Magius *cit.n.2.* Qui ſcire cupit ſynonyma corporalis adeat Macrum *cit.* quæ brevitati ſtudens, omitto.

213 Præcipitur item, quod Corporale ſit benedictum *ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem.* Sunt verba Rubricæ *tit.de præparatione Sacerdotis n.1.in fine.* Ritus corporalis adeo eſt gravis, ut ſub lethali culpa illius omiſſio ſit interdicta: & licèt Rubrica *cit.* dixerit, quod debet eſſe tantum ex lino, oræ tamen poſſunt opere phrygio circumdari auroue, ſerico, &c. (idem dic de argento, gemmis &c.) ornari, dum eadem Rubrica vetet tantùm, quod medium corporalis prædictis ſit intextum. His præhabitis videndum, quid in Villis faciendum, quando corporalia deſunt, vel ſunt immunda, lacera, aut non ſunt linea? propterea inſtituitur

214 Quæſtio I. Sacerdos in villa non habet corporale ex lino, ſed ex canape, vel ex goſsypio; an poſſit ſuper illud ſacrificare? Ratio dubitandi eſt; quia ſi lintea canapis, & goſsypii non ſunt apta pro corporali non recipiunt benedictionem, proinde celebrare ſuper hujuſmodi corporale eſset uti corporali non benedicto, quod eſt vetitum.

Reſpondeo: Recoli hic debent, quæ diximus ſupra *n.* 23. ubi cum Tamburino agnovimus differentiam ſpecificam phyſicã, non moralem inter linum, canapem, & goſsypium: proinde ſicuti admiſimus mappas canapeas, & goſsypeas, ita corporale canapeum, & goſsypeum aptum cenſemus. Et ita ſentiunt Verricelli *de apoſt. miſſ. q.* 262. dicens ſic eſſe conſuetudine receptum, & reſpõdet ad dictum *cap. Conſultò*, Tambur. *de miſ. lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. *n.* 3. ubi de canape aſsertum putant certum, & *n.* 4. de goſsypio probabile; ejuſdem opinionis eſt Jordanus

nus *in lucubr.tom.1.lib.4. tit.1. nu.* 208. *&* 209. canapeum item approbare uſum, teſtimonio Gobat *tr.3.n.*314., comprobatur.

215 Hinc patet, quod ad celebrandum cum corporali canapeo, vel goſsypeo nulla requiritur neceſſitas; & licèt aliter ſenſerit Marchiſius *in mem.ſac.ſchol.* 17. *n.* 3. eò quia prædicta corporalia carerent myſterio, quod recluditur in lino; hæc tamen ratio facilè diluitur, dum ex ſuperius dictis conſtat goſsypium, & canapem moraliter non differre ſpecie à lino, proinde myſterium non excludere.

216 Læuigandum tamen eſt corporale canapeum, aut goſsypeum, ad hoc ut poſſint fragmenta commodius colligi, quod valde attendendum eſt, aliàs erit illius uſus illicitus, quod rectè advertit Paſq. *de ſacrif.q.*787.*n.*7.

217 Quæſtio II. An liceat uſus corporalis confecti ex geniſtis, & urticis, vel aliis herbis, ex quibus hominum induſtria

variis in regionibus linteamina conſtruit? Reſp. Non audet affirmare Jordanus *rel. n.*210. at ſi hujusmodi linteamina ſint pura, & candida, apta reputat pro corporalibus Paſqual. *dicta q.* 787. *n.* 8. & affirmare debet Delgadillus *de euchar.myſter.cap.*16.*n.*76. dum dicit probabile ſibi videri generaliter loquendo corporale fieri poſse ex quocumque linteo non minoris æſtimabilitatis, ac linum, dummodo ſit album, & decens.

218 Quæſtio III. Sacerdos in villa nullum corporale benedictum habet, quid faciet? Reſpondeo. Niſi urgeat neceſſitas, ſe abſtineat à ſacro: ritus enim corporalis, cum ſit gravis, ſine neceſſitate prætermitti non poteſt. Difficultas tamen reducitur ad videndum, ex quanam neceſſitate id liceat? Non dubitatur, quod neceſſitas vitandi mortem ſufficiat, niſi hæc in fidei contemptũ incutiatur. Ita Quartus *in rubr. miſ.par.*2.*tit.*7.*ſect.*3.*dub.*1. verſu *dicendum eſt.* Idem dicit Tonellius

*lib.*1.

lib. 1 *ſacri Enchiridii cap.* 3. §. 2. *n.* 7. de neceſſitate vitandi aliquod grave damnum, ubi quamvis loquatur de celebrando in calice non conſecrato, id ipſum tamen extendit ad corporale §. 3. *num.* 2. dubitatur tamen de neceſsitatibus ex aliis cauſis reſultantibus, pro quibus hæc regula præ oculis haberi poteſt: ſine corporali, & multo magis cum eo non benedicto, licebit celebrare in iis caſibus, quibus licet cum calice non conſecrato. Hæc tradit Tonellius *in ſacro Enchiridio lib.* 1. *cap.* 3. §. 3. *n.* 3. ex qua regula.

219 Colliges dico. *Primum*. Cum obligat Jus divinum, aut naturale ad celebrandum, poteſt tunc ſine corporali, vel cum eo non benedicto celebrari; quale ſit hoc Jus, diximus ſupra *n.* 35. *Secundum* id ipſum licere cauſa miniſtrandi Viaticum. Ita Paſq. *q.* 791. *n.* 2. *&* 9. quod probabile eſse cenſeo. Rationes horum corollariorum mutuabis ex dictis remiſsivè de calice ſupra *n.* 181.

220 Quæſtio IV. Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos ſine corporali celebraturus, ne ſacroſancta fragmenta irreverentiæ ſubjaceant? Reſp. Inclinat Gobat *tr.3.n.* 318. *&* 324. in hoc, quod adhibeatur burſa loco corporalis. Paſqualigus verò *quæſt.791.nu.*8. monet, quod Sacerdos debeat provideri aliquo modo, quo fragmenta congregari, & colligi queant, & quamvis difficulter illa extra calicem evagare poſsint, cum ſupra illum Hoſtia dividatur, exigit tamen hanc diligentiam ad majorem cautelam. Expeditius, & ſecurius occurrit Tonellius *dicto* §.3. *n.*3. dicens, quod quando contingat ſine corporali ſacrificium offerre, Hoſtiam poſt conſecrationem deponeret ſupra patenam.

221 Rogabis. Sed quomodo Sacerdos adhibens patenam pro corporali ad orationem *libera nos* ſe ſignabit. Reſp. Sola manu: eſt remedium optimum dicti Tonellii; niſi velimus dicere, quod

poſ-

poſset adhibere duas patenas, una pro ſuo munere; altera verò pro corporali.

222 Quæſtio V. Sacerdos in villa non habet niſi corporale lacerum, poſset ne illo uti? Reſp. Si laceratio formam mutaverit; eo, utpote execrato, non poteſt uti; aliàs ſecus. Ita inter antiquiores celeberrimus Sylveſter *v. corporale n.* 3. ubi advertit, tunc mutari formam, quando prudentes ineptum judicant. Judicium autem prudentum ita regulandum, ut ſi corporale lacerum habeat aliquam partem aptam ad continendum decenter calicem, & patenam, aptum cenſeri debet ex traditis per Quartum *in rub. miſ. par.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 3. *dub.* 1. verſu *qualiter.*

223 Quæſtio VI. Sed quid ſi corporale eſt ſordidum, & notabiliter immundum? Reſp. Acrius argui debent ſuper hujuſmodi corporali ſacrificantes, quam cum veſtibus immundis celebrantes, de quibus diximus ſupra *n.* 108.

ob immediatũ ſacroſanctarũ ſpecierum contactum: propterea audiamus Petrum Damianum *opuſc.26.cap.1.* contra ſacrificium offerentes in ſordido corporali. *In ſquallido linteo Dominicum corpus offerunt, & involvunt, & quod non dignaretur potens quilibet, qui tamen vermis eſt propriis adhiberi labiis, in hoc iſti corpus non verentur imponere Salvatoris.* Nec abs re eſt referre exclamationem Franciſci Mariæ Magii *de ſacr. cærem. præſertim circa ſalut. angel. &c. opuſc.2.diſquiſ.23.n.2.* viri inſignis neſcio num potius ſanctitate vitæ, quam eminentia doctrinæ, ſic deplorantis. *Sed heu, heu deploranda eſt incredibilis, & nullo modo ferenda plurium Sacerdotum negligentia, qui iis linteis, & pallis, & purificatoriis in hoc divino ſacrificio utuntur, quæ ne ipſi quidem ſine ſtomacho, & horrore in prophana menſa ad manus abſtergendas attingerent! quod ſine gravi peccato non fieri docet Scortia ex Armilla, & Sylveſtro iuxta il-*

lud

lud Platonis in Phæd. Impuro purum attingere, nefas eſt, ob inſignem erga divinum cultum irreverentiam. Sic Maggius.

Non immeritò ergo Doctores peccati mortalis damnant celebrantes cum corporalibus notabiliter immundis. Ita Macri *in Hierolex. v. corporale circa mediũ,* Naldus *in ſumma v.miſsa n.*23. ad propoſitum ſic ſcite dicens: In miſſarum celebratione corporalia notabiliter immunda, vel calices itidem notabiliter fœdatos adhibens, ſecundùm communem Canoniſtarum, ac Summiſtarum ſententiam, mortaliter peccat. Qui ſanè error ſicut ferè communis eſt apud *rurales* Sacerdotes, ita quidem à viſitatoribus Diœceſis graviter puniendus eſſet. Ita Naldus, & ego.

224 Unum tamen addo ex Ciccoperio *in lucubr.can. lib.*3. *n.* 13. quod tota culpa (mortalis ſcilicet) quæ incurri debet,quando adhibentur vaſa ſacra, corporalia, altaris mappæ, purificato-

ria lacera, vel ſordida, ſi munda haberi non poſſunt; tota, inquam, culpa in Sacriſtam illius Eccleſiæ (& tu dicas etiam in eum cujus Eccleſia eſt ſponſa, vel cui incumbit Eccleſiæ cura, & adminiſtratio) refunditur.

Nec eximo à culpa Canonicos, ſi prædicta neglexerint: pro certò enim habeo, quod penes Capitulũ reſideat poteſtas ferendi leges ſuper gubernio Eccleſiæ, & circa omnia concernentia tranquillum illius regimen ad Divinum Cultum promovendum, indubitatumq; item ſit, quod Canonici ſolùm habeant omnimodam adminiſtrationem in Eccleſia, ut videre eſt, apud eximium Pignatellum *tomo 6.conſult.*49.*n.*2.

225 Ignoſcas quæſo mi lector hanc morulam in referendo extra ſtylum, & inſtitutum ſcriptorum nonnullorum dictamina etiam Platonis; hoc enim præſtiti, ut Sacerdotes ea præ oculis haberent, & in ſacrificando ſordes declinarent, munditiemq; ſervarent,

rent, ne ea ſectentur, quæ gentilitas ipſa redarguit.

226 Quæſtio VII. Sacerdos prædictus an poſſit corporale invertere cauſa nigredinis in parte interiori contractę, & inverſo uti? Reſp. Negat Maggius *ſupra cit. nu. 6. fol.* 206. ubi poſtquam citaverit Poſsevinum, & Cęremoniale minorum permittentium, ubi paucitas habetur corporalium ex paupertate loci, inverſionem modo ex una, modo ex alia parte; hæc ait. Ego vero niſi magna tum neceſſitas, tum fęditas urgeat, vix adduci poſſum, ut inverſionem hanc probem, cauendumq; prorſus exiſtimo, ne id paſſim in Eccleſiis fiat. Ita ille. Moneo tamen, quod eo caſu, quo inverſio fiat, prius excutiatur, & diligenter eo excuſſo fragmenta, ſi quæ ſint, & etiam pulvis colligantur, & in ſacrario cuſtodiantur.

SUB-

SUBSECTIO TERTIA.

De Miniſtro.

227 Aſſiſtentia miniſtri, dum incruenta victima mactatur, non ſolum ab Eccleſiæ conſuetudine, & Jure canonico, verùm etiam à rei natura exigitur, ut ſit, qui reſpondeat, qui miſsale trasferat, qui vinum, aquam, linteolum miniſtret, quæ non ſine magno incommodo fierent ſine illo, ut ait ex Lugone Coton *in celebr. contr. lib.2. contr. 5.n.10.*

228 Dixi, miniſtrum exigi à conſuetudine; quia de hac non dubitatur, proinde Suarez *tom.4. in 3.par.q.83.ſect.1.dicto 1.& alii,* quamvis non cognoſcant obligationem juridicam, fatentur tamen ex conſuetudine urgere.

229 Dixi etiam, exigi à Jure canonico, quia id præter Rubricam pluribus in locis miniſtri præſentiam ſupponētem, eſt cau-

tum

tum *in cap. hoc quoq;*61.*de conſecr. diſt.*1.*& in cap. propoſuit* 6.*de filiis presbyterorum*;tametſi non deſunt, qui ſentiant, canones prædictos miniſtros dumtaxat exigere in miſſis ſolemnibus, circa quod legatur Serra *in* 3.*par.q.* 83. *artic.* 5. §. *eſt tamen.* Paſqual. *de ſacrif. quæſt.*337.quod quamvis mihi videatur non irrationabiliter dictum; tamen conſuetudo prædicta hanc, & ſimiles controverſias reſecat, cum certum hodie ſit, in miſſa privata unicum ſufficere miniſtrum; in ſolemni verò plures requiri: & eſt doctrina Angelici Doctoris, *dicto artic.* 5. *ad* 12. cui tamen obſiſtit praxis nonnullarum eccleſiarum, in quibus ob penuriam miniſtrorum, etiam unicus Sacerdos cum ſolo miniſtro præter chorum canentem ſolemniter celebrat.

230 Patet ergo, quod de neceſſitate miniſtri non dubitatur: hinc meritò meus Abbas *in cap.ut quiſq;* 3. *n.*1. *not.*4. *de vita, & honeſt.clericorum,* presbyterum non de-

debere dicere miſſam ſine clerico, aliàs peccare, firmat: peccabit equidem, & mortiferè, ita rigidè interpretante conſuetudine univerſali canones prædictos teſte, Gobat *in Theol.exper.tom.*1.*par.*1. *tr.*3.*n.*392. quicquid aliàs in contrarium ſentiat ſolus Delgadillus *de eucharistiæ myſterio cap.*16.*num.* 152.*per totum n.*155.

231 Mihi ſanè ſupra conſuetudinem, & Jura allegata magnā vim faciunt, ad augendam miniſtri gravem neceſſitatem actus divinæ providentiæ, quibus non ſemel in ſacrificiis ſacroſanctis miniſtrorum defectum Angelorum aſsiſtentia ſuppleverit. Præſertim cum S. Oſuvaldo Archiepiſcopo Eboracenſi, & Joanne de Parma Generali Franciſcanorum; Hic enim poſtquam ſe abdicaverit à generalatu, ac in ſolitudinem ſeceſserit, quadam die cum hora conſueta religioſus aſsignatus adminiſtrandum, non adveniſſet, & ſpe adventus Joannes ſacris ſe induiſſet, Angelus religio-

ſi

ſi ſpeciem præſe ferens, miniſtravit:ille verò Angelum miniſtrantem meruit in defectum miniſtri, qui viſione quadam perterrefactus ab Eccleſia diſceſserat; quæ exempla habes apud Beyerlinchum *in Theatro vit.hum.tom.7.v. ſacrificium ſub tit. Angelorum in miſſa miniſterium litt. C. & ſeq. fol.* 31. Scortiam *de ſacrif. miſſæ lib. 2. cap.*11. *n.* 2. & Bagattam *in admirandis orbis Chriſtiani tom. 1. lib.*1. *cap.*2.§. 6. *n.* 3. & 13. & alia apud eosdem, & alios Scriptores.

232 Quoniam autem in villis non ſolum non habetur copia miniſtrorum, ut obſervat Paſqualig. *q.*338.*n.*3. verùm aliquando, nec unus haberi poſsit, qui ſciat miniſtrare, vel ſi ſciat, ſit inhabilis, ut fœmina, excommunicatus &c. & quid tum eſt faciendum, dubitari poteſt; ideò prædictorum, & ſimilium eventuum reſolutiones in ſequentium quæſtionum reſponſionibus appoſuimus.

233 Quæſtio I. Sacerdos in villa non habet miniſtrum, an poſ-

poſsit ſine illo celebrare? Reſp. Extra dubium eſt, quod poſsit, ſi neceſsitas ſacrum expoſcat. Difficultas ideò reducitur ad determinandum gradum neceſsitatis, vi cujus ſacrificium ſine miniſtro oblatum ſit licitum.

235 Dicendum igitur; quando neceſsitas celebrandi eſt gravis, poteſt celebrari ſine miniſtro. Ratio eſt. quia præceptum miniſtri, quamvis ſit grave, non eſt circa ſubſtantiam ritus, ſed circa decentiam, proinde gravi neceſsitati cedere non immeritò prudentum placita exiſtimarunt. Ita Diana *par.2.tr.*14.*reſol.*43. Paſqu. *q.*340.*n.*5. ubi citat duo ſupra triginta Doctores. Aſsertum eſt cōtra Delgadillum *de euchar. myſter. cap.* 16. *à n.* 152. firmantem celebrare miſsam ſine miniſtro, quandò commodè hic non deperitur, neq. eſse veniale; ſupponit enim miniſtrum nullo Jure requiri, nec ei vim facit conſuetudo; quia ait *n.*155. eam non eſse animo ſe obligandi introductam.

Sed

Sed quicquid ſit de Jure, de quo initio hujus ſectionis *num.* 229. aliqua tetigimus; de conſuetudine non dubitatur, quod ſit introducta animo se obligandi, quod patet ex dictis ſupra ubi *de Cruce n.* 5. Eſt etiam aſsertum contra Bonacinam *tom.* 1. *diſp.* 4. *q. ultima pun.* 9. *n.* 34. aſserentem celebrationem ſine miniſtro semper eſse mortiferam: sed non eſse audiendum sentit Marchinus *de ſacr. ordinis tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 15. *n.* 2. quinam autem caſus sub hoc neceſsitatis gradu contineantur, ex sequentibus quæſtionibus conſtabit.

235 Quæſtio II. Sacerdos in villa ad dandum viaticum infirmo an poſſit celebrare ſine miniſtro? Reſp. Negat Vaſquez *in* 3. *par. q.* 83. *artic.* 5. *n.* 43. Sed affirmat Diana *cit.* & iterum *par.* 10. *tr.* 15. *reſol.* 26. §. *Sed Sic obiter*, & omnes ultra Vaſquez uno, vel altero dempto: & meritò; Jus enim viatici eſt divinum, ideo prævalere debet tùm Juribus citatis, tum conſuetudini, quæ poſitivæ autho-

thoritatis, & vis limites non præ-
tereunt. Sed hìc

236 Rogabis an poſſit Sacerdos ſine miniſtro celebrare miniſtrandi Viatici gratia, quando ei non incumbit ex officio illud miniſtrare? Reſpondetur affirmativè: Sacerdos enim ſimplex etiam, quamvis ex præcepto charitatis, tenetur miniſtrare Viaticum, quod eſt altioris ordinis reſpectu illius, de adhibendo miniſtro. Ita Paſqual. *de ſacrif. tom.* 1. *q.*340.*n.* 8. ubi confirmat reſponſionem ex eo quod, cum amittat majorem utilitatem moribundus non ſumendo Viaticum, quam percipiat decoris ſacrificium aſſiſtentiâ miniſtri; non eſt æquum, quod minus decus cum omiſſione tantæ utilitatis compenſetur.

237 Quæſtio III. An poſſit ſine miniſtro celebrari, ut Sacerdos, aut alii die feſto impleant præceptum audiendi ſacrum? Reſp. Negatiuam ſententiam docuit Fernandez *in examine Theol. mor.par.*3.*cap.*5.§.4.*n.*8. cujus cõtra-

trarium non facile admitteret Bonacina ut ipſemet ait *tom.* 1. *diſp.*4.*q.vlt.pun.*9.*n.*34. Affirmativam vero Delgadillus *cit.n.*151. Diana *dicto* §. *Sed hic obiter*, Gauantus *par.*2.*tit.*2. *litt.B.* quæ ſententia multo magis locum ſibi vẽdicat, quando multitudo ruſticorum audire ſacrum debet Tambur. *de ſacriſ.lib.*1.*cap.*7. §. 5. *n.*4. & alii. Diſtinguit Henriquez *in Sum.lib.*9.*cap.*30.*n.*1. Dicens poſſe in feſtis ſolemnioribus, ſecus autem in minus ſolemnioribus, quod obſervavi esse de mente Soti *in* 4.*diſt.*13.*q.*2.*art.*5.

Adhæreo affirmativæ ſententiæ: non enim videtur ab Eccleſiæ ordinatione recedere, (obſervat Pacius Iord. *tom.* 1.*lib.*4. *tit.* 1. *nu.* 324.) qui, ut ipſius præcepto ſatisfaciat, ſine miniſtro celebret: vnde ait Gobat *tom.*1.*par.*1.*Theologic.exper.tr.*3.*nu.* 395. ſatius eſt, ſaltem die feſto, ſine omni miniſtro, cum nullus haberi queat, offerre Deo Hoſtiam incruentam, quam non offerre.

Ro-

238 Rogabis. Sacerdos an poſſit tute non celebrare inhærendo ſententiæ negativæ? Reſpondebit affirmativè Franciſcus de Lugo *de ſacrif.lib.5. cap.13. n.13.* dum docet, quod utraq; ſententia, ſcilicet tum negativa, tum affirmativa ad praxim deduci poteſt. Et ita in terminis docet Tamburinus *de ſacrif. lib.1. cap.7. §.1. nu. 5.*

239 Quæſtio IV. Sacerdos ſine miniſtro an teneatur celebrare, ut ipſemet adſtrictus voto celebrandi die pro feſto, obligationi ſuæ ſatisfaciat? & an poſſit? Reſpondeo ad primum non teneri cum Tancredo *in quæſt. moral. par.1.tr.3.diſp.4.q. 57.* ſicuti enim ob feſtum ad id non tenetur iuxta relata ex Delugo *paulo ſupra citato*, neq. obligabitur propter votum, quod juxta Eccleſiæ præceptum obligat.

240 Ad ſecundum negativè reſpondet Tancred. *cit. q.* 58. ubi tamen id indulget Sacerdoti in caſu quo rogaretur, ut celebret, à

no-

nobili matrona voto audiendi ſacrum adſtricta, ne hæc ſcrupulis angeretur, & ne incurrat aliquid notabile detrimentum ſibi imminens, ſi neget miſſam dicere.

Sed poſſet concluſioni principali occurri reſpondendo, quod poſſit: nam ſicut eſt verum, quod obligatio voti, & præcepti pari paſſu deambulant, ideo dicendum, quod ſicuti ſtante feſto poteſt ſine miniſtro celebrari, ita & urgente voto. Vim hujus argumenti elidere videtur Tancredus *dicta q.*57.verſu *nec dicas*, ſupponendo, quod ex conſuetudine tantum aſſiſtentia miniſtri ſit prærequiſita; inde concludens, obligationem ex conſuetudine provenientem ceſſare concurrente obligatione audiendi ſacrum ex præcepto non ſic in voto reſpectu cujus obligatio ex præcepto fortior eſt. Sed ſi haberē Doctorē contra Tancredũ me ſubſcriberē ex dictis *hic,et q.*3.

241 Quæſtio V. An reputari debeat gravis neceſſitas, ut celebrari ſine miniſtro poſſit, ſi Sacer-

do-

dotem urgeat obligatio celebrandi ratione capellaniæ, vel ex alio titulo juſtitiæ proveniens? Reſp. Negat Paſq; *de ſacrif.q.*340. *n.*10. nam obligatio celebrandi unam miſſam quocumq;ex titulo non eſt gravis, eſto obligatio ex iuſtitia ſit altioris ordinis. Sed negativa ſententia limitari poteſt ex eodem auctore *tom.* 2. *de ſacrif. q.* 1206. quando ſtipendium miſsæ, ex quo oritur obligatio celebrandi, eſſet adeo notabile, quod in materia juſtitiæ ſufficeret pro peccato mortali; tunc enim neceſsitas eſſet gravis, dum ex gravi obligatione reſultaret.

242 Quod ſi ſupponatur ſententia aſſerentium omiſsionem celebrationis unius missæ esse mortalem culpam, quos refert Paſqual. *dicta quæſt.*1206.*n.* 1. videtur quotidie urgere neceſsitatem gravem, propterea in ſenſu illorum ſubſtineri poſset, obligatum celebrare quotidie, posse quotidie ſine miniſtro suæ obligationi satisfacere. Sed tu cogita,

Quæ-

243 Quæſtio VI. Si Sacerdos ſubſtentetur miſsæ ſtipendio, nec habeat aliàs unde ſe alat, an poſſit ſine miniſtro celebrare? Reſpondet affirmative Paſqual. *dicta quæſ.* 340. *nu.* 12. quem ſequitur Tonellius *in ſacro Enchir. lib.* 1. *cap.* 1. §. 9. *n.* 3. & meritò; quænam enim gravior neceſſitas eà, per quam quis debet, Jure naturali impellente, neceſsaria ad ſubſtentationem quærere?

244 Quæſtio VII. Sacerdos in villa degit, ut Eremita, an poſſet ſine miniſtro celebrare? Reſp. Affirmat Marchinus *de ordine tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 15. *nu.* 2. ſupponens pro Eremita urgere neceſſitatem ſufficientem diebus feſtivis. Affirmat item Paſqual. *q.* 341. *n.* 3. aſſerens, quod, ſuppoſità licità electione ſtatus eremitici, poſsit ſine miniſtro celebrare; rationem deducit ex hoc, quod cum modus vivendi eremiticè ſit valdè excellens, & conducens ad Dei gloriam; non videtur veriſimile, quod Eccleſia velit ipſum exclu-

dere propter obſervantiam ritus miniſtrum exigentis, ſemel ac quod Eccleſia cenſetur amovere ſuas leges majoris gloriæ divinæ impeditivas.

245 Sed ut diſtinctius, & ſolidius respondeatur ex dicendis infra in peculiari capite de Eremitis diſtinguendum eſt: nam vel loquimur de Eremitis, qui sunt Religioſi, ut Camalduenſes &c. vel de Eremitis viventibus sub ſpeciali obedientia alicujus Prælati Eccleſiaſtici, & ex voto, vel pacto alicui loco ſacro deſervientibus in communitate, aut ſeparatim; vel tandem de Eremitis, qui ex mera voluntate in ſolitudine vivunt, nullam profitentes regulam, vel subordinationem a ſuperiore Eccleſiaſtico. Si de primo, & ſecundo genere ſermo ſit, respondetur, quod ad ſuperiores concedentes modum vivendi eremiticum spectabat providere Sacerdoti eremitæ, ut ſacrificium ritè offerre poſſet, ut ponderat Pasqual. *dicta quæſt.* 341.

341. *n.* 1. circa quod Tamburinus *de miſ. lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. *nu.* 6. verſ: *at quis* docet Episcopum debere rem ad Summum Pontificem remittere.

246 Si vero loquamur de tertio genere, de quo procedit quæſtio, dico quod cum Eremitæ hujusmodi non ſint tolerandi (ex Decreto S. Congregationis *Epiſc. & Regul. in una Catanenſi* 22. *Januarii* 1582. *ajentis: Eremitæ tam fœminæ, quam viri eremiticam vitam ducentes non tolerentur ab ordinariis exceptis Camalduenſibus, & S. Auguſtini,* quod in Eremitas tertii generis tantum dirigitur, ut Lezana *in Sum. tom.* 2. *cap.* 7. *nu.* 8.) non eſt illis indulgendum, quod ſacrificent ſine miniſtro, illiſq; non ſunt applicanda motiua divinæ gloriæ, quæ proponit Paſqualigus, ſemel ac quod illicitè ſtatum elegerunt.

247 Quæſtio VIII. Inceptà miſsà à Sacerdote in villa recedit miniſter amplius non reverſurus, nec adeſt qui hujus vices ſup-

pleat, quid tunc faciendum? *Reſp.* Continuabitur ſacrum ſi miniſter aliquantulum expectatus non venit Tambur. *de ſacrif. lib.1.cap.7.* §.5.*n.6.* verſu *duo.* Diana *par.10.tr.15.reſol.26.* §. *Sed hic obiter.* Ratio eſt: quia defectus miniſtri eſt minoris ſuppoſitionis, quam omiſſio miſsę inceptæ. Notabilis tamen eſt pro hoc puncto doctrina Quarti *in rub. miſ. par. 2. tit.2. dub.1. diffic.2.* verſu *colligitur tertio* aſſerentis quod miſsa ſemper continuari debet ſive miniſter receſſerit poſt conſecrationem, ſive poſt inceptum canonem, ſive etiam ab initio.

248 Quęſtio IX. In caſu quo celebretur in villa ſine circumſtantibus, & ſine miniſtri aſſiſtentia, vel quia ille receſsit, vel quia nec à principio adfuit, dum fit confeſſio debet dici: *vobis fratres*, *& vos fratres, orate fratres, Dominus vobiſcum*, *&c.* an potius hæc, & ſimilia indicantia præſentiam plurium adſtantium omitti, vel mutari debeant? Reſpondeo, quod omiſ-

omiſsio, vel mutatio ſi fieret, committeretur defectus, ut conſtare facilè poterit ex Bulla Pij V. Miſſali Romano adjecta. Aliàs in casu quo Sacerdos celebraret cum ſolò miniſtro deberet dicere *tibi frater*, & *te frater*, quod meritò non concedit Anonymus (aliàs Georgius Mezleri *in appendice, & annot. ad Rubricas gener. Miſſalis*) *in Theſauro Sacerdotum, & Clericorum par.5.tit.3. ritus celebrandi miſſas* in quadam annotatione *poſt n.11.fol. mihi* 203. aliàs etiam deberet Sacerdos omittere: *& omnium circumſtantium*; ſed

249 Rogabis. Ad quos ergo se referent verba pluralis ſignificationis, quando unus, vel nullus sacrificio intereſt? Respondeo referri, vel ad eos, qui spiritualiter ſacro intersunt, vel ad totam Eccleſiam. Ita Gobat *in exper. Theol.tom.1.par.1. tr.3. n.*398. legatur etiam Delgadillus *de Euchar.myſter.cap.16.n.*147.*in fine.* & Petrus a S. Ioſeph *in Idea Theol. ſacram.lib.2.cap.* 12. *reſol.3.in fine.*

250 Quæſtio X. Sacerdos in villa non habet aſsiſtentem, qui reſpondere ſciat, ſed tantum qui miniſtrare urceolos &c. poſsit, poſset ne hunc deputare? Resp. Ita planè; & hujusmodi miniſtri erit urceolos miniſtrare, aquam manibus infundere, aliaq; munera ſervientis præſtare, cætera verò Sacerdos ſibi reſpondēdo ſupplebit. Pasqual. *de ſacrif. tomo* 1. *q.* 343. *n.* 4. ubi nec ad hoc requirit aliquam neceſsitatem præter defectum aptioris miniſtri; cui non diſsentit Tonellius *in Sacro Enchir. lib.* 1. *cap.* 1. §. 9. *n.* 8. & quāvis ratione feſti Tambur. *de ſacrif. lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. *n.* 1. laudet quemdam Sacerdotem ruſticantem, qui ruſticum deputavit pro ſervientе; mihi tamen videtur etiam practicari poſse diebus profeſtis, & a celebrare volentibus cauſa devotionis dumtaxat juxta mentem Pasqualigi, & Tonellij.

251 Quæſtio XI. An poſset Sacerdos in prædicto casu aliquem inſtruere, & cum eo res-

pon-

ponſionum verba dicere, vel eum ubi neſciat prævenire? Resp. Absq; ſcrupulo ſic celebrare poſſe affirmat Geſualdus *p.* 1. *Theol. mor tr.*17.*cap.*1. *n.* 51. Sed cave ſcandalum, & admirationem. Hinc Gobat *in Theol.exper.tom.*1. *par.*1.*tr.*3.*n.* 397. non laudat id ſi fiat extra locum ſecretum: ideo ſi prædicta immineant, meo judicio optimum erit conſilium illum deputare dumtaxat pro immediato miniſterio, ſcilicet porrectione urceolorum &c.

252 Quæſtio XII. Sacerdos in villa non habet perſonam, quæ miniſtrare valeat, præter fœminam; an poſſit illius miniſterio uti? Ratio dubitandi eſt; quia fœminas altaris miniſterio deputare de Jure eſt vetitum in *cap.* 1. *de cohabit. Cleric. & mulierum*, en illius verba ex Concilio Moguntino deſumpta: *Prohibẽdum quoq; eſt, ut nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut preſbytero miniſtrare, aut intra cancellos ſtare, ſive ſedere.* Utinam custo-

direntur tam ſanctæ ſanctiones.

253 Reſpondeo igitur, quod Doctores variè ſenſerunt: nam ſi reſponſionem à celebri Cotonio expoſtulemus, certè reſpondebit, Sacerdotem prædictum poſſe permittere, quod fœmina de longè reſpondeat, non autem, quod in ipſo altari miniſtret: & ita docet *lib.2.contr.5.n.* 111. & eodem modo reſpondebit Gobat ex ijs, quæ regiſtrat *loco cit. tr.*3. *n.* 394. quod eſſe uſu receptum fatetur Tonellius *cit.n.*7. ſubdens ex Lugone id nullo Jure prohiberi.

Diſpar tamen votum darent Vaſquez, & Lublinus, hic *in ſum. v.miſſa n.*4. ille *in* 3.*par.q.*83. *art.* 5.*nu.*42. ſtatuentes, neque ad reſponſiones diſtantes fœminam admitti debere, quod ex diametro opponitur ſenſui Didaci Nugni *q.*86.*artic.*6. *dub.*1. admittentis fœminas tum ad reſponſiones, tum ad porrectionem urceolorum, &c. quæ miniſteria mediata, & immediata appellat Leander

de

de ſacrif. diſp.7. q. 56. In hac opinionum varietate

254 Fateor opinionem Nugni (quæ communiter improbatur teſte Jordano *tomo* 1.*lucubr. lib.*4.*tit.*1.*n.*318.) tãtum mihi diſplicere, quantum placet illa Vaſquefii,& Lublini,cum Concilium relatum,nulla facta differentia inter utrumq; miniſterium, fœminas à miniſterio altaris repellat: proinde videtur utrumq; prohiberi; nec video, unde cogatur Sacerdos admittere fœminam tantum ad reſponſiones juxta doctrinam Cotonii, & aliorum,cum ſibimet reſpondendo miniſteriũ mediatum commode obire poſſet; eſto non ſit indecorum, quod fœminæ ſolùm reſpondeant, ut inſinuat Diana *par.* 10. *tr.* 15. *reſol.* 26.§. *addit,* & in hoc ſenſu (quod scilicet utrumq; miniſterium peragere fœminę non poſſint)credo loquutos illos Doctores ſtatuentes, quod ſi occurrat caſus, quo oporteret Sacerdotem celebrare, aut ſolum, aut cum fœminæ aſſi-

ſtentia; tunc potius eſſe ſine miniſtro celebrandum, quã fœmina miniſtrante. Ita Reginaldus *in praxi lib.20.nu.* 164. Coninch *de ſacr.q.*83.*artic.*5.*n.*264. advertens conſuetudinem contrariam aliquibus in locis vigentem nullo modo eſſe probandam, utpote repugnantem aperto Juri, & venerationi tanto Sacramento debitæ; quam advertentiam ultro mutuor, ut Tonellio teſtanti de uſu contrario reſpondeam.

255 Unum tamen adnotare non omitto, ad concedendum miniſterium mediatum fœminis, nõ juvare rationem ex uſu monialium deſumptam: quia Doctores, & præsertim Leander *dicta q.* 56. hujuſmodi miniſterium in caſu neceſſitatis admittunt, & moniales ſine aliqua neceſſitate id practicare ſolent. Rurſus non eſt miniſtri repetere *Gloria*, *Graduale &c.* propterea dicendum, uſum evincere tantum, quod fœminæ poſſunt chorum formare, non autem miniſtrare.

Non

256 Non ibo tamen inficias, Sacerdotem adhærentem Cotonio, Dianæ, & alijs non arguendum: (quicquid ſit de mea opinione, de qua paulò infra *n.* 259. §. *Ego vero*) inniteretur enim authoritati tantorum Scriptorum ita Jus interpretantium ex aliquo non enervi fundamento; arguerem tamen meipſum, ſi Nugnum ſequerer, quia ſimplici authoritate inniti ſine rationis pondere tutum non reputo.

257 Quæſtio XIII. Fœminam adhibens ad utrunq. miniſterium qualiter peccet? & qualiter ipſa miniſtrans? Reſpondeo quoad primum, quod quamvis Sylvius *in* 3.*par. q.*83. *artic.* 5. verſu *circa reſponſum ad* 12. non agnoſcat niſi veniale; communiter tamen cum Paſqu. *de ſacrif. tomo* 1. *quæſt.* 342. *num.* 3. lethalis culpa meritò exiſtimatur.

258 Quo ad ſecundum Marchinus *de ordine tr.*3.*par.*3.*cap.*15 *n.*3. ſuſtinet fœminam miniſtrantem graviter delinquere, quod

mihi placet; reſpiciendo tamen ignorantiam fœminarum, quæ quando concurrit, videtur eſse excuſationi locus.

259 Quæſtio XIV. An neceſſitatis cauſa poſſit fœmina ad alterum, vel utrunque miniſterium admitti? Reſp. Ad mediatum admittitur à Leandro *de ſacrif. diſp. 7. quæſt. 56.* & alijs, qui non explicat ex quo gradu neceſſitatis id liceat: explicat tamen Delgadillus *de euchar.cap. 16. nu. 160.* non requirens aliam neceſsitatem præter defectum viri, qui etiam *n. 161.* immediatum fœminæ indulget, urgente neceſsitate celebrandi propter Viaticum, vel feſtum.

Ego utrunque nego, inhærendo ſenſui Reginaldi, Coninchii, & aliorum docentium, potius ſine miniſtro celebrandum, quam muliere adjuvante. Equidem, ut dixi, in neceſsitate celebrandi ex quacunque cauſa non video urgere neceſſitatem adhibendi fœminam: nam vel adeſt ruſticus,

qui

qui poteſt immediatum miniſterium explere; & tunc ſervatur ſubſtantialiter præceptum miniſtri, ut obſervat Paſqual. *q.* 343. *n.* 4. dicens, adhoc ſufficere carentiam aptioris aſsiſtentis, proinde quo ad reliquum miniſterium nil obligat; quod ſi neſciat reſpondere, huic inſcientiæ obviabit Sacerdos, ſibimet reſpondendo. Vel non adeſt, & urget graviſsima neceſsitas ex enumeratis ſupra *à n.* 235. & ſine adjumento prohibito utrunque miniſterium ipſemet ſupplebit. Et hęc mea reſponſio eſt juxta mentem Tamburini *de ſacrif. lib.* 1. *cap.* 7. §. 5. *nu.* 3. ajentis, quod hujuſmodi neceſsitatibus melius, & minus periculosè providetur per Sacerdotem ſibi ipſi miniſtrantem.

260 Quæſtio XV. Sacerdoti in villa an poſsit miniſtrare proprius filius? Reſp. Si eſt legitimus poteſt, ſecus ſi illegitimus *cap. cum decorem* 15. *de fil. presbyt.* Paſqual. *de ſacrif. quæſt.* 349. *à n.* 1. ex Quintanaduenas. Sacerdos

au-

autem admittens filium ſuum illegitimũ mortaliter peccat Paſq. *cit.n.*5.Excuſabis tamen à mortali Sacerdotem villaticum filio illegitimo in ſacrificio utentem in ſensu Pasqual. *n.*4. & 5. & Quintanadueñas *Primo* quando neceſſitas impellit. *Secundo* quando illegitimitas in villa eſt occulta. *Tertio* quando celebrat secreto.& *Quarto* quando ex consuetudine id non eſt indecorum : juxta verò meum ſensum,niſi immineret periculum manifeſtationis illegitimitatis, quam ſuppono in villa occultam,& neceſsitate celebrandi, à Juris canonici ſanctione in dicto cap. *cum decorem* non recederem.

261 Quæſtio XVI. Sed quid dicendum ſi habet solùm excommunicatum, qui miniſtrare posset, an ille esset admittendus? Respondet affirmativè Pasqualigus *quæſt.*348.*n.*2.ſi excommunicatus ſit toleratus, urgeatque necessitas celebrandi : hæc autem ut docet *num.* 3. sufficit quod ſit

gra-

gravis, non autem requiritur, quod ſit ſumma: hinc urgente gravi obligatione celebrandi, poteſt excommunicatus ad aſſiſtentiam admitti. Gravem reputat *n.* 4. neceſſitatem celebrandi in Sacerdote indigente pro lucrando ſtipendio; ordinatur enim ad vitæ ſubſtentationem: & tu idem dicas de neceſsitate celebrandi propter Viaticum, vel feſtum.

262 Si verò ſit vitandus meritò negat *n.*5.contra Turrianum: Equidem ſi Sacerdos adſtringatur ad celebrandum propter graviſſimam neceſsitatem, jam diximus poſse ſine miniſtro celebrare; vel propter levem, & non eſt celebrandum.

263 Quæſtio XVII. Regulariter Sacerdoti in villa deficit miniſter, quid ergo facere debeat? Reſp. Petere debet diſpenſationem. Ita Geſualdus *in Theol. mor. p.*1.*tr.*17.*cap.*1.*n.*49. vel à Summo Pontifice; vel ſi ad illum aditus non pateat ob temporis anguſtias, vel ſimiles circumſtantias, ab

ab Epiſcopo, cui tunc tamquam Delegato id incumbit Paſqual. *q.* 340.*n.*1.

SUBSECTIO IV.

De Miſsali.

264 INter cæteræ requiſita ad Sacrificium ſacroſanctum ritè offerendum, miſsale reperitur, cujus Gregorius Magnus vel auctor, vel reformator fuit; circa quod vide Gavantum *in rubr.miſſal.par.*1.*in princ.ſub litt.C.* reputaturque ita neceſsarium, ut ſine eo ex communi ſenſu miſsa celebrari licitè nequeat. Senſus autem Doctorum fundatur in Rubrica *de defectibus tit.*10.*n.*1.*in fine*, quæ pro defectu enumerat carentiam miſtalis his verbis: *ſi non adſit miſſale, licet memoriter ſciret* (Sacerdos) *miſſam, quam intendit dicere*, quæ cum gravis exiſtimetur firmant mortale eſse ſine miſsali ſacri-

crificium celebrare communiter Doctores cum Azorio *inſtit. mor. tom.1.lib.10.cap.29.queſt.4.* quamvis Pacius Jordanus *tom.1.lucubr. lib.4.tit.1.n.311.* lethalem culpam tantum admittat in caſu, quo deſit canon, quod abſolutè, & rectè, non admittit Paſq. *q.718.n.4.*

Quia autem in villis Sacerdotes nullum miſſale invenire poſſunt,& ſi inveniant, illud eſſe poteſt ineptum, vel quia non reformatum, & ſi reformatum, mutilum, vel alterius ritus,indèq; plures urgere poſſent dubitationes circa id, quod tunc facere debeant, ut numeris omnibus Enchiridion, juxta vires, pro certo tenues, abſolvamus, ſequentibus quæſtionibus ad miſſale ſpectantibus, ſatisfacere non omiſimus.

265 Quæſtio I. Sacerdos in villa non habet miſsale, poteſtne abſq; eo celebrare? Reſpondeo affirmative ex Tamburino *in opuſc. de ſacrif. lib.1.cap.5.§.1.n.2.* recte approbante factum Sacerdotis

dotis Societatis ob devotionem celebrare volentis in villa, ubi deerat miſsale: qui, ut devotioni ſatisfaceret, & defectui occurreret, ſcripſit totum Canonem, totamq; miſsam de S. Maria in Sabato, quam legendo celebravit: quod factum etiam approbat Gobat *in Theol. exper. tom.*1. *par.* 1.*tr.*3.*nu.* 304. *&* 305. & Tonellius *in ſacro Enchir. lib.*1. *cap.*2. §. 8.*n.*2. addens, quod ſcriptum applicaret alii libro ad vitandam admirationem. Sed de hoc addito infra *n.*269.

366 Quæſtio II. Sed quid faciendum, ſi etiam deſit commoditas ſcribendi? Reſpondeo cum diſtinctione: vel Sacerdos eſt felicis memoriæ, unde missam mente retineat, prudenterque putet ſe non erraturum; & tunc poterit tute ſine missali, & ſcripto celebrare. Ita Diana *par. tr.*14.*reſol.* 46. in quo nec veniale agnoſcit Marchinus *de ſacr. ord. tr.* 3. *par.* 3.*cap.*12. *n.*6. licet Tabiena *v. miſſa n.* 12. id mortale

exi-

exiſtimet,tum propter conſuetudinem, tum quia multi magnæ memoriæ etiam deficiunt. Sufficit autem, ut iudicium, quo Sacerdos putet non erraturum, ſit prudens, & quod ſit moraliter de eo certus, ut innuit Diana *dicta reſol.*46. & advertit Tobias Lohner *de ſacr.miſ. par.*1.*tit.*3.§.1.*q*.6. *fine*, quod ſi ſe exponeret periculo errandi; tunc peccaret vel leviter, vel graviter juxta qualitatem periculi, quod non declinavit, ſcite Pasqual. *q*.719.*n*.1.

267 Si vero ob defectum memoriæ se exponit periculo errandi, & tunc quamvis Delgadillus *de Euchar. myſter.cap.*16. *num.* 84. versu *dico* 2. ſubſtineat in casu urgentiſsimę neceſſitatis, Viatici V.G. id fieri poſse,licet timeatur omiſsio notabilis partis etiam Canonis: ego quidem non aſsentior; assentior tamen Paſqualigo *de ſacrif.q.*719.*n*.4. firmanti posse ſolum ex viatico E. G. celebrari ſine missali cum aliquo periculo levis erroris,

Ro-

268 Rogabis. Requiritur ne neceſsitas ad celebrandum ſine missali prudenter fidendo memoriæ? Resp. Ita supponit Macri in Hierolex. *v. miſſalis.* Sed Delgadillus *cit.* versu *dico* 3. nullam exposcit, unde sola devotionis causa impellente id fieri poterit, quod non concedit Pereyra *in elucid.Theol.n.* 1594. *circa finem* magnam requirens neceſsitatem.

269 Quæſtio III. Quando ſine missali celebratur, an liceat alium librum loco ipſius altari admovere? Resp. Negat Paſq. *q.* 718.*n.* 9. & mordicus Marchiſius *in memor.Sacerd. ſchol.*7.*n.*9.ex eo quod in appoſitione missalis recluditur myſterium, quod in alio libro contineri non poteſt.

Sed affirmat non solum licere, sed & debere apponi Diana *par.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 46. quem sequitur Coton. *lib.*2.*contr.*5. *n.*91. & Tonellius *dicto* §.8. *nu.* 2. propterea dicit, quod quando missam deſcriberet (prout in casu Tamburini de quo *quæſ.*1.) alicui libro illam

illam applicaret:& noviſsimè pro vitanda admiratione id ipsum docet Biſsus *in Hierurgia. litt. M. n.* 267. §. 2. Ratio Marchiſii valdè me impellit ad negativam; præſertim quia ratio Dianæ, & aliorum fundatur in admiratione imminenti ex celebratione ſine miſsali, cui bene occurri poteſt monitione adſtantium: cæterum Sacerdos attendat circumſtantias, ſecundum quas faciat, quod ipſi libet ſemel ac quod Doctores utrinque graves variè ſentiant.

270 Quæſtio IV. Sacerdos ritus Romani in villa habet miſsale, sed antiquum, non reformatum scilicet à Pio V. & recognitum à Clemente VIII. poterit ne illo uti? Resp. Non poteſt ſine juſta causa, alias peccabit; leviter tamen: recens enim reformatio non eſt notabilis. Ita Pasqual. *q.* 720.*n.* 3. cui adhæret Tonell. *cit. nu.* 7. licebit ergo eo uti concurrente levi causa; hujusmodi erit, ut exemplificat Paſq. *cit.* paupertas Eccleſiis ruralibus satis familia-

liaris, propter quam non poteſt emi miſsale reformatum.

271 Quæſtio V. Quid faciendum ſi missale ſit ritus alieni? Suppono hoc esse vetitum sub mortali, niſi inscienter, & cum causa fiat, ut declaravit S. Rit. Congregatio apud Garſiam *de benef. par.* 3. *cap.* 1. *nu.* 156. ex quo communiter refertur. Suppono rursus, quod ritus alii à Romano, vel sunt locales, ut Ambroſianus, vel personales, ut Fratrum Prædicatorum.

Respondeo igitur, quod ſi misſale ſit primi generis licebit cum eo celebrare, poteſt enim quis conformari ritui locorum, quâ tranſit, secus vero ſi secundi: quia ritus personalis ultra privilegiatos non extenditur Pasqual. *dicta q.* 720. *n.* 4. ubi concedit, ſtante defectu missalis proprii ritus, posse celebrari cum eo ritus personalis, quaſi quod defectus ipse ſit juſta causa. Sed ulterius requirerem neceſsitatem celebrandi, puta propter feſtum: alias sem-

per

per verificaretur juſta causa, quod non eſt secundum mentem S. Congregationis *citatæ*; & eſt doctrina Quarti *in rubr.miſ.par.1. tit.14.dub.2.* versu *an autem* recte advertentis id non esse indulgendum, quando ritus alienus ſit notabiliter diversus, & non poſsit ſine deformitate tractari;& Tamburini *de ſacrif.miſ.lib.2. cap. 5. §. 2.n. 22.* quos poſt hæc scripta legi. Ideo moneo cum Cotonio *lib.2. contr.5. n.* 90. Sacerdotem novo ritu celebrantem, ut prius illius ceremonias addiscat, ne indecore sacrum peragat.

272 Et hinc deduces Ambroſianum transeuntem per loca ritus Romani, posse uti Romano. Tamburinus *cit.n.*19. & etiam religiosus peculiaris ritus Quartus *cit.* versu *colligitur tertio* id limitans, quando esset per regulam vetitum.

273 Quod ſi villa ſit alieni ritus à missali ibi invento; tunc iuxta ſuperius dicta celebrarem adminus ob feſtum.

Quæ-

274 Quæſtio VI. Sed quid ſi Miſſale ſit Defunctorum, ſitque dies Dominicæ, vel Duplex, poteritne celebrare miſſam de Requiem? Reſp. Miſſas haſce privatas diebus prædictis prohibet Rubrica *tit.* 5. *num.* 2. his verbis: *Miſſæ autem privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & Dominicis diebus*. & non ſolum prædicta Rubrica, verùm etiam Sacræ Congregationis decreta, & Summorum Pontificum ſanctiones à miſſarum de requiem celebratione prædictis diebus abhorrent; quorum ut ſuccincta, integra, & clara notitia habeatur (non enim ſunt paſſim obuia) antequam ad quæſtionem reſpondeamus, quæ ſequuntur præ oculis haberi debent.

275 Et quidem Primò. Sacra Rituum Congregatio die 5. Auguſti 1662. per Alexandrum VII. fel. rec. approbata decrevit, Rubricam prohibentem miſſas privatas Defunctorum diebus duplicibus om-

omnino ſervari; quod ſi ex benefactorum præſcripto miſſæ prædictæ in feſtum duplex incidant, *tunc minimè transferantur* (verba ſunt Decreti citati,quod per extenſum habes apud Lantuſcam *in Theatro Regular.in addit.verbo* Miſsa *nu.* 1.) *in aliam diem non impeditam , ne dilatio animabus ſuffragia expectantibus detrimento ſit , ſed dicantur de feſto currenti cum applicatione ſacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum*: cui decreto *Sanctitas Sua anuuit, & cum applicatione ſacrificii ſatisfieri , ac Benefactorum mentem impleri voluit*

Secundò . Idem SS. Alex.VII. die 22.Januarii 1667. in conſtit. 176. *Creditæ nobis* apud Bullar. tom. 5. (quam etiam integram affert Lantuſca *cit. n.*2.) approbavit aliud S. Rit.Congr. decretum in una Novarienſi 22. Novembris 1664. quo declaratum fuerat , *Anniverſaria , & miſſas cantatas de Requiem relictas ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis*

Sac.in Villa. K *in*

in die ipſorum obitus etiam in duplici maiori contingentis non comprehendi in dicto Decreto; & ulterius *quoad Altaria perpetuò privilegiata , & in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ ſint miſſæ de Requiem ex obligatione, auctoritate, & tenore prædictis declaravit, per celebrationem miſſarum de feſto currenti ſatisfieri dictis obligationibus , & ſuffragari cum eiſdem Indulgentiis , perindè ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ de Requiem ad formam privilegiorum .*

Tertiò . Clemens IX. fel. rec. die 23.Septembris 1669.in Conſtit.39. *Cum fel. rec.* apud Bullar. tom. 5. declarationem Alexandrinam altaribus perpetuò privilegiatis faventem ad privilegiata ad tempus , & etiam quando ex ſola devotione Miſsæ celebrantur , extendit per hæc verba . *Hinc eſt , quod Nos* , & infra *declarationem , à memorato Alexandro Prædeceſſore , ſicut præmittitur , editam , ad Altaria , ut præ-*

præfertur non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc, & in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apoſtolica tenore prҿſentium extendimus. Et proinde, ut miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo Miſsæ Defunctorum celebrari non poſſint, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur, ita ut animæ Chriſti Fidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per privilegia hujuſmodi conceſsas conſequãtur in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi Miſsæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.

Quartò tandem Innocentius XI. 4. Maii 1683. per conſtitutionem, quam integram refert Pignatellus *tom.9.conſult.90.cap.11.nu.*132. Decretum Sacrҿ Ri-

tuum Congregationis ſub die 3. Aprilis ejuſdem anni confirmavit, & approbavit, per quod declaraverat quod *Alexandri, & Clementis declarationes ſibi pariter locum vendicarent etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licèt à feſto duplici non impediantur; adhuc tamen Miſsæ Defunctorum juxta ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Miſsæ, quas iiſdem diebus celebrare licet, ſervata cæteroqui dictorum privilegiorum forma ad præfata altaria privilegiata celebrarentur.*

36 Ex quibus decretis, & conſtitutionibus patet, quod transgreſſio Rubricarum de non celebrandis miſſis de Requiem diebus duplicibus, Dominicis, Octavis privilegiatis &c. eſt gravis, ſemel ac quod Summi Pontifices potius maluerunt extendi indulgentias altarium privilegiatorũ, etiam ad miſſas de die, ac per

has

has voluntati benefactorum ſatisfieri, quam rubricas violari.

Patet etiam per decretum S.C. anni 1662. approbatum ab Alex. VII. ſatisfieri diebus duplicibus per celebrationem miſſæ currentis; ac per hanc iiſdem diebus non ſolum altaris perpetuò privilegiati ſuffragia conſequi ex Conſtitutione anni 1667 ejuſdem Alexandri, verùm etiam altaris ad tempus privilegiati, prout ex Conſt. Clem. IX. anni 1669.

Patet item ex dicta Conſtitutione Innocentii XI. anni 1688. id procedere non tantum in diebus duplicibus, verùm etiam in ſemiduplicibus, in quibus miſſæ privatę de Requiē celebrari prohibētur puta dominica, & diebus infra octavas ſuperius enūciatas.

Et tandem patet ex relato decreto anni 1667 poſſe anniverſaria, & miſſæs cantatæ de Requiem pro adimplenda teſtatorum voluntate in die ipſorum obitus celebrari, quamvis feſtum ſit duplex majus:

277 Sed ut redeamus ad quæſtionem, cui ſatisfacere debemus juxta decreta præmiſsa. Dico, quod Sacerdos non poteſt quantum eſt ex ſe miſſam de Requiem prædictis diebus celebrare: eſſet enim clara transgreſſio Rubricæ, ut dixi, gravis, cui omnino parendum. Sed quia ſumus in re Juris poſitivi, nil mirum ſi epikiæ locum demus: ſanè quid diceret Summus Pontifex Sacerdoti in villa non habenti niſi miſſale Defunctorum, & qui non poſset aliam miſsam, quam de *Requiem* dicere, & hoc die feſtivo, ac adſtrictus ab incolis villæ ad celebrandum? Mihi ſuadeo Rubricæ diſpenſaturum; eo quia non credo Summum Paſtorem malle ſuas oues diebus Dominicis (idem dic de feſtivis ex præcepto) privari ſpirituali ſolatio ſacrificii; propterea id indulgerem pro diebus præcepti. Ita ſenſerunt docti Viri à me de hoc puncto requiſiti, præſertim Doctiſſimus

P.

P. Fulgentius Caſtiglione è S.J. olim præceptor meus, cujus opera, quamprimum in lucem edenda non parvam afferent utilitatem. An autem miſſa de *requiem* tunc debeat celebrari cum paramentis nigris, vel diei correſpondentibus? vide ſupra hìc *ſect.* 2. *ſubſect.* 3. *q.* 5. *num.* 163.

278 Cavendum igitur hodie à Delgadillo *de Euchar. myſter. cap.* 16. *nu.* 170. *&* 171. non cognoſcente culpam, nec venialem in Sacerdote celebrante miſſas votivas, vel de *requiem* tum ſolemnes, tum privatas in feſtis duplicibus, & Dominicis.

* * *

* *

*

SVBSECTIO V.

De Hora celebrandi.

279 PLura ſunt ſervanda ex gravi præcepto in ſacroſancto Miſsæ ſacrificio ritè peragendo ; interquæ debitum tempus : circa quod, cum varii abuſus ſuperſtitionis cauſa irrepſerint, Tridentinum *ſeſs.* 22. in Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione miſsarum* præcepit, ut miſsæ debitis horis celebrentur. Hoc autem tempus quale ſit, jam eſt determinatum per Pium V. fel. record. in Rubricis Miſs. *tit.* 25. *n.* 1. illud ſcilicet, quod continetur inter auroram, & meridiem: quamvis tempore Theleſphori Papæ (qui floruit in pontificatu ab anno 127. duobus circiter luſtris) Miſsæ celebrari non poterant ante horam tertiam ex Decreto eiuſdem Pontificis rel. *in cap. nocte ſancta de conſecr. diſt.*

1. cui

1. cui jam conſuetudo meritò ante Pium *cit.* derogaverat: eo quia tunc Chriſtiani occultè religionem profitebantur, & ante illam horam non poterant in Eccleſijs, in quarum qualibet unica tantum offerebatur hoſtia, convenire, quod hodie motivum non habet locum ob libertatem chriſtianæ legis, & Miſſarum multiplicitatem.

280 Auroræ autem appellatione venit crepuſculum matutinum, ſeu prima diei lux ſuboſcura ad orientem ante ſolis adventum matutino tempore apparens, ut explicat doctiſſimus Vitalis *in lexic. mathemat. v. aurora n.* 358. quod in noſtro hemiſphærio accidere una hora, & media ante ſolis ortum refert Tamburinus *de ſacrif. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 1. Sed ordo recitandi officium iuſſu Illuſtriſſimi Archiepiſcopi quolibet anno impreſſus pro noſtra diœceſi duas horas ante ortum ſolis pro initio auroræ aſſignat, quod tempus li-

cèt volverit ex Scoto Delgadillus *de Euchar.cap.* 16. *n.* 28. mathematicè ſumendum; communis tamen Doctorum morali cõputatione contentatur, quam ſectatur Gobat *in Theol. exper. tom.*1.*par.*1.*tr.*3. *n.* 198. proinde meritò Diana *par.* 2.*tr.* 14. *reſol.* 33. ait, auroram non debere cõſiſtere in indiviſibili, & poſse celebrari quando irradiato eſt proxima.

Meridiem item, qui eſt terminus, ultra quem non licet ſacrificare, morali etiam modo computari poſse omnium fere Doctorum ſenſus concedit, teſte Serra *in* 3.*par.* D.Tho. *quæſt.*83. *art.* 2. verſu *poſt meridiem prope finem.*

Nota hìc, quod quãvis ſupra explicaverim verba *crepuſculũ matutinum* pro prima luce diei, uſus phraſi vulgari pro auroræ ſignificatione; ſcio tamen Thomam Dempſterum *in addit: ad lib.*4.*Antiquit.Rom.ca.*5.*in princ.* aliter, & quidem propriè, ſenſiſ-

ſe,

ſe, dicẽtẽ pro crepuſculo intelligi tempus illud, quum noctescere incipit iuxta illud Ouidij emendati.

Sed tamen experiar modo facta
crepuſcula terris,
Vltima pars lucis, primaque
noctis erat.

Tempus verò matutinum quum dieſcere incipit diluculum. Sed quidquid ſit de proprietate ſenſus prædicti verbi, de quo in addit: ad hierolexicon doctiſſimi Macri (quæ Deo favente quam primum lucem aſpicient) tactis iam generaliter nonnullis circa horam celebrandi, reſolvenda ſunt dubia, quæ in villis emergere poſſunt. Vnde ſit

281 Queſtio I. Villa diſtat ab Eccleſia parochiali, & ante auroram, vel poſt meridiem urget neceſſitas viatici; poteſt ne tunc Sacerdos celebrare? Reſp. Affirmativa ſententia eſt omnium, nec vidi Doctorem de ea hæſitantem: nihilominus diſcrepant in aſsignando tempore, per

quod liceat viatici cauſa à terminis ſtatutis pro ſacrificando recedere. Nam circa id, quod ſpectat ad Auroram, Bonacina *de ſacr.diſp.4. quæſt. vlt.pun.9.n.* 3. nimis ſane avarus, concedit dumtaxat, quod per mediam horam ante auroram celebrari poſſit. Trullench verò *de ſacr. lib.3. cap.8.dub.* 13. *n.* 2. docet ſacrum poſſe fieri à tempore, quod magis accedit ad auroram, quam ad mediam noctem. Sed tu ne deſeras benigniorem, & communem ſententiam admittentem poſſe celebrari ſtatim poſt mediam noctem, quam tuetur Diana *par.*10.*tr.*12. *reſol.* 26. §.*nota hic*, quem ſequūtur Dicaſtillo, Leander, Card. De Lugo apud eumdem, & tandem Cotonius *lib.* 2. *contr.*5. *n.*66. propterea ait Gobat *cit.tr.*3.*n.* 200. Bonacinam refellens: mallem ſtatim poſt mediam noctem ſacrificare, quā permittere quemquam decedere abſque hoc neceſſario ſacramento: imò Paſqualigus *de ſacrif.tom.*

1.q.407.nu. 8. quando neceſſitas Viatici valdè urget, concedit Sacerdoti, poſſe incipere miſſam circa mediam noctem, modò judicet, quod circa conſecrationẽ erit media nox.

282 Circa verò id, quod ſpectat ad poſt meridiem celebrandum Viatici causâ, etiam conveniunt communiter Doctores concedendo, poſse notabiliter poſt meridiem celebrari (intellige per Sacerdotem jejunum, nam num liceat per injejunum *cap.* 2. *ſect.* 1. dicemus) licèt etiam diſcrepent in aſſignando tempore. Bonacina etenim *cit. n.* 2. ſupra dicta parvitate uſus, non concedit celebrari ultra mediam horam. Diana vero *dicto* §. *nota hic* uſque ad nonam ſcilicet ad tres horas poſt meridiem celebrari poſse indulget, quem ſequitur Leander *de ſacrif. miſs. diſp.* 6. *q.* 12. teſtans de communi: nec deſunt, qui ſtatuant poſſe celebrari à jejunis etiam per totum diem. Ita ex Auerſa,

Fran.

Fran. Lugo, & Quarto, Paſqualigus *cit. q.* 415. *n.*6. non explicans tamen diem computandum eſſe à media nocte, ad mediam noctem, vel ab ortu ſolis ad occaſum: ſe explicat tamen Cotonius *cit.n.* 73. dicens, ad dandum Viaticum infirmo quacumq; horâ poſſe celebrari, licèt antea Sacerdos celebraverit, & prãderit: quoniam prevalet neceſſitas Viatici præcepto nõ celebrandi bis, & celebrandi jejunè. Sed de multiplici celebratione dicemus *ſect.* 5. *ſubſ.* 2. & de celebrando injejunè *cap.*2. *ſect.* 1.

283 Quod ſi obiicies Cotonio, conſtitutionem Pii V. *Sanctiſſimus* 1567. 28. *Martij* revocantis facultates celebrandi veſpertinis horis, cuius nec mentionem facit; defendit illum Paſqualigus proximè *cit.n.*9. reſpondendo, eam conſtitutionem urgentibus neceſſitatibus non conſulviſſe; & ſic extra illas locum ſibi vendicare.

284 Quæſtio II. Ad cele-
bran-

brandum ante auroram, & poſt meridiem Viatici cauſâ an requiratur licentia Epiſcopi, etiã ſi ibi adſit? Reſpondeo negatiuè cum Præpoſito Diana *cit. reſol.*26.§. *Nota hic*, Quart.*in rubr. miſ.par.*1.*tit.*15.*dub.*4.§. *Reſpondeo affirmatiuè, & dub.* 5. Sed, ſi commodè poſſem, veniam petere non omitterem.

285 Rogabis hìc. Qui audit miſſam, ut ſupra legitimè dictam extra tempus præſcriptum, an ſatisfaciat præcepto de audiendo ſacro? Reſp. Affirmat Diana *proxime cit. reſol.* 22. §. *Sed difficultas* etiam ſi Sacerdos id faceret in caſu ſibi non permiſſo, & ſic illicitè; quicquid aliter ſentire videtur Paſqualigus apud eumdem, inde Diana *ibidem* rectè infert; quod inducens illicitè Sacerdotem ad celebrandum duabus, vel tribus horis poſt meridiem, quamvis peccet, ſi illum tamen audiat, præcepto ſatisfacit.

286 Quæſtio III. Poteſtne au-

auroræ celebrationibus præveniri in Eccleſia villæ, ubi adeſt dumtaxat unum altare, & devotionis causâ alicujus Iconis V.G. magnus confluit Sacerdotum numerus? Reſpondet affirmativè Paſqualigus *q.*402. *n.* 5. Quia id redundat in majorem Dei cultum, & Eccleſiæ, quàm auroram obſervare. Quanto autem tempore aurora præveniri poſſit, non explicat idem Doctor. Ego horæ dimidium concedere ante auroram, putarem intra diſcretionis limites contineri, quod eſt juxta mentem Sapientiſſimi Tāburini *de ſacrif.miſ.lib.*1. *cap.*6.§. 4. *n.*2. uti probabile admittentis initium celebrationis duabus, plus minus, horis ante ſolis ortum, quia miſsæ finis cadet circa initium Auroræ; quod certè eveniret in præventione per dimidium horæ, ſemel, ac quod diximus, & ordine noſtræ Diœceſis Auroram duabus horis perveniꝛe ſolis ortum, & præveniendo Auroram per mediam horam, jam

jam circa auroræ initium miſsa finiretur. Quod ſi quis vellet per tres quadrantes auroram prævenire, legat infra *num.* 296. Idem dicas de meridie: præſertim ſi conſuetudine ſacrificia ratione feſti protrahi ſolent.

287 Quæſtio IV. Sacerdoti in villa inſtant meſsores &c. die feriali, ut multò ante Auroram celebret, ad hoc ut miſsam audiant ante ſua exercitia; an poſſit illorum deſiderio ſatisfacere? Reſp. Affirmat Paſqualigus *q.* 402. *n.* 4. & quidem rectè, & piè ex interpretativa Eccleſiæ voluntate.

288 Quæſtio V. Quid ſi inſtent venatores die feſto? an venatio ſit cauſa legitimè præveniendi? Reſp. Non eſt ſermo de venatione, (idem dic de piſcatione,) temporanea, quæ ſolet eſse notabilis lucri tali tempore dumtaxat comparãdi; quia tunc notabilis anticipatio indulgetur à Paſq. *q.* 405. *n.* 4. Sermo igitur erit de venatione volun-

ta-

taria. Et nega cum eodem *n.* 2. elidi enim non poteſt vis præcepti per actum incompoſsibilem cum eo voluntariè electo: quod ſi venatores cum aſseclis malint ſacrum omittere, quam venationem; hoc caſu charitate dictante concedit Idem *n.*1. prẹventionem aliàs licitam ex privilegio, vel diſpenſatione: niſi villæ incolis, miſsam tempore opportuno audituris, ſacrum ſubtrahatur. Sed non video, quomodo Charitas ad illum effectũ extendi poſsit, cum privilegia regularibus conceſsa ſint nimis ampla, ut videre eſt nouiſsimè apud Auguſt. à Virgine Maria *de privil. religioſ. v. miſsa à n.* 2. *ad* 6. quæ breviter exponit Paſq. *q.* 424. & 425. & diſpenſationes poſsunt etiam latiſsimè concedi.

289 Rogabis. Quare in diebus ferialibus liceat auroram prævenire pro meſsoribus, & artificibus, ſecus autem in diebus feſtis pro venatoribus? Reſp. Latam diſparitatem dabit Paſq. *q.* 409.

q. 409. *n.* 4. quia meſsores me-
rentur hanc largitatem, dum ex-
hibere optant Deo cultum, ad
quem diebus laboris non tenen-
tur; venatores verò illâ indigni
reputari debent, dum volunta-
riè ſe ſubtrahunt à cultu præ-
ſtando tempore, quo obligantur.

290 Quæſtio VI. An liceat Epiſcopo itineranti viſitationis gratiâ, vel pergenti ad villam animi causâ ante auroram, vel poſt meridiem celebrare? Reſponſio eſt affirmativa: tum quia id ſuadet conſuetudo: tum etiam, quia id poſsunt ſubditi ex ejuſdem diſpenſatione conſequenter, & ipſe etiam poterit, aliter eſset deterioris conditionis, reſpectu ſubditorum. Id ipſum concedendum Epiſcopis ob aliã rationabilem cauſam: qua facultate anticipandi, & poſtponendi gaudent tum ſi ipſi celebrent, tum ſi coram ſe celebrare faciãt. Sic Paſqualigus *de ſacrif. tom.* 2. *q.* 1240. *per totam.*

291 Per quantum autem tem-

po-

poris ſpatium id concedatur? Scias Tamburinum horam concedere tum ante auroram *lib.* 1. *de ſacrif.cap.*6. §.4. *n.*6. tum poſt meridiem *loco cit.n.*21.

292 Hoc ipſum extendas ad S.R.E.Cardinales, quibus facultas extra ſtatutum tempus celebrandi tribuitur, & meritò, à Diana *par.*5.*tr.*2. *reſol.*77. Legatur Brancatius in diſsertatione relata per eumdem Dianam *p.* 6. *tr.* 7. *reſol.* 40. imò Doctus Delgadillus *de Euchar.cap.*16. *nu.*31. concedit Cardinalibus ante auroram celebrare poſse, quamvis iter non faciant

293 Quæſtio VII. An etiam Sacerdoti ituro ad villam, vel ab ea receſsuro, liceat celebrare notabiliter ante auroram, vel poſt meridiem? Reſp. Quantum ſpectat ad auroram non licere abſolutè docet Delgadillus *dicto n.*31. licere tamen etiam abſolutè ſentit Trullench *de ſacram.lib.*3.*cap.* 8.*dub.*13.*n.*2.Sed Paſq.*q.*408.*n.*6. id concedit, quando ex præcepto
eſt

eſt audiendum ſacrum, quod extendit ultra itineris cauſas, ad alias rationabiles.

294 Quantum verò ſpectat ad meridiem celebrare poſt horam ex itineris cauſa &c. licere concedit, præſcindendo à feſto Coton. *lib.2.contr.5. nu.*72.quod indulget Tambur. *lib.1. de ſacrif. cap.6.*§.4. *n.*23. dumtaxat diebus feſtis, & tenet uti certum Diana *p.*10.*tr.*12.*reſol.*22. §. *nota tamen in fine*, id amplians ad alias rationabiles cauſas; & Quartus *in rub. miſ.par.* 1. *tit.* 15. *dub.*4. *in fine* ad dies non feſtos. Paſqualigus tandem *q.*419. *n.* 1. id concedit diebus feſtis, & *n.* 5. non feſtis: imò cum *quæſt.*411. præſertim *n.* 19. ſtante rationabili cauſâ non dãnet peccati mortalis celebrantem indiſtinctè ante nonam (de quo mox dicemus *n.* 298.) concedit etiam indiſtinctè pro quolibet die celebrari poſſe causâ itineris uſq; ad nonam: Hæc ſunt placita Doctorum.

295 Sentio 1. Poſse celebrari

die-

diebus feſtis unâ horâ ante auroram, & alterâ poſt meridiem; quia cum præceptum audiendi ſacrum derivet à naturali, & Divino, prohibitioni de celebrando ante auroram, & poſt meridiem prævalet: proinde videtur, quod ut præceptum dignius ſervetur, debet aliquid temporis indulgeri contra formam præcepti minus digni, & non videtur ſuperfluum unius horæ ſpatium; præter hanc rationem id mihi ſuadet interpretata mens S. Matris Eccleſiæ.

296 Sentio 2. Diebus non feſtis, niſi aliter ſuadeat conſuetudo, poſſe anticipari, vel protrahi miſſam per tres quadrantes ante auroram, & poſt meridiem ex cauſa rationabili, puta itineris; quia datur parvitas materiæ in anticipando, & poſtponendo celebrationes: hæc autem parvitas judicatur ab Azonio eſſe tertia pars horæ; per Laymanum media hora; & tandem per Bonacinam tres quadrantes, aut te-

pus

pus, quod non pertingit horam: & hæc materiæ parvitas indulgeri cum cauſa abſque peccati metu poteſt, alias venialiter peccabitur. Ita Tamburinus *de ſacrif. lib.*1.*cap.*6 §.4.*n.*15.

297 Dixi *niſi aliter ſuadet conſuetudo*, quia conſuetudine aliter ſuadente id licebit: propterea in Belgio, & aliquibus locis Galliæ, & Germaniæ licitè celebratur tribus, aut quatuor horis ante ſolis ortum teſte Tābur.*de ſacrif.lib.*1.*cap.*6. §.4. *n.*4. ex Laymano, Coninch, & alijs.

298 Sentio 3. Nullo modo hac tempeſtate defendi poſse protractionem miſsæ uſq;ad nonam ſine cauſa, privilegio aut conſuetudine. Concluſio eſt cōtra Delgadillum *cap.*16.*n.*35. *& ſeq.*ſuſtinentem inceptionem celebrationis differri poſſe uſq; ad horam nonam (quod importat medietatem temporis, quod eſt inter meridiem, & occaſum ſolis pro omnibus regionibus, ſcilicet tam pro illis ubi dies ſunt ma-

jores, quam pro illis,quæ habent dies minores) Eſt etiam contra Gobatum *tom.* 1.*par.*1.*tr.*3.*nu.* 202. adhærentem Dicaſtillo id permittenti, quando ſcandalum nullum imminet.

299 Moveor: quia nulla ratione id ſuadetur, imò cum ordinarii punirent uſq; ad nonam celebrantes, ut advertit Tambur. *de ſacrif. lib.* 1. *cap.*6.§.4.*nu.* 19.facilè poſset ex hoc conſtare, quod id ſit vetitum.

Non obſtat, quod Doctores graves id docuerint: nam ſi ſunt præteriti ſeculi,reſpondeam cum Quarto *in rubr. miſs.par.*1.*tit.*15. *ſuper n.* 5. *rubricæ dub.* 1. *in fine.* eos id docuiſse inhærendo conſuetudini illius temporis, juxta quod non eſt regulandum præſens ſæculum; inde docet idem Quartus illorum opinionem non poſse tutò ſervari. Si verò ſunt recentiores: reſpondeam, illorum ſententiam non juvare conſuetudinem; quia hæc jam eſt prorſus extincta, ut ait Acoſta

in

in bull. Cruc. qu. 31. *in fine*, neć etiam juvat id non prohiberi: nam Rubrica initio citata, dum aſſignat tempus ab aurora ad meridiem, omne aliud prohibere fatēdum eſt; magìs quod Tridentinum dum præcipit, quod debitis horis Sacerdotes celebrent, ad horas deſignatas per Rubricas ſe refert.

Dixi *ſine cauſa, privilegio, aut conſuetudine* celebrare uſq; ad nonam non licere; ut pateat, quod altero ex dictis concurrente id licebit.

300 Hinc in magna feſtiuitate, funere principis, numeroſa ordinatione poſse ad horā prædictam ſacrificium protrahi, cōcedit Tamburinus *cit. nu.* 20. nè populus miſſa fraudetur; Et ego pro cauſa cōcederē conſecrationem altarium, propterquam anno 1679. die 28. Decembris in hac Urbe Panormitanam Eccleſiā moderante Illuſtr. D. Iacobo de Palafox conſecrata fuere ab eodem Præſule quinquaginta

circiter ſupra centum altaria portatilia intra Chorum Cathedralis: ubi quamvis conſecratio inceperit duabus circiter horis ante ſolis ortum, finijt tamen unâ horâ poſt occaſum, & tunc fuit ſacrum celebratum.

301 Non ſufficere tamen puto neceſsitatem, quam habent audiendi ſacrum, qui pervenerunt ad villam in die feſto multò poſt meridiem. quicquid aliter ſenſerit Paſq. *q*.419.*n*. 6. ſuis inhærens principijs.

302 Hinc etiam Religioſi Congregationis S. Iuſtinæ itinerantes, & cum his participantes poſsunt uſq;ad nonam incluſive celebrare, ſi non eſt revocatum privilegium Eugenii IV. Idem dicas de aliis Regularibus privilegiatis, quorum brevitatis causâ, mentionem non facimus. Illorum tamen privilegia circa celebrationem referuntur per Caſarubium *v.miſſa* 2.*quo ad tempus* ibiq; Sorbum. Paſqualigum *de ſacrif.* *q*. 425, Auguſti-

num

num à Virgine Maria Doctorem recentiorem, & doctiſsimum *in collect. privilegiorum v. miſſa n.*3. *& ſeq*; & alios. Legatur etiam Diana *par.* 11. *tr.* 2. *reſol.*2.

303 Hinc tandem in Natali Domini ſtatim poſt mediam noctem non ſolum miſsa ſolemnis, verùm etiam ſimul omnes tres miſsæ privatæ celebrari poſſunt ex *cap. Nocte ſancta de conſecr. diſt.*1. innovato per conſuetudinem: & quamvis Ghetius, Nugnus, & alii ſenſerint, quod primam dumtaxat ex tribus miſsis noctù celebrare liceat; tum quia pro eâ tantùm Eccleſia conceſſerit nocturno tempore celebrari poſse; tum quia ſic uſu eſt receptum; tum etiam quia in prima tantum miſsa infra actionem dicitur, *& noctem ſacratiſſimam celebrantes* in reliquis verò, *& diem ſacratiſſimum celebrantes*, quod evidenter concludit primã tantum nocti eſse addictam, cæteras verò diei; & lethale puta-

verit omnes tres noctù celebrare Marchinus *de ſacr. ord. tr.3. par. 2. cap.37. nu.3.* Nihilominus ſequor Dianam *par.2. tr.14. reſol. 35.* affirmantem id licere, quod repetit *par.10. tr.12. reſol.57.* ſe defendens ab impugnationibus Ghetii. Equidem tam nervosè, & tam modeſtè dicta, & rationes Ghetii retundit, ut in ea defenſione neſcio, nùm doctrina, an pietas tanti Doctoris præfulgeat.

304 Non obſtant ergo rationes enumeratæ:non primam; quia Eccleſię conceſsio refertur ad miſsas conventuales, & ſolemnes tantùm, ut reſpondet Vaſquez apud Dianam *dicta reſol.* 35. proinde quo ad privatas viget diſpoſitio dicti *capitis Nocte ſancta*. Nec ſecunda quia opinioni affirmativæ favet uſus, non ſolùm noſtræ regionis,cujus eſse teſtis poſsim, ſed etiam aliarum, præſertim Romanæ, quem retulit Averſa *de Euchar. q. 11. ſect.15.* verſu *Admittitur*.

Mul-

Multò minus obſtat tertia ratio: ſi enim valeret, non poſset prima Miſsa diurno tempore celebrari, cum ſit addicta nocti per illa verba, *& noctem ſacratiſſimam &c.* quod quis dicet? Meritò ergo affirmativam, quam ſequimur, ſententiam ſecuram judicat Suarez *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.*80. *ſect.*4. §. *tertio inquiri in fine* cujus unius authoritas apud me pro centum valet, quam ſequitur ejuſdem Societatis neotericus ſcriptor Tob. Lohner *de ſacrif. miſ. par.*4. *tit.*7. *n.*11. Meritò item Marchinus ſibi contrarius noſtræ ſententiæ adhæret *tr.*3. *par.*3. *cap.*7. *n.*9. Meritò tandem cito pro affirmativa ſententia Sebaſtianum Acoſta *in Bulla Cruc. q.* 32. verſu *ego pro hac parte* aſserentem; quod ſi opinio affirmativa uſu, & acceptatione introduceretur, ei libenter aſſentiret.

Poſt hæc ſcripta incidi in Pignatellum *tom.* 7. *conſult.* 25. *n.*9. *& ſeq.* referentem tria decreta

Sacræ Congregationis, in quibus omnino prohibentur etiam poſt primam miſsam ſolemniter decantatam aliæ duæ miſsæ celebrari; ob quæ ipſe Pignatellus à Suarezio diſcedere cogitur. Euſtachius item à S. Ubaldo *in tract. de Benedictionibus* nuper impreſſo *n.* 344. ab affirmativa ſententia etiam recedit, & neotericus demum Biſsus *in Hierurgia litt.* M *n.* 242. §. 2. ait, quod non debet affirmativa ſententia amplius tueri.

Nihilominus affirmativæ adhærere non deſino cum Mendo *in Epit.* verbo *Euchariſtia nu.* 9. Antonio de Eſcobar *in Theolog. morali lib.*21.*n.*348.& aliis. Quia conſuetudine in toto ferè orbe recepta eſt, etiam almæ Urbis ante oculos Summi Pontificis: Et quidem de conſuetudine Hiſpana teſtatur Mendo *cit.* de Romana verò, pro præteritis temporibus teſtis eſt Averſa *cit.* qui anno 1642. opinionem affirmativam typis mandavit, pro moder-

dernis fidem facit Eſcobar *cit.* qui anno 1663. eamdem docuit; ultra quod viri undequaque fide digni mihi teſtati ſunt de praxi Romana etiam hujus temporis: propterea aſsero affirmativam ſententiam ſuſtineri rectè poſse, non obſtantibus decretis, quæ ſupra innui, non eò quia non ſint ſufficienter publicata, ut cenſuit Mendo (à qua ratione modò præſcindo) *ſupra*, ſed quia tolerantia Summi Pontificis, dum conſuetudini favet, decreta enervat.

Nec congruentia, qua valletur prædicta tolerantia, deficit: in tanta enim multitudine Sacerdotum dies Natalis, breviſſima ſanè, ſuppetiis noctis longioris ſuccurri oportet, ut tres miſsæ à ſingulis celebrari commodè valeant.

305 Quæſtio VIII. Præciſo privilegio, conſuetudine, & neceſſitate poteſt nè ante auroram celebrari? Reſp. Negabit Delgadillus *de Euch. cap.* 16.*num.*28.

dum docet mathematicè ſumẽdum eſſe auroræ initium. Sed nos affirmativè reſpondemus ex dictis ſupra *n.* 280. ubi ex cõmuni diximus, auroram moraliter cõputandam eſse; Et ita docet Tãbur. *de ſacrif. lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *n.* 2. Difficultas reducitur ad videndum per quantum tempus poſſit anticipari, pro quo ſit

306 Quæſtio IX. Per quantum tempus ante aurorum licitè celebrari poſſit? Reſpondeo Reginaldum *in praxi fori pœnit. lib.* 29. *nu.* 173. concedere quadrantem, Bardum vero *in bull. Cruc. par.* 3. *tr.* 4. *cap.* 1. *n.* 3. & Tãbur. *cit.* horæ dimidium: ita ut miſſa terminetur circa initium crepuſculi, in quo Doctores convenire, ait Tonellius *cit. in ſacro Enchir. lib.* 1. *cap.* 2. §. 1. *n.* 2. & meritò: quia illud ſpatium intra metas moralis computationis contineri Prudentum judicium cenſet. Imo ſi Sacerdos putans auroram vicinam celebraverit, & poſtea viderit multò ante ce-

le-

lebraſſe, non eſſe ſcrupulis involvendum, ſtante bonafide, ſenſit idem Tonell. *n.*3.

307 Quæſtio X. Si in villa non habetur horologium, quomodo ſe geret Sacerdos, ut opportuno tempore ſacrum celebret; præſertim iis diebus, quibus ſol nubibus velatur? Reſp. In terminis reſpondet Paſq. *q.* 412. *nu.* 6. Sacerdotem regulari debere juxta prudens judicium, & habita ratione temporis prandendi; quod cum circa meridiem communiter contingere ſoleat, poteſt permitti celebratio circa illud: quod ſi aliquando contingat errare, non per hoc Sacerdos ſe reum peccati judicabit, cum bonâ fide proceſſerit, & ut ſuppono, diligentiam, quam potuit, in perſcrutando horam adhibuerit. Idem Doctor. Non debet tamen Capellanus Magnatis ruri degentis attendere ad horam, in qua ſolet ille comedere, ſi ſcilicet circa nonam ventri indulgere conſuevit: nam hoc eſſet ex-

tra horam celebrare, quicquid alias ſentiat Paſqual. *cit.* id admittens, eo quia putat infra nonam celebrari poſſe, quam opinionem ſupra *n.* 298. *& ſeq.* refutavimus.

308 Petes. Quomodo computandum tempus celebrandi iis in Regionibus, in quibus eſt perpetua nox, vel perpetuus dies, aut nox durat per aliquot menſes, vel durat per quatuor circiter, aut per 20. horas? Reſp. Præſcindendo à conſuetudine computandum juxta modum vivendi earum regionum; ita ut illud tempus, quod ſolet ibi communiter quieti deſtinari, nocturnum reputandum, quod vero operationibus, & exercitiis, diurnum. Solet tamen Divina providentia aliquod manifeſtare, quod ab indigenis pro ſigno manifeſtativo temporis aſſumitur. Sic ſub Polo Antartico in iis regionibus, in quibus per ſex menſes continuos ſol eſt ſupra orizontem, refert Verricellus

in-

infra, quaſdam aviculas continuò cantantes cum à cantu ceſsant, ſignum adventatæ noctis præbere. Legatur Paſqualigus *de ſacrif. miſſæ tom.* 1. *quæſt.* 403. & Verricelli *de Apoſtol. miſſ. quæſt.* 256. ne contra inſtitutum immoremur.

SUBSECTIO VI.

De Reuerentia Sacrificio præſtanda.

309 TAntæ actionis majeſtas exigit, ut ſacrificia reverenter tractentur. Porro reverentia iis exhibenda, alia eſt intrinſeca, quæ ſcilicet exhibetur per conſcientiæ puritatem, de qua comparanda non eſt hìc ſermo; ſed nonnulla *cap.* ?. ubi de Sacramento Pœnitentiæ pertingemus. Alia vero eſt extrinſeca, quę conſiſtit in celebrando aperto capite, ſervata mun-

ditie manuum, altaris &c. Circa quam verſatur hæc ſubſectio, ubi quæ ad propoſitum noſtrum faciunt, reſolvemus.

310 Quæſtio I. Sacerdos in villa non habet aquam ad manus ablvendas, poſſet nè manibus immundis ſacrificare? Reſp. Suppono lotionem manuum præcipi in Rubr.*par.2.tit.*1. tum pro ſignificatione, tum pro reverentia: propter quæ Cotonius *lib.2. contr.* 5. *n.*84. cenſet lotionem ſine gravi culpa non eſſe omittendam, etiam quando manus non ſint immundæ, quod carere omni ſimilitudine veri ait Gobat *tom.1.Theol. exper.tr.3. n.* 828. putans nullam eſse culpam ex rationabili cauſa ablutionem omittere, & ita Ego etiam ſentio, ſi immunditia ſit modica. Si verò ſit notabilis, grave facinus id reputo. Sicq; docet vir profundæ, & reconditæ eruditionis Franc. Maria Maggius *de ſacris cæremon. præſertim circa ſalutationem &c, opuſc.2, diſp.* 12. *n.*4.

ſol,

ſol. mihi 146. Meritò ergo D. Auguſtinus *ſermone* 244. dicebat: *Erubeſcimus, ac timemus Euchariſtiam manibus ſordidis tangere*. Sed nil mirum, quod ita ſenſerit D. Auguſtinus, dum prophanus Auctor, iſque Ethnicus, ſcilicet Heſiodus, putavit. *Illotis manibus*, ſunt illius verba, *ſacra tractare nefas*. Plura varia eruditione referta habes apud *cit.*Maggium, illum adeas, & non pigebit.

311 Reſpondeo igitur poſſe ob defectum aquæ illotis manibus celebrare, ſi non ſint notabiliter immundæ, & tunc perfricari debent linteo, ut mundentur eo modo, quo poterunt; aliàs omnino abſtinendum à ſacro; occurrerem tamen defectui aquæ vino, aut aceto, quo ablutis manibus ſacrificium non omitterem.

312 Quæſtio II. Sacerdos in villa ob frigiditatem, ac humiditatem regionis hyemali tempore non poteſt niſi cum jactura

valetudinis celebrare ſine pileo: quæritur, an poſſit illud adhibere? Reſp. Si celebrando aperto capite immineret ei damnum grave in potentia viſiva, cerebro &c. poteſt celebrare cum pileo uſque ad canonem, vel ad ſummum uſque ad conſecrationem ex communi apud, & cum Paſqual. *q.*828. idem dic de calvitio, ſi ob id eisdem ſubjaceat incommodis. An autem tunc ultra legitimam cauſam requiratur diſpenſatio eſt valdè controverſum. Pro quo ſit

313 Quæſtio III. Sacerdos prædictus habens legitimam causam, an egeat etiam diſpenſatione, ut poſsit velato capite uſque ad conſecrationem celebrare? Reſp. Si cauſa eſt evidens ſine diſpẽſatione celebrari poſse ſuſtinet Delgadillus *de Euchar. myſt.cap.*16.*n.*123. etiam quando cauſa eſt probabilis. Idem docet Paſqual. *q.*829. *nu.*3. ſtante evidentia: imò *quæſt.*831. *n.*4. & 5. concedit id etiam per totum ſa-

cri-

crificium ſi cauſa id exigat. Cõtrarium verò Cotonius *lib.* 2. *contr.*5. *n.*105. dicens potius altari abſtinendum, quam cooperto capite celebrare ſine graviſſima neceſſitate, & approbatione ſupremi Hierarchæ.

314 Pro reſponſione ſolidè danda, revocanda ſunt in memoriam tum tex. *in cap. Nullus Epiſcopus de conſecratione diſt.* 1. ubi adeſt prohibitio celebrandi velato capite; tum Sacra Rit. Congregatio *ſub die* 13. *Julii* 1626. authoritate Urbani VIII. fulcita, initio miſsalis noviſsimè reformati apponi ſolita dicens: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione miſſæ ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ non obſtante quacumque conſuetudine*. Ex quibus facilè dignoſcitur, celebrare cum pileolo, rem eſſe valdè gravem.

Dignoſcitur item velationem capitis prohiberi per totã miſſam: proinde cum prohibitio hujusmodi fundetur in irreveren-

rentia, quæ ſacrificio irrogatur, ſic celebrando, exiſtimeturque major irreverentia, caput tegere à canone uſque ad ſumptionem, quam ab initio ad canonem, cenſent multi in hoc caſu committi ſtatum veniale, in illo verò mortale. Sed mihi ſuadet in utroque caſu mortale id quod lego de Epiſcopo Niciæ apud Scortiam *de ſacrif. l. 3. cap. 4. fine*, cui Greg. XIII. ob infirmam valetudinem vix conceſſit, ut publicè, excepto canone, uteretur pileolo. Meritò ergo rem eſse graviſsimam Coton. *lib. 2. contr. 5. n.* 105. his igitur præmiſſis.

315 Dico. Alterna vice celebrare uſque ad canonem cum cauſa evidenti ſine diſpenſatione non eſse peccatum neque leve, quando cauſa celebrandi urgeat. Si enim cauſa ſit continua, & diuturna cur diſpenſatio perquiri non debeat? Nobiſcum in parte ſentit Tonellius *in ſacro Enchir. lib. 1. cap. 1. §. 10. ſect. 1. n.* 3. à quo diſcrepamus in quantū

nullam neceſsitatem celebrandi exigere videtur: neceſsitas tamen celebrandi ſufficit, quod proveniat ex cauſa obligante, ſub mortali ad celebrationem.

316 Dico rurſus, quod quãdo imminent damna notabilia, ne celebretur per totam miſſam velato capite, quamvis Paſqual. *q.*831.*n.*4. & 5. indulgeat id Sacerdoti; ego tamen eo caſu exigerem majorem neceſſitatem celebrandi, puta Viatici. Pro hac, & ſuperiori concluſione, adverto, præmonendum populum, ne celebratio capite cooperto ei ſit ſcandalo. Eamdem præmonitionem requirit Paſqu. *q.*829.*n.*6. quando ſtante evidẽtiâ cauſæ, intrinſecâ tamen, fuerit conceſſa diſpenſatio, præſertim, quando uſus esset continuus.

317 Quæſtio IV. ſtante legitima causa ad quem ſpectat supradictam diſpensationẽ concedere? Resp. Ex supra relata declaratione Sacræ Rituũ Congre-

gregationis conſtat, ad Sedem Apoſtolicam, antequam declarationem pluries Sacra Congregatio Episcoporum id ipsum declaraverat, ut refert Gavantus *in rubr.miſ.par.2.tit.2.ſub lit. F.* quod ſi non pateat aditus ad Sedem, Verricellus *de Apoſtol. miſs. q.* 253. *n.* 10. firmat, quod tunc dispensationem Presbyter Secularis petet ab Epiſcopo, Regularis verò à ſuo Prælato. Imò quando dubitatur, nùm necesſitas celebrandi operto capite ſit ſufficiens, Epiſcopum diſpenſare poſse, autumat Gibalinus *de Irregul.cap.*3. *quæſt.* 2.*nu.* 20. versu *Sexto qui*.

318 Quæſtio V. An saltem posset tunc Sacerdos necessitati pileoli occurrere operiendo se calantica capillis cooperta, & cum tonsura ficta? Resp. Scio Sacerdotem Herpete in capite laborantem ſimili pileolo usum fuiſſe ad ulcera tegenda, ſicque absque dispensatione celebrasse. Tractat quæſtionem Pasqu.

q.832.

q. 832. per tot. quam appellat novam: ubi quamvis pro affirmativa sententia fundamenta jaciat, nil tamen determinare velle proteſtatur; qui forsan (verba sunt Jo:Bapt. Pacichelii *in tract.de Capillamentis cap.5.§. Similia fol.* 203. loquentis de Pasqualigo) hodie ex communiori Perucharum consuetudine, vel abusu clariùs eliminatis scrupulis pro eadem sententia reſponsum daret.

Argumentum, quod pro affirmativa sententia vim facere poteſt, eſt: quia non eſt irreverentia cum capillato pilcolo celebrare, proinde nec vetitum: ad eum modum quo, nec censetur irreverentia comparere adscititio capillamento coram Principe. Et confirmatur: quia Sæculares cum dicto capillamẽto licitè Sanctiſſimam Euchariſtiã sumunt, ut supponit Georgius Gobat *in Theol. exper. tomo 1.par.2. tract.* 8. *n.* 680. vel cum pileo; id enim nõ eſt prohibitum

ut

ut conatur oſtendere Tancredus *de Religione tract.* 3. *lib.* 3. *diſp.*4.*à num.*9.

315. Ego tamen ſtante Canone, & Decreto Sacræ Congr. relatis ſupra *n.* 314. Negativè reſpondeo: quoniam calantica ſupradicta in rigore pileolus eſt, operimentique vices gerit, licèt ex induſtriâ vulgari pileoli formâ careat: hinc Pacichel.*cit.cap.*3.§. *Dubitarunt fol.*162. Perucham tanquam operimentum conſiderans, privilegiis Pilei frui aſſerit, & propterea docet, quod contra eam, ſicut cõtra pileum, executio fieri non poteſt, rationem reddens his verbis: quia cũ debitor non eſt nudandus in corpore, nec in capite, in quo membrorum eſt principatus.

Et confirmatur concluſio: quia teſte Pacichellio *cit.fol.*195. nonnullis S. R. E. Cardinalibus, ac nonnullis aliis ex rationabili causâ ad celebrandum cum modeſto capillitio diſpenſationes Pontificiæ ſunt conceſſæ: unde

ſine

ſine diſpenſatione id fieri nullo modo poteſt.

920 Ad rationem in cõtrariũ dico non currere paritatem: certè Sacerdos græcus (cui in Eccleſia græca cæſaries non interdicitur) calvus, ſi coram ſuo Epiſcopo cum capillamento oblongo, modeſtiam tamen eccleſiaſticam redolente, compareat, nullâ irreverentiæ nota inuri poteſt, non ſic in celebrando, ut patet. Rurſus à Principibus ſæculi, quod permittitur, non debet in Eccleſiæ gubernio pro exemplo afferri: permittant ergo laici Principes quantum velint vaſſallis uſum Capillamentorum coram ſe, adhuc in altari pileolus capillis obſitus, tegumenti causâ capiti impoſitus, vetitus cenſeri debet: & nì neceſſitas urgeat, etiã extra altare eccleſiaſticum virum dedecet. Audiamus Andream Du Sauſsay *in Panoplia Cleric. Capillamenti*, dixit, *ſeu adulterinæ, appoſititiæ, & alienæ comæ uſus ſem-*

per

per infamis in Eccleſia habitus eſt: quamobrem ullo modo unquam licitus fuit Sacerdoti, aut Clerico. Hæc Sauſsay.

Ad confirmationem patet reſponſio, dum communionem ſumere cum capillamento, aut pileolo non eſt vetitum, in ſenſu Tancredi, & Gobat *citatorum* benè verò cum illis litare.

321 Quæſtio VI. In locis ubi adeſt conſuetudo antiqua celebrandi uſq; ad conſecrationem cooperto capite, an liceat illam ſervare? Reſp. Hanc conſuetudinem vigere in Polonia teſtatur Vaſquez apud Verricellum *de Apoſt. miſs.q.*53.*n.* 1. ubi omnes Sacerdotes etiam religioſi in hyeme eam ſervant, & licitè ſecundùm eumdem Verricellum: & ideo Richardus Arsdekinus *in Theol.trip.tom.*2.*par.*2. *tract.*4. *cap.*4.§.5.*n.*3.*fol. mihi* 264. dixit in Polonia eam licentiam (celebrandi ſcilicet operto capite) pro tempore hyemali conſuetudo obtinuit.

Sed

Sed mihi hodie contrarium ſubſtinendum videtur, ſtante decreto prædicto; niſi conſuetudo poſt illud fuerit legitimè præſcripta: nam clauſula *non obſtante quacumq; conſuetudine*, quam decretum idem continet, revocat tantum conſuetudinem præteritam, vel præſentem, non autem futuram, ut docet Villalobos apud Coton. *lib.*1. *contr.*2. *nu.*7. Sed circa prædictam clausulam vide Barbosam *clauſula* 87.*n.*12. de qua Nos alibi.

322 Quæſtio VII. Decretũ superius relatum an se extendat ad loca ubi aperire caput non eſt ſignum reverentiæ? Respondeo negativè: unde meritò Sacerdotes apud Sinas, ut teſtatur Verricelli *q.*254. cooperto capite celebrant; non quia tegere caput ibi ſit ſignum reverentiæ, ut Jo: Adamus Vveber *in arte diſcur.fonte* 40. *exemplo* 9. ipseque Verricellus (ex Præpoſito, & Tamburino) ait; sed quia nihil urbanitatis, aut cultus habet caput

put aperire,ut refert Nicol.Trigautius *in deſcrip. regni Chinenſis cap.7.* verſu *Dicam igitur*. Similiter Sacerdotes alterius regionis ibi confluentes debent uſui Chinenſium conformari,ſaltem dum publicè celebrant; ne irreverentiæ notâ apud ipſos inficiantur.

323 Et nota ex Anſelmo Solerio *in tract. de pileo ſect. 2. fol. mihi* 44. quod tantum abeſt in illa regione, ſcilicet in Sina, quod aperire caput ſit ſignum reverentiæ, quod id nefaſtum ſit; dum nonniſi iis illa natio, qui ad ſupplicia rapiuntur, capita nudat: propterea in Sinis Chriſtianis magnum relucet humilitatis, ac pietatis argumentum, dum ſacramentali pœnitentia animæ ſordes diluunt: capita enim tunc aperiunt, ut reos, ac criminoſos ſe fateantur. Celebrant ergo ibi Sacerdotes capite cooperto; quod cum eſſet apud eos probroſum, inquit Solerius *cit. ſect.* 14. *fol.* 308. (& ad amovendum

om-

omnẽ ſcrupulum, inquit Verricelli *cit.*) inſtitere apud Paulum V. ut pateretur eos ſervire conſuetudini, nec ſacrificium dehoneſtare vellet nudatione capitis Sacerdotis ſacrificantis; annuit Pontifex, dummodo tegmen capitis ſuper ſacrum dumtaxat, & rem divinam uſui eſset, & a prophano diſcreparet. Hęc ille, ſubdens formam pilei ſolis Sacerdotibus ſacrificantibus deſtinati à Neophytis Sinis excogitatã, quã hic deſcribere brevitatis causâ omitto. Adi eumdem Solerium.

324 Pro coronide hujus ſectionis duo moneo. *Primum*. Non eſse celebrantibus prohibitum candelas, cineres, & palmas cum pileolo diſtribuere, ut cenſuit Sacra Congregatio, cujus meminit Squillante *de Obligat. Cleric. par. 2. n. 68. Secundum*. Sacerdotes villaticos curare debere, quod locus ſacrificii expoliatur, & abſtergatur, ſemper habendo prę oculis, quod celebrare in tabula, aut loco immundo, etiam ſi Sa-

cardoti immineat quodcumque malum, grave peccatum eſt, ex traditis per Paſqual.*q*.701.*n*.5.

SECTIO QUARTA.

De Capellano in Villa celebrante.

325 ECcleſiaſticorum patrimonia ſępe ſępius ſuper ruſticana prædia, puta vineas, viridaria &c. fundari, experientiâ ipsâ compertum eſt; unde non rarò coguntur Sacerdotes non ſolùm ad illa ſe conferre, verùm etiam ibi per aliquam anni partem ruſticari ad fructus recolligendos, agros proſcindendos, arva ſerenda &c. ut inde poſsint metipſis necessaria vitæ suppeditare. Accessus autem ad illa regulariter eſt licitus: nam ſi Sacerdos ſit capellanię alligatus, ita ut teneatur tali tempore, & loco celebrare, non ſatisfacit ſuo muneri in Eccleſia villę litando; pro-

propterea in hac ſectione tractabimus de cauſis, ex quibus Capellanis liceat in villa celebrare tum ex causâ neceſsitatis pro dictis motivis, tum etiam relaxandi animi gratiâ; & insuper nonnulla pertingemus circa Capellanos, quibus Eccleſię, vel oratoriorum villæ perpetua eſt cura.

SUBSECTIO UNICA.

Varia ad Capellanum in Villa circa Sacrificium attinentia.

326 QUæſtio I. Capellanus, ut perveniat diluculo ad villam, ad quam pergit ex neceſsitate, vel ex recreatione; an poſſit tempus celebrandi à fundatore præfixum prævenire, & per quantum tempus? Reſpondetur affirmativè: moraliter enim, & largè hora præfixa eſt accipienda; unde circiter per

horam præventio fieri poterit. Paſqual. *de ſacrif.quæſt.*1147.*n.*3. *&* 4. idem dicerem ſi reverſurus è villa tempus celebrandi per idem ſpatium poſtpoſuerit.

327 Rogabis. Præfixio temporis celebrandi à fundatore facta, ſub qua culpâ obſervari debet? Reſp. Sub levi: non enim videtur gravis materia; & licèt poſsit mortaliter peccari prævenicndo, aut poſtponendo horam deſignatam, ob grave incõmodum forte eventurum populo, qui frequens ſolet illâ horâ convenire ad ſacrum audiendũ; tamen ſi aliquando, & interpolatim hora varietur, etiam cum gravi populi incommodo, nec mortaliter peccari putat Paſqual. *cit.q.*1147.*n.*5.

328 Quæſtio II. Capellanus obligatus celebrare in altari privilegiato ex teſtatoris fundatione, an ſatisfaciat celebrando in altari villæ non privilegiato cum medalia, vel calculo &c.animam liberante? Reſp. In hac contro-

ver-

verſia pugnat communis contra communem: nam pro negativa reſponſione militant Bonacina, Homobonus, Gavantus, Fraxinellus, Delugo, Aversa, Quartus, Tamburinus, Lezana, Diana, *par.1.tr.14.reſol.29.*(ſed malè ut infra) quos citat Paſqualig. *de ſacrif.tom.1.q.736.n.1.* quibus addo Mendum *in epit. v.miſſa n. 9.*

Affirmativam verò propugnat Alphonſus de Leone, Megalius, Marchinus, Fraxinellus in octava editione, Diana, Garſias, Pellizzarius, Gobat, Bardus, Leander, Hurtado apud Paſqual.*cit.n.* 2.quibus addo eumdem Paſqual. *n.*3.Cotonium *lib.* 3. *contr.*5. *nu.* 31. putantem probabilem. à S. Raymundo *p.2.reſol.mor.tr.3.nu.* 146. Doctores alios pro utraque ſententia referrem, niſi brevitati officerem.

329 Ratio negantium eſt: quia certius eſt privilegium altaris, quam calculi, medaliæ &c.proinde teſtatores fraudarentur, ſi illis, omiſſo certiori ſuffragio, mi-

nus certum applicaretur. Nec valet dicere, quod indulgentia calculi ęquipollet ei altaris privilegiati, & ex æquipollentibus, quid fiat non refert; quæ eſt ratio affirmantium: quia reſpondet Tamburinus *de ſacrif. lib.* 3. *cap.* 3.§.1.*n*.12. id eſse contra juſtitiã, quæ exigit, ut contractus initus de re determinata ejusdem traditione perficiatur: ad eum modum quo obligatus ex contractu tradere equum A non ſatisfaceret tradendo equum B ejusdem conditionis, (multo minus ſi ſit deterioris) quem nullo modo vellet alter contrahens.

330 Antequam respondeam adverto; quęſtionem procedere, quando de indulgentia calculi, & medaliæ habetur certitudo (an hæc debeat esse phyſica, an moralis dicam *n*.335.) aliter quęſtio esset insulsa, quod ſi plurimi Doctores advertissent, tam variè non senſissent. Hoc igitur suppoſito

331 Dico 1. ſi teſtator elegit

pro

pro miſſa, quam fundavit, altare privilegiatũ in particulari nullum deſignando, Sacerdos satisfaciet applicando indulgentiam calculi &c. ex æquipollentibus enim quid fiat non refert *Gloſ.& tex. in l. fin. §. fin. ff. mandati.* Ita Diana *par.*4.*tr.*4.*reſol.*40. *& par.* 9. *tr.* 2. *reſol.* 12. Bardi *in ſelect. lib.* 10. *q.*9.*n.*12. Leander *de ſacrif. diſp.*7.*q.*70.

332 Ad rationem Tamburini reſpondeo, in caſu equi obſtare voluntatem expreſsam alterius contrahentis, in noſtro verò minime; imo adeſt præſumpta teſtatoris, cui ſi proponeretur valor calculi, certe non diſsentiret, ut ponderat Coton.*l.*3.*contr.* 5.*n.*31.

333 Dico 2. Si verò in fundatione altare determinavit, non ſatisfaciet. Ratio eſt: quia tunc non videtur intenta ſola indulgentia, verum etiam cultus altaris, vel capellæ, vel devotæ Iconis. Ita Bardi, & Leander *citati* Paſqual. *tom.*1.*de ſacrif. q.*736. *n.*

8. ubi exemplum dat in obligatione celebrandi titulo capellaniæ. Diana *par.2. tr.14. reſol.29.* qui non eſt ſibi contrarius, dum hìc loquitur de altari determinato, alibi vero de indeterminato, quamvis aliter mentem Dianæ interpretati fuerint Leander *cit.* & Marchinus, quem arguit *Idem* Bardi.

334 Quod ſi conſtaret teſtatorem prętcr indulgentiam in deſignatione certi altaris nil intendiſse; concederem Sacerdoti modo ſupradicto alibi celebrare.

335 Rogabis 1. Quęnam certitudo indulgentię affixæ calculo, aut medaliæ requiratur, ut æquipolleat altari privilegiato? Reſp. Moralis: ita quod non habeatur in contrarium rationabile dubium. Diana *par.9. tr.2. reſol.12. circa fin.* & Coton. *lib.3. contr.5. n.31.* Sed pace tantorum Virorum phyſicam certitudinem exopto; quia non ſemel vidi medalias in magna veneratione haberi ob indulgentias, quas aliun-

de

de ſciveram nullas unquam habuiſse.

336 Nec obſtat argumentum deſumptum ab opinione probabili: quia quicquid ſit de tam ampla quæſtione, & dato uſu licito opinionis probabilis in concurſu certioris; dico doctrinam non eſse applicabilem indulgentiis, ad quas lucrandas opinio probabilis non juvat ex dictis per Scildere *in tract.de princ.conſcientiæ tract.2. n.35.* & Pellizzar. *de monial. cap. 9. quæſt. 22.aſſert.* 20.

337 Rogabis 2. Eo caſu, quo conceditur Sacerdoti celebrare cum medalia, an ſufficiat, quod hęc mutuo ſit accepta? Reſp. Negative: nam quamvis Diana *par.10. tr. 16. reſol.2.* §. *Nota hic* docuerit, quod indulgentię addictę medaliis lucrentur, etiam quando mutuo accipiuntur: tamen ab hac ſententia diſcessit *par.11.tr.2.reſol.* 50. eo quia Innocentius X.ut ipse refert §.*verſum* poſtquam legisset Dianę ſen-

tentiam, ei ſignificavit per Illuſtriſsimum Dominum Sacriſtam, illam ſibi displicere,suamque intentionem esse, non largiri indulgentias mutuatariis: de qua sententia negativa hodie dubitari non poteſt, iam enim Alexander VII. 6. *Februarii* 1657. declaravit ex medaliis commodatis, & precario datis non lucrari indulgentias,cujus decretum per extensum refert Gobat *in Quinario tr.* 4. *par.* 2. *num.* 678. *& ſeq.*

338 Queſtio III. Sacerdos obligatus celebrare die deſignato, puta Sabathi, ſi ex rationabili causâ se confert ad villam, propter quod miſsam omittit, an satisfaciat celebrando die sequenti? Respondeo affirmatiue. Quia conceditur Capellano legitime occupato die determinato adimplere suum munus die sequenti. Ita Mendo *in epit. v. Capellanus n.*8. quod ſi fiat absque causa; venialem tantum culpam agnoscit Raphael de la Torre *in* 2. 2. *tom.*

1. *poſt q.* 83. *in tract. de horis can. contr.9.n.*25.

339 Quæſtio IV. Sed quid dicendum quando Sacerdos tenetur quotidie in altari deſignato celebrare, & pluries in anno ex rationabili causâ accedit ad villam; an ſcilicet, & quantùm peccet? Reſp. Mortale eſse celebrare alibi à loco deſignato, niſi parvitas materię excuſet, docet Diana *par.*2. *tract.*14.*reſol.*29. & eſt communis. Solùm tamen dubitatur quot celebrationes dicãtur parvitas materiæ.

Pro qua dubitatione Diana cit. putat ter, aut quater omittere celebrationem, eſse materiæ parvitatem. Idem ſentit Gobat *in Theol. exper. tom.*1. *par.*1.*tr.*3. *n.*557.& Bardi *in ſel.lib.*10.*quæſt.* 9. *n.* 3. Sed Paſqualigus *de ſacrif. tom.*2.*q.*1139.*n.*5.docet independenter ab aliqua circumſtantia, materiæ parvitatem ad quindecim, aut viginti vices aſcendere: reſpectu enim numeri 365.dierũ, quibus componitur annus ſola-

ris, viginti dies non conſtant numerum tam conſiderabilem, quo detrahi poſsit notabilis cultus à teſtatore intentus. Hinc meritò dicas cum eodem eas vices interpellate, non ſucceſſive eſse accipiendas, niſi enim hoc modo vacaretur, cultui loci per coniunctas vacationes notabiliter detraheretur.

340 Concedit item idem Doctor *n.*6. omiſſionem aliarum vicium ſupra viginti; ſi ſcilicet Sacerdos invitaretur ab amico Rectore alicujus Eccleſiæ, vel ſi ex devotione vellet alibi celebrare, vel ex pluviis non poſset ad locum obligationis pervenire &c. quæ ultrò concederem, quando præſumptæ voluntatis fundatoris limites non excederent.

341 Nota: Prædictam omiſſionem in parvitate materiæ veniale eſse autumare Bardum *cit.* Ego verò nullam culpam admitto cum Leandro *de ſacrif. diſp.* 4. *q.*24. quando de rationabili cau-

sâ,

ſâ, ex qua præſumpta voluntas fundatoris prudẽter coniici poſſit, conſtat.

342 Quæſtio V. Celebrare obligatus determinato loco, die, & horâ, ſi irrationabiliter variet, an teneatur ad aliquam reſtitutionem? Reſpondeo cum diſtinctione: nam vel Sacerdos, ut celebret ſtatuto loco, & tempore percipit aliquod emolumentum ſupra conſuetum ſtipendium, vel non: ſi ſecundum, nulla agnoſci debet reſtituendi obligatio, quæ ad nihilum referri poteſt. Ita Paſqual. *q.*1148.*n.*5. Delgadillus *de Euchar. cap.*17.*n.*32. Caſs. à S. Elia *in Theol.mor. expurg. v. Sacerdos* 3. *cap.* 3. *n.* 29. Si primum ſubdiſtinguendum eſt: nam ſi ad id tenetur vi capellaniæ collativæ, nil debet reſtituere Paſq. *cit. n.*6. Capellanus namque collativus ratione tituli, ſeu beneficii (hujuſmodi enim capellaniæ beneficia ſunt) facit fructus ſuos, quamvis ultra peccatum, de quo *quæſt. ſequenti* poſſet puniri ab

Qr-

Ordinario, vel per ſubtractionẽ alicujus partis fructuũ,vel aliàs, ut Idem Paſqual. *n.* 8. advertit. Si verò tenetur ex capellania nõ collativa, ſcilicet manuali: & debet reſtituere emolumentum ſupra conſuetum, proportionatum ad illas vices, quibus injuncto oneri non ſatisfecit. *Idem num.* 5.

343 Non computarem tamen eas vices, quæ intra materię parvitatem (de qua *quæſt.antecedenti*) continentur. An autem quando excuſatur varians à reſtitutione; excuſetur etiam à peccato mox dicam *quæſt.6.*

344 Rogabis. Quænam differentia ſit inter capellaniam collativam, & non collativam? Reſp. Plures eſse differentias: nam collativa, quæ, & Eccleſiaſtica nnncupatur,eſt quæ fundatur authoritate Epiſcopi; ideoq; tribuit titulum, & Jus ſpirituale ad fructus percipiendos;nec poteſt conferri niſi Clerico, & à perſonâ Eccleſiaſticâ abſque cõdi-

ditione, & pacto temporali;propterea eſt beneficium, & inter eccleſiaſtica bona annumeratur Trullench *in Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.*12.§.3.*n.* 5.Non collativa tamen, quæ & temporalis appellatur, conſiſtit in aſſignatione determinata ſalarii pro celebratione,& ſervitio prȩſtando.Pasqual. *de ſacrif.q.*1116.*n.*1.*&* 2.in cujus erectione, cum nulla interveniat Epiſcopi authoritas, fit, quod non ſit beneficium, nec obliget ad horas canonicas, nec pactum de ea erit ſimoniacum, nec tandem confert titulum ſufficiens pro ſusceptione sacrorum ordinum &c. Naldus *in ſum.v.Capellania n.* 7. Trullench *cit.* legatur Pasqual. *cit. n.*4. ubi abundè de differentiis inter utramque.

345 Quæſtio VI. Sacerdos prædictus an saltem peccet, quãdo variat? & quomodo? Resp. Non eſt sensus quæſtionis pro caſibus, in quibus ob variationem populus notabile subiret incommodum: tunc enim mortalis

talis eſſet variatio, niſi aliquando, & interpellatè fiat. Pasqual. *q.*1147.*n.*5. Sed ſenſus eſt, conſiderando præciſè obligationem Sacerdotis.

Dico cum Delgadillo *cap.* 17. *n.*31. peccari graviter, vel leviter juxta quantitatem emolumenti, quod ſi erit in materia furti ſufficiens ad mortale (ſive percipiatur ob unicum ſacrum, ſive plura, quod non advertunt Doctores, quod ſciam, ſed ita mea fert opinio) graviter peccari, aliàs leviter. Ille etiam Sacerdos, qui ex nullo ulteriori emolumēto obligaretur, etiam peccabit, ſed leviter. Delgadillus *cit.n.*33. quoniam cum adæquatè ſatisfecerit obligationi alibi celebrando, circumſtantiam accidentalem ſolùm omittendo, fidelitatem dumtaxat læſit, quæ ſi pluries violata fuerit; poterit prudens judicium eam omiſſionem gravem reputare.

346 Quæſtio VII. Sacerdos ut ſupra varians, an obligetur ite-

iterum celebrare in loco ubi tenebatur? Reſp. Si emolumentum aliquod ſupra ſtipendium conſuetum accepit, tenetur, aliàs non. Ita Delgadil. *cit. n.* 33. Sed cohærenter ad ſuperius dicta, dico; quod ſi reſtituit pro ut obligabatur juxta ſupradicta, non tenetur; quia ſine fundamẽto obligaretur ad duplum, ſcilicet ad reſtitutionem, & ad iterum celebrandam. Vel non reſtituit:& conſiderandum eſt, num defectus ille ſit compenſabilis (putà ſi villatici die omiſſo ſubjerunt grave incommodum pro audiendo ſacro diſtanter celebrato, & ſequenti feſto, pro quo Sacerdos non obligabatur, hic ſuppleat) celebrando aliâ die, pro qua nullâ urgebatur obligatione? quo caſu celebrando meritò à reſtitutione eximeretur: vel non eſt ſupplebilis, (quod evenit quando obligatio eſſet quotidiana) & tunc celebrando non ſanat eam omiſſionem.

347 Quæſtio VIII. Emolu-

mentum, quod excedit conſuetum ſtipendium, an aliquando abſque reſtitutionis onere retineri poterit, quamvis alibi à loco determinato celebretur? Reſpõdetur affirmativè, ultra casum capellaniæ collativæ, de qua diximus *q.*5.& innuit Paſq.*q.*1148. *n.*5. *in fine*, ubi ad aliquos casus per quæſtiones antecedentes ab ipſo examinatos remittit Lectorem, in cujus gratiam ſequentes collegi.

348 Primus, ſi alibi celebret ſtante Epiſcopi legitima diſpenſatione. Idem *q.* 1141. *nu.*4. ubi firmat poſſe Epiſcopum in id diſpenſare, ſtante juſtâ cauſâ, aut impedimento non ſolùm ex consensu hæredum, aut Patroni, ut dixerat *n.* 3. ſed etiam abſque illo.

349 Secundus. Si per conſuetudinem, ſeu præſcriptionem pacificam,& liberam fuerit obligationi celebrandi in aſſignato altari derogatum. Idem *q.*1141. *n.*6. firmans *nu.* 7. & 8. quod ſi

per

per quadraginta annos fuerit interpellatè ibi celebratum, interpellatè urgebit obligatio.

350 Tertius.Si Sacerdos celebret in altari privilegiato eiuſdem Eccleſiæ, (omiſſo deſignato, ad cujus cultum fundator reſpexerat) ex cauſa quod objerit aliquis de fundatoris familiâ,pro qua Miſsam inſtituerat,quod cõcedit fieri poſse ter, vel quater. Idem *q.*1142.*n.*4.

351 Quartus. Si fundator noluit obligare ad applicandum ſacrificium, & tantùm intendit celebrationem in tali loco; quia tunc neque tenetur loco impedito E.G. demolito &c. alibi celebrare. Idem *q.*1146.*n.*3.*& ſeq.*

352 Quæſtio XI. Epiſcopus an poſſit diſpenſare, ut Sacerdos certo loco deſignatus, in villa, celebrans ſatisfaciat obligationi durante abſentia, ſi hæc ſit longa? Reſp. Affirmavit Marchinus *de ſacr.ord. tr.*3.*par.*2.*cap.*24.*n.*5. Sed meritò refutatur à Paſq. *qu.* 1141.*n.*5.imò ſentio, neque poſ-

ſe,

ſe, quando abſentia eſt brevis. Jus enim per Eccleſiam acquiſitum nullo modo eſt derogandũ ab Epiſcopo, quæ ratio tum abſentiam longam, tum brevem reſpicit: hinc Capellanus ut ſupra obligatus, qui causâ notabilis lucri ad villam accedere cogitur, non excuſatur, quin per alium ſuo muneri ſatisfaciat: rectè Quintanadvenas *tom.2.ſingul. tr.2.ſing.25.n.5.* apud Paſqual. *q.* 1125. *n.* 7. Concederem tamen poſſe Epiſcopum diſpenſare, etiam ſi obligatio ſit perſonalis, ut per alium inſerviat, niſi tertii præjudicium in contrarium urgeat.

353 Quæſtio X. Obligatus ad celebrandum in certa Eccleſia, ſive indeterminatè, an poſſit impune ad villam pro libito ſe conferre, & ſuo muneri per aliũ ſatisfacere? & quid ſi contradicat Epiſcopus, vel hæredes, Patroni &c. Reſp. Capellanus non tenetur per ſe ipſum celebrare, niſi expreſsè id à teſtatore cavea-

tur

tur Diana *par*.2. *tr*. 14. *reſol*. 18. Fagnanus *in cap.ſignificatum* 11. *de præbendis n*. 10. & communiter, & eo caſu nec poteſt ab Epiſcopo (multò minùs à Patrono &c.) compelli ad per ſe ipſum, celebrandum , ut determinavit S. Congregatio apud Dianam, *cit*. Garſiam *de beneſ.par*.7. *cap*.1. *n*. 87. & alios : expreſsè autem, tunc cautum id cenſetur,quando dicatur , quod Capellanus per ſe ipſum hoc faciat Garſia *cit.n*.86. Ferro *in quæſt. mor.par*.1. *q*.111. *num*.7.

354 Et hinc fit , quod ſi in fundatione dicatur , *ut Rectores celebrent*, Capellanus tunc neqne per ſe ipsũ celebrare obligatur. Naldus *v. Capellanus n*. 9. Idem dic ſi dicatur *Capellani celebrent*, quia neque tenetur.Ita S.C.apud Dianam *cit*. Remigius *in practica de curas &c. tract*.5.*cap*.4.§.6. *n*. 4.

Fit etiam , quod ſi dicatur *Capellanum debere celebrare Miſſas*, Capellaniam nec actu, nec habi-

tu

tu ſacerdotalem exiſtimari debere. Garſia *cit. nu.* 85. Luca *de benef.diſc.*61.*n.*3.*&* *diſc.*96. *n.*11. Ciarlinus *par.*1.*controverſ.cap.*1. *n.*87. & tunc Capellanus non ſolum non tenetur per ſe ipſum celebrare; verùm etiam in Capellanum adhuc Clericus poteſt eligi; quod amplia etiam ſi caveatur, *quod eligatur idoneus* (niſi addatur *ad celebrandum*) Luca *dicto diſc.*96. *num.*11. vel *eligatur presbyter*, Luca *dicto diſc*,96. *nu.* 11. *&* 12. quamvis contrarium arrideat Belli *conſil.*146.*n.*2.*&*3. & alii id admittant, quando illud vocabulum ſit pronunciatum materno ſermone, ſecus ſi latino, ut adnotat Luca *dicto numero* 13. cujus appellatione etiam venit clericus in minoribus conſtitutus, & uno verbo onus celebrationis miſſarum beneficiis, vel capellaniis addictum, non inducit qualitatem ſacerdotalem. Luca *cit.diſc.*58.*n.*2.*&* 61. *n.*3. *&* 96. *n.* 4. Caruſo *in Sylva terminorum arbore* 26.*n.* 169. niſi

de

de conjecturata mente defuncti contrarium conſtaret, ut obſervant Luca *dicto diſc.* 61. *nu.* 4. & Caruſo *n.*171.

355 Propterea Sac. Congregatio apud Garſiam *de benef.par.* 7. *cap.* 1. *n.* 93. ſtante fundatione Capellaniæ Cathedralis Piſtorienſis ſub his verbis concepta: *Capellanus debeat celebrare divina officia die, noctuq; ſicut cæteri capellani faciunt* conſulta, utrum Capellanus iſte debeat eſſe Preſbyter; Reſpondit negative. In omnibus ergo prædictis caſibus ſicuti poteſt eligi non Sacerdos, à fortiori electus non tenebitur per ſe ipſum celebrare.

356 Unde ſi conſiderata fundatione comprehendatur capellaniam non eſſe ſacerdotalem, & ſi ſacerdotalem non obligare tamen expreſse ad per ſe ipſum immediate celebrandum; tunc Sacerdos libere, quicquid Epiſcopus, vel patroni contradicant, ad villam ad libitum accedere poterit alteri ſuas vices committendo. Quæ-

357 Quæſtio XI. Addictâ miſsâ à teſtatore tali altari, an poſſint hæredes illam transferre ad oratorium villæ de conſenſu Epiſcopi in illius cultum, & villaticorum commoditatem? Reſp. Tam hæredes, ſi conſentiant, quam Epiſcopus ſi annuat, peccare mortaliter, firmat Paſq. *q.* 1140. *n.* 3. Quod limita, quando villa magnam reportaret vtilitatem ex celebratione miſsæ, forte quia diſtaret longe ab alio Sacello, & rarò miſsam ob diſtantiam villatici audire ſoleant, & in loco, ubi altare deſignatum eſt ſitum, ſufficientes habeat.

358 Hinc cum quædam Matrona optaverit Miſſam addictam Eccleſiæ hujus Urbis ad oratorium ſuæ domus transferre, pro qua translatione licentiam requiſiverit, meritò noluit ãnuere heù quõdã Canonicus D. Vincẽtius Vãni clarus tũ nataliũ ſplẽdore, tum ſingulari prudentia, qua hanc Diœceſim Gubernatoris, & Vicarii Generalis munere mode-

ra-

ratus eſt, meritò, inquam, noluit annuere, dum nulla ratio, nec utilitas id ſuadebat.

359 Quæſtio XII. Capellanus in villa obligatus quotidie ad celebrandum, an excuſetur pro aliquo die, eo quia non habet, cui peccatum confiteri poſſit? Reſp. Affirmat Quintanadueñas *tom.* 2. *ſingular.tr.*2.*ſingul.*25.*n.*3. Sed adversùs illum inſurgit Paſq.*tom.*2. *quæſ.* 1125. *n.* 8. (ſibi contrarius *q.*1116.*n.* 11.) quoniam impedimentum hoc per contritionem poteſt adimi, ergo tenetur, præmiſsa contritione celebrare. Sentio cũ Quintanadueñ.& addo cum Verde *in Anacephaleoſi num.*450. poſse Capellanũ cum præuia cõtritione celebrare, quãdo ex omiſſione ſacri ſequeretur infamia illius. Sed de hoc caſu iterum redibit ſermo *cap.*3.*ſect.*1.*q.*9. An autem, et quando obligatio celebrãdi ſit cauſa ſufficiens, vt ſine confeſſione celebretur ſtante inopia confeſſarij, & quando hic deficere dicatur, & quid tunc fieri

debeat? *Vide ibidem c.* 3. *ſect.* 1. *à quæſ.*1. *ad* 12. *per tot.*

360 Quæſt. XIII. Capellanus, qui ad quotidianã miſſam ex fundatoris lege obligatur, an poſſit ſemel in hebdomada celebrationẽ omittere causâ pergendi oblectamenti gratiâ ad villam? Idem dicas deCapellano villatico accedẽte adVrbem.Reſp.Affirmat Leãder *de Sacrif.diſp.*5. *q.* 17. & ex eo Dian. *par.*10.*tr.*14.*reſol.*37.*in fin.* eo quia ob humanam fragilitatem conſuetudo introduxit illam vacationem: ideò addit Paſq. *tom.*2. *q.*1128. *n.*6. non ſolùm poſſe Capellanum prædictũ ſemel in quacumque hebdomada abſque alia examinatione cauſæ vacare, vt ſe recreare honeſtè poſſit; verùm etiam eligere diem ſibi magis opportunum.

361 Plus indulgent alij: nam ipſe Paſqualigus *q.*1130.*n.*4. concedit Capellano die vacationis poſſe pro ſe ipſo, vel alijs celebrare; imò Vidal. *in arca Theol. mor.ſub tit. de Iuſtitia inquiſ.* 1. *n.*

12.

12. concedet conſequenter poſſe accipi ſtipendium, dum id abſolutè concedit, quando honeſtatis causâ ſacrificium intermittitur; id quod ſtante paupertate Sacerdotis probauerat Hurtadus *par.*1. *reſol. moral. cap.*4. *reſol.*7. *n.*84.& ſtante conſuetudine Auerſa *de Euchar. q.*11.*ſect.* 18. verſu *inſuper*, ambo apud Paſqual. *q.* 1130. *num.*3.

362 Audiſti mi lector Doctorum placita: legas quæſo Sacræ Congregationis Decretum anni 1627. ex Belluto *opuſc.*3. *num.* 34. & Paſq.*q.*1116.*n.*9. tranſcriptum: *Sacra Congregatio cenſuit Sacerdotem, cui fuit à teſtatore impoſitum onus quotidie celebrare* (fortè celebrandi)*per ſe, ſi legitimè impediatur, quo minus id munus per ſe poſſit explere, teneri per alium ſatisfacere oneribus miſſarum ſibi in teſtamento impoſitis*. Cur ergo excuſabimus Capellanum pro qualibet hebdomada à celebrando animi gratiâ, quando etiam ſi legitimè impediatur iuxta ſupradictum

Decretum, tenetur per alium ſuæ obligationi ſatisfacere? habēs ergo prę oculis relatum Decretū, ſimilem vacationem nunquā concederem, quam nec mihi conceſſi, prout illam nec concedunt ex causâ prædictâ Bonacin. *de Sacr. diſp.*4.*q.vlt.pun.*7. §.2.*n.*16.Gonzal. *in cap.Significatum* 12. *num.* 4. *de præben. & dignit.* An autem honeſtatis causâ liceat eadem vacatio? non eſt huius Enchiridij examinare, ſed alibi Deo fauente, & fusè.

363 Aduertere tamen non deſino opinionem Vidalij, ne alicui arrideat, communiter refutari, dicente Diana *par.*10.*tr.*14.*reſol.*37. aliàs 39. eſſe contra cōmunē Doctorum, & praxim, & Cotonio *lib.*3. *contr.*5.*n.*17. cenſente eſſe contra rationem, Decretaque Sacræ Congregationis, ac inſuper fouere auaritiam, & iniuſtitiam.

SE-

SECTIO QVINTA.

De Prudentia Sacerdotis in Villa circa aliquos euentus.

364 VIllarum anguſtiæ in Sacerdote earum moderatore prudentiam exquirunt nō exiguam, qua hinc inde emergētibus occurrere poſset. Cum igitur ex dictis conſtare facilè poſſit, quomodo ſe gerat in attinentibus ad altare, & Sacerdotem, horumque ornatum, ac requiſita ad ſacrificium; innuere hìc reſtat, quæ perficiendo, & repetendo ſacro attendere debeat, vbi etiam varias quæſtiones ad ſacrificium ſpectantes reſoluemus; quę omnia tribus ſubſectionibus complectentur.

SVBSECTIO I.

De Prudentia Sacerdotis in Villa in Sacrificio ſupplendo.

365 DOcet nos cõmunis Doctorum ſententia cum Angelico Magiſtro *in* 3.*par.* *q.*83. *art.*6.*ad* 1. ex *cap. nihil* 7. *q.* 1. & Rubrica *de defect.tit.*10.*n.*3.quod ſacrificium imperfectum ob interitum, vel morbum ſacrificantis ab alio perfici debet, & ſub mortali; idque ex Iure diuino, quod (ait Gauantus *in Rub.Miſſ.par.*3. *tit.*10.*n.*3. *litt.* X. & Azor.*infra*) videtur indicare idem Angelicus; cui ferè omnes adhæſiſſe videtur, ſubdit Azor. *inſtit.mor. tom.*1. *lib.* 10. *cap.*33. *q.* 1. Sed vnde indicetur à D.Tho.non video;& quamuis nonnulli, nullum in hac re præceptum agnoſcant, cum quibus ſentit Cotonius *lib.*2. *contr.*5. *n.*16. dicens: Toletanum Concilium, ex quo eſt deſumptum dictum *cap. nihil* obligationem excludit,

cludit, & Rubrica illam non innuit: Ego tamen præceptum negari non poſse ſentio, dum ſaltem Rubrica hæc habeat: *Si poſt conſecrationem ſanguinis, vel vtroque conſecrato id accidit, miſſa per aliũ Sacerdotẽ expleatur ab eo loco, vbi ille desijt, & in caſu neceſſitatis etiã per non ieiunum*, quæ verba præceptum continere non eſt verendum.

366 Supplemẽtum autem hoc ita fieri debet, vt ex eodem Diuo Thoma, & communi didici, quod ſi ante conſecrationem id euenerit, non eſt neceſse, quod ſacrificium ſuppleatur; ſupplere namque ſupponit entitatẽ actus perficiendi: ante verò conſecrationem ſacrificium nec imperfectũ habetur: ſi verò poſt conſecrationem, tunc iuxta ſupradicta, & inferiùs dicenda, ſupplere neceſſe eſt.

367 In Villis autem ſi prædicta accidant, poterit non inueniri alius Sacerdos, qui defectum ſupplere poſſit, vel ſi inueniatur,

poterit non habere materiam ſecundùm ſuum ritum, vt ſi Sacerdos latinus non haberet, niſi fermentati copiam, vel eſset impeditus, aut cenſuris irretitus, vel alio impedimẽto ligatus, propter quod cenſeri poſset ad perficiendum ineptus: ad quas difficultates enodandas, ſequentes quæſtiones reſoluo, ex quibus dubia è villis emanantia dilui poſsent.

368 Quæſtio I. Sacerdos in Villa, dum celebrat, poſt conſecrationẽ in ſyncopen incidit, vel morbo, aut morte corripitur; Si non inuenitur niſi alter Sacerdos, & hic inieiunus, poterit nè, quãuis inieiunus, ſupplere? Reſp. In negatiuam ſententiam ſatis inclinat Azorius *cit. quęſt.* 1. variè reſpondens, ex eo quia quãuis probabilius putauerit dari præceptũ perficiendi ex D. Thoma, tamen ſubdit, quod ſi nullum ſit præceptum, Sacerdotem inieiunum non poſse perficere. Sed quia ex communi ſuppono adeſse præceptũ, illudque diuinum, ſentio cum

Lean-

Leandro *de Euchar.diſp.*5. *qu.* 28. Averſa *de Euchar.q.*8.*ſect.*9.verſu *primo*, & alijs.Sacerdotem inieiunum poſſe, & teneri ſacrificium incompletum perficere: quia pręceptum perficiendi ſacrificium, maioris eſt ponderis pręcepto ieiunij naturalis prærequiſiti ad ſumptionem Sacramenti. D.Tho. *in* 3.*p.q.*83. *artci.* 3. *ad* 4. *in fine.* præceptum namque ieiunij naturalis, quia eccleſiaſticum, cedere diuino neceſſe eſt: propterea Rubrica *cit.* expreſsè id præcipit dicens: *Miſſa per alium Sacerdotē expleatur ab eo loco vbi ille deſījt, & in casu neceſſitatis etiam per non ieiunum.* ex qua ratione

369 Inferes plura. *Primò* & à fortiori: Poſſe eumdem Sacerdotē morbo correptum, ſi ad vigorem reuocari poſſet ſumpto iuſculo, vel medicinâ, hac ſumptâ ad ſacrificium perficiendum redire, & potiùs, vitato ſcandalo, ita fieri debet, quam alius inieiunus admitti, ita Gobat.*in exp. Theol.t.*1. *par.*1.*tr.*3.*n.*806. *Secundò.*Etiam

teneri quamuis celebrauerit ex Paſqual. *q.* 331. *n.* 5. *Tertiò.* Ad perficiendum obligari irregularem, vel excommunicatum: quod licèt admittatur à Mēdo *in epit. v. Miſ. n.* 11. ceſsante ſcandalo: tamen Leander *dicta quæſt.* 28. abſolutè, prȩſcindendo, à ſcandalo id docet. Siquidem *x* ſcandalum perficere impediat, facilè impedimentum auferetur adſtantes monendo. *Quartò*, obligationem vrgere, quamvis Sacerdos ſit ſimul inieiunus, irregularis, & excommunicatus, Ita Marchinus *de Sacr. ord. tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 3. *n.* 15. Omnium ratio eſt; quia impedimenta prædicta ſunt Iuris poſitiui.

370 Quæſtio II. An etiam Sacerdos teneatur perficere, ſi eſset in mortali, deficiente tamen Confeſsario? Reſpon. Ita planè: præceptum namque confeſsionis, quamuis ſit diuinum ex dicendis *cap.* 3. *ſect.* 1. *in princ.* obligat tamen ſuppoſitâ præſentiâ Confeſſarij: proindè vbi requiritur confeſſio, ſufficit ſtatus gratiæ per

con-

contritionem comparatus, ſtante defectu Confeſſarij, ſi ad communionem, vel ſacrificium præceptum aliquod impellat; cumque minus ſit incommodi mortali irretitum contritum celebrare, ac ſacrificium imperfectũ relinquere; fit, Sacerdotem prędictum poſse perficere. Ita Tambur. *de Sacr.Miſ.lib.2. cap.8.n.1.* Paſqual. *de Sacrif. nouę leg. tom.* 1. *q.* 332. *num.*3.

371 Quæſtio III. ſi plures adſint Sacerdotes diverſo tamen modo impediti, quinam ſupplere debebit? Reſp. Qui minus eſt impeditus, Paſq. *q.* 331. *n.*5. huiuſmodi eſt Sacerdos peccato mortali infectus, reſpectu alterius cenſurâ ſine peccato irretiti. Idem *q.* 333. *n.* 5. Deleri enim tunc poteſt peccatum per contritionem, cenſura verò ob ceſſantem contumaciam ceſſare non poteſt ex declaratis per Alexand. VII. *felic. record. prop.* 44. Sacerdos item inieiunus ob ſumptam purificationem in miſſa, cenſetur

minus impeditus reſpectu alterius, qui ex more comediſſet. Idem *dicto n.5.*

372 Quæſtio IV. Si Sacerdos impeditus ſit præſens, non impeditus verò abſens, potens tamen accurrere, quinam tenetur ſupplere tamquam minus impeditus? Reſp. Abſens potens accurrere. Sic Paſqual. *q.*351.*n.*4. quod ſi abſens detineatur neceſſariò ſervitio ſuæ Eccleſiæ, vel non poſſit ſine conſiderabili difficultate accurrere, non obligatur ad ſupplendum. Idem *n.*7. vnde præſens, tanquam minus impeditus ſupplere debebit.

373 Quæſtio V. Sacerdos perficiens, tenetur ne dare partem hoſtiæ conſecratæ Sacerdoti, qui defecit, vt hic de Sacrificio à ſe inchoato participet? Reſp. Affirmat Tambur. *de Sacrif. lib.* 2. *cap.*8. §.1. *n.*4. & in *opuſc. de com. cap.*6. *n.*31. cuius conuenientiam aſſignans Gauantus *in rubr. miſſ. par.*3. *tit.*10.*n.*3. dixit: ita conuenit, quia partem habuit ille prior

in

in conſecratione, ergo etiam in‿ſumptione; hæc ille. Sed meritò negat Quartus *in eadem rubr.ſect. 1. dub. 6.* verſu *ſecunda*, *& vera* ſubdens, dandam eſſe illi partem hoſtiæ grandioris (ſi non adſint particulæ pro infirmis conſeruati ſolitæ) ne abſque viatico decedat. Dixi *meritò*: quia totum hoc eſt clarè cautum in Rubrica *citata.*

374 Rogabis. In caſu, in quo Sacrificium ab vno Sacerdote incipitur, & ab alio perficitur, quis fructum ſacrificij conſequetur? Reſp. Ille, cui Sacerdos perficiens Sacrificium applicauit. An autem hic teneatur applicare iuxta intentionem Sacerdotis, qui incæpit? Diſputant Doctores. Mihi placet Bertis *de Sacrif. Miſſ. qu.* 8. *n.*237. vbi hæc habet: optimè faceret Sacerdos poſterior referendo ſe ad intentionem primi Sacerdotis, & nullam nouam applicationem faciendo, niſi ſub hac conditione, ſi alter fortaſse non applicauit: & ſubdit; quod ſi aliter ſe gereret, mutando, ſcilicet,

ap-

applicationem prioris Sacerdotis; non per hoc grauiter peccaret: imò (addo) ſecundum Paſqualigum *qu.* 165. *n.* 3. quem ſequitur Tonell. *lib.2.Enchir. tit.* 8. *ad rubr.* 3. §. *ex dictis*, neque leuiter.

375 Quæſtio VI. Quid fieri debeat, ſi nullus adſit Sacerdos, qui ſacrificium compleat, nec haberi poſſit? Reſp. Conſeruari debent reuerenter ſacramentales ſpecies, donec haberi poſſit Sacerdos. Sic Communis Doctorum. Quod ſi non poſſint conſeruari ob periculum corruptionis, præcipuè ſpecies ſanguinis tempore ęſtatis: Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.*2.*art.*6.§.*circa hoc*.putat potius permittendam eſse corruptionem, quam quod ſumantur à Laico. Sed contrariũ contra Sotum nominatim docet Diana *par.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 34.*in fine*: quem ſequitur Leander *de Eucha. diſp.*5.*q.*29. vbi etiam id concedit laicis, quando ſacramentales ſpecies non poſsunt conſeruari ſine periculo irreuerentiæ ob inuaſio-

ſionem infidelium, &c.

276 Duo tamen ſunt advertenda. *Primum*. Quando laicus eas ſpecies ſumit, debet eſse ad dignam ſumptionem diſpoſitus, & item ieiunus. *Secundum*. Ad id laicum nullâ lege obſtringi. Ita Leander *cit.* Carpit Leandrum hic de more Delgadillus *de Euchar. cap.2. n.67. & 68.* docens: Laicum teneri etiam inieiunum ad ſumptionem: rationē aſſignat: quia Leander ipſe Sacerdoti inieiuno id concedit; & laici ad impediendam irreverentiam Sacramenti, ſaltem indirectè, & ſecundariò ad ſumptionem tenentur.

377 Nihilominus non recedo à ſapientiſſimo Leandro. Ad primam partem rationis reſpondeo: id conçedi Sacerdoti, quia tenetur ſacrificium perficere, quo titulo ergo concedendum laico? Ad ſecundam partem rationis reſpondeo Delgadillum quāuis doctiſſimum, non aſsequutum fuiſſe mentem Leandri; hic enim obligationem in laico ſupponit, quan-

quando nulla imminet irreuerentia Sacramento, in ea enim quæſtione de Sacramento ſacrificij imperfecti ſumendo tractat, non de eo irreuerentiæ expoſito. Cæterùm ſi immineret, nec ieiunium requireret, & obligationẽ Leander ipſe agnoſceret.

278 Quæſtio VII. Sacrificium imperfectum poteſt ne ſequenti die perfici? Reſp. Affirmat Tambur. *de Sacrif.lib.2. cap.8. §.1.n.7.* Henriquez *lib.9. c.40.n.1.* Sed negat conſtanter Diana *par.10. tr. 11. reſol.4.* quem ſequitur Coton. *lib.2. controu. 5. n. 15.* Tum quia Sacrificium die ſequenti completum non eſset vna actio moralis: tum etiam quia eſt contra Rubricam *de defect. tit. 4. n. 8.* ex qua conſtat, quod deficiente vino, conſecratâ iam hoſtiâ, *ſi nullo modo haberi poſſit, procedendum erit, & miſſa abſoluenda; ita tamen, vt prætermittantur verba, & ſigna, quæ pertinent ad ſpeciem deficientem. Quod ſi expectando aliquandiù haberi poſſit, expectandum erit, ne*

ſa-

ſacrificium remaneat imperfectum: tum ſic. Sed expectare diem ſequentem non eſt expectare *aliquandiu*, quod non extenditur ultra horam in ſenſu Cotonii *citati* ergo, &c.

379 Quæſtio VIII. Si peruentum ſit ad horam, in qua non licet amplius celebrare, an poſſit ſuppleri? Reſp. Negat Paſq. *q.* 328.*n.6.* etiam ſi non multùm diſtanter ab ipsâ horâ ſacrificium ſit inceptum. Sed quia ex obligatione ſupplendi ſacrificium, grauis oritur neceſsitas, admitterem illud ſpatium, intra quod unica actio moraliter retinetur, quamvis ſit extra horam celebrandi.

380 Petes. Fluxus ſanguinis, qui erumpit per nares Sacerdotis celebrantis, an ſit cauſa ſufficiens, ut ſacrificium per alium perficiatur? & quid tunc ſacerdos facere debeat? Reſpondet Corradus *par. 2.reſponſ.q.*359.*circa finẽ*, quod debet pauſare, donec fluxus ceſsaverit, cavendo, ne ſacra ſanguine coinquinentur, quem reci-

piet

piet in aliquo vaſe, aut pannicu-lo: quod ſi fluxus cohiberi non poſsit, unde nec ſacrificium perfici; ab alio ſupplebitur. Ita etiam Bertis *de ſacrif.miſ.q.7.n.205.*

381 Quæſtio IX. Sacerdos latinus ſi poſt conſecrationem calicis advertat hoſtiam à ſe conſecratam eſse corruptam, vel alias ineptam, an poſset ſacrificium ſupplere, conſecrando fermentatum ob azymi defectum? Reſp. Affirmat, Paſq. *q.* 47. *n.*5. qui tamen *in fine* dicit, quod ſi Latinus poſſet habere azymum, expectando per horæ ſpatium, vel paulo majorem, tunc debet expectare; agitur enim de ſervando ritu graviſsimo. Et ſecundùm hanc ſententiam idem dicas, & majori ratione de Græco, non habente fermentatum. Sed Tonellius *in ſacro Enchir. lib. 2. tit.7. in notis ad Rubric.3.§.Addit, & ſeq.* nominatim contra Pasqualigum *citatum* contrarium ſuſtinet.

382 Quæſtio X. Quomodo perficiendum ſacrum? Reſp. Eſt cer-

certum, quod ſi infirmitas, vel mors acciderit ante conſecrationem, ſacrum prætermitti debet. Si verò poſt, perfici debet ex Rubric. *de defect. tit.* 10. *nu.* 3. ita tamen, ut ſi defecerit poſt conſecrationẽ Corporis, ſufficit, quod Sanguis à perficiente offeratur, & conſecretur, quicquid in contrarium docuerit Innocentius *de myſteriis miſ.cap.*22. apud Cotonium *lib.*2.*contr.*5. *n.* 15. docens conſecrari debere aliã hoſtiã, & Sanguinẽ,ut perficiatur ſacrificium; ſed quia hoc eſset nouum ſacrificium conficere, non alterum perficere; meritò ab Innocentio recedens Cotonius nobiſcum ſentit. Si vero id evenerit poſt corporis ſumptionem; dubitari poterit, num debeat alia hoſtia conſecrari?

383 Et quidem pro opinione, quod debeat alterius hoſtiæ fieri conſecratio, communiter citatur D. Thomas *in* 3. *par.* *q.*83.*artic.*6. *ad* 4. Sed male: quia ibi loquitur de caſu, quo fuerit comprehenſus

de-

defectus in calicis conſecratione, qui eſt longe diverſus à noſtro. Alii, quos ſuppreſso nomine citat Niger *in addit. ad Ruiz de ord. celebr.miſ.par.7.§.9.in append.n.8.* tenent, quod cum ſacrificii eſsentia ſalvari poſsit in unius ſpeciei ſumptione; nullus propterea ſacerdos obligatur ſacrificium abſolvere.

Sed communis ſententia docet, Sacerdotem debere ſolum, ſanguinem ſumendo, ſacrificium complere. Quia quamvis ſumptio non ſit de eſsentia ſacrificii; pertinet tamen ad illius consumptionem, urgetq; obligatio ſumendi totum id, quod fuit oblatum. Ita docet Niger *cit.* Diana *par.*10. *tr.* 12.*reſol.*15.quem ſequitur Coton. *lib.*2.*contr.*5.*n.*18.

384 Quæſtio XI. Ijs in caſibus, in quibus ſacrificium eſt ſupplendum, ſi dubitatur, num Sacerdos, qui defecit, conſecraverit hoſtiam, quid faciendum? Resp. Niger *citatus* refert D. Thomam *in* 4.*diſt.*8.*q.* 2. *art.* 1. & commu-

nem

nem Theologorum docuiſſe, teneri ſecundum ſacerdotem aliam hoſtiam conſecrare, illam vero, de qua eſt dubium, vel ſub conditione conſecrare, vel poſt ſumptum ſanguinem ſumere.

385 Melius Dicaſtillo, & Diana, quos citatos ſequitur Cotonius *dicta contr.* 5. *n.* 20. docent ſufficere, quod cõſecretur eadem hoſtia ſub conditione: quia eſſet novi ſacrificii celebratio, quando alia hoſtia adhiberetur, nõ incepti perfectio.

SUBSECTIO II.

De Prudentia Sacerdotis in Villa, circa Sacrificium repetendum.

386 SAcroſanctæ Eccleſiæ usus circa ſacrificium quotidie offerendum non ſemper fuit idem, ſed varius juxta varias temporum vices: nam licèt usq; ad Alexãdrum II. plures miſſæ quotidie

tidie per ſingulos Sacerdotes celebrabãtur, & legimus S. Udalricum Epiſcopum Auguſtanum miſsas tres, aut duas, aut vnam, ſecundùm temporis, & valetudinis veniam, quotidie celebraſse, & Leonem III. ſepties, aut nouies vnâ die celebraſse, vt videre eſt apud Gobat *in exper. Theol. tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 3. *n.* 182. *&* 183. Vbi obiter nota, quod licèt in dicto *cap. Te referente*, prohibita cenſeatur tantùm multiplex miſsæ celebratio; tamen eãdem prohibitionẽ ad multiplicem Euchariſtiæ ſumptionem extendit conſuetudo, vt ex cõmuni Doctorum docet Gobat *in Theol. exper. tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 4. *n.* 51. indeque prouenit, quod reus eſt mortalis, qui bis eodem die cęleſti cibo reficitur: ipſemet tamen Alexander id vetuit circa annum 1073. ſtatuens, ſufficere vnicam miſsam ſingulis Sacerdotibus pro ſingulis diebus celebrare, *cap. ſufficit de conſecr. diſt.* 1. quam prohibitionem veluti innouauit Honorius III. *in cap. te referen-*

rente 12. *de celebrat. miſſ.*

387 Quamuis autem hac tempeſtate prædictæ canonicæ sanctiones in viridi ſint obseruantia, ita ut per ſe non liceat, (excepta die Natiuitatis , & secluso priuilegio, vel secundùm aliquorum placitum, seclusa etiam consuetudine, quam sapientiſſimus Neotericus Iacobus Pignatellus *to.* 1. *conſult.* 1. *n.*15. corruptelam exiſtimat) pluries celebrare ſine incurſu suspicionis hæreſis, vt per meum Alberghinum *in man.qualif.cap.*23. *n.* 3. notatur; per accidens tamen extra controuerſiam eſt, quod ſtante causâ, quam vir prudens rationabilem iudicat, ſit aliquando non solùm licitum, verùm etiam, & necessarium, vel congruentiſſimum, vt Missa secundò, vel pluries celebretur ab uno, eodemque Sacerdote, vt ait Delgadillus *de Euchar. myſter. cap.* 16. *n.* 22. vel inchoatum sacrificium iterum incipere. Et quia in villis ob Sacerdotum defectum iterata celebratio fre-

frequenter expedit, imò aliquando neceſſaria ſit; ideò plures reſoluimus quæſtiones, ex quibus ſimplex Sacerdos, aut Parochus in villa sciet, quando poterit vel miſſam inchoatam à principio repetere, vel pluries celebrare, erit ergo

388 Quæſtio I. Sacerdos ob aduentum Magnatis, putà Cardinalis, Archiepiscopi, Regis, &c. ad villam an poſſit iterum ſacrificare; ſuppoſito, quod alius Sacerdos non ſit, qui celebret, & quod per ſumptionem purificationis ieiunium naturale non fregerit, fortè quia fuit monitus per nuncium antequam ad purificationem deueniret? Resp. Affirmant aliqui apud Paſqualigum *de ſacrif.q.*374.*n.*1.eo quia aduentus perſonarum illuſtrium avocat obsequium tunc præſtandum iterum celebrando. Sed negat Tamburinus *de sacrif. lib.*1.*cap.*6. §.3. *n.*2. ipſeque Pasqual. *n.*5. *&* 8. id intelligens tum de die feriali, tum feſtiuo: nam obſequio prædicto ra-

radicato in quadam decentia, & honeſtate, præualet præceptum rigoroſum de non celebrando niſi ſemel. Quod ſi prædictas perſonas ſequetur multitudo perſonarum, erit alia inſpectio, de qua infra tractabimus *q. 6. & 8.*

389 Quæſtio II. An ſaltem poſſit miſſam inchoatam iterum incipere? Reſpon. Negat Tamburin. *de Sacrif. lib.2. cap. 7. §. 8. num.2.* Affirmat nominatim cõtra Tambur. Bardi *in ſelect. lib.10. q.11. n.3.* qui *n.10.* probabile putat id extẽdi ad dies feriales. Bellutus verò *in opuſ. Theol. mor. p.2. reſol.20. in fin.* ait quod eueniente caſu reſoluendus erit, vel negatiuè, vel affirmatiuè iuxta varias circumſtantias. Repetitio autem hæc pluries fieri poſſe, quãdo ſuperuenit maior cauſa, affirmat Poſſeuinus *de officio Curati cap.2. num.10. & 11.* quo caſu altiori iudicio opus eſſe putat Gavantus *in rub. miſſ. par.3. tit.10. num.17.*

390 Pro negatiua ſtant duæ Synodi Mediolanenſis, & Hyſpalen-

ſis ambæ apud Dianā *par.*11. *tr.*5. *reſol.*45.§.*mihi quidem.* Tamburinumque ſequuntur ipſe Diana, Coton. *lib.*2.*contr.*5.*n.*60. Paſq.*de ſacrif.to.*1. *q.*199.*n.*4.*&* *q.*376 *n.*4. quæ ſententia omninò tenenda, tum quia cōtraria adverſatur noſtræ Synodo ſub Illuſtriſ. D. Iacobo de Palafox *par.* 3. *num.* 8. vbi hæc leguntur. *In Altari Sacerdos ne quempiam præſtoletur, nec expectandi grati à in mora ſit, neve vſpiam inchoata miſſa ſubſiſtat, aut eius initium repetat.* Tum etiam quia vel adventus præceſſit offertorium; & iam poſſunt præcepto ſatisfacere, ac ſuæ deuotioni, audiendo reliquum miſſæ ex dicendis infra *cap.*9. *quæſt.*6. Vel ſequitur offertorium; & ipſimet adverſarij Bardi ſcilicet *n.*8. & Poſſeuinus *n.* 10. negant repetitionem fieri posse: cur ergo, & qua de cauſa concedemus repetitionem? Ad rationem in contrarium reſpondent Doctores ipſi: doctrinā tamen Bardi probabilem putat Diana *cit.*

391 Quæſtio III. Iuxta ſententiam affirmativam, quinam erit terminus, intra quem poſſet Sacerdos iterum missam inchoare? Reſp. Offertorium excluſiuè. Leander *de ſacriſ. diſp.* 5. *quæſ.* 33. (vbi vnum proponit, & aliud reſolvit) quod Bellutus *dict. reſol.* 20. vt certum ſupponit. Bardi tamen dubitat, nùm peccaret graviter Sacerdos, qui poſtquam pervenerit ad canonem excluſiuè iterum inchoaret.

392 Quæſtio IV. Prædicta repetitio iuxta affirmatiuam ſentẽtiam, an fieri poſſet pro perſona infimæ conditionis? Reſp. Affirmare deberet Carolus Macri *in hierolex. v. Miſſa poſt medium*. vbi credit poſſe miſſa denuò incipi ob superuenientem populi concurſum, eo quia apud Deum non eſt acceptio perſonarum; quæ ratio æquè reſpicit nobiles, ac ignobiles. Sed quicquid ſit de huius eruditi Doctoris mente: certum eſt, quod non poſſet: at ſi id fiat, quãvis Bardi *cit. n.* 11. putat commit-

ti veniale peccatum; remittit tamen iudicio prudentum determinandum, an ſit mortale. Sed Diana *par.*11. *tr.*5. *reſol.*45.§. *& tandem*, nominatim contra Bardum putat mortale.

393 Quæſtio V. An poſſit propter Magnatum aduentum celebrari miſſa ſicca, ſive nautica, ut illorum deuotioni satisfiat? Pro reſponſione ſuppono. Missam ſiccam ſic appellari, quia ſine cōſecratione recitatur: dicitur etiā nautica, quia frequentiùs à navigantibus Sacerdotibus in navi celebratur, vt explicat Macri in *hierolex. v. miſſa ſicca*. Celebratur autem hoc modo. Induitur Sacerdos omnibus sacerdotalibus paramentis præter caſulam; vel superpelliceo, & ſtola cadente ante pectus, & in modum Crucis trāſversa, ac cingulo firmata, ascendit ad mensam, ſive altare mappa munda, etiam non benedicta coopertum, Cruce, & luminibus ornatum: deindè incipit Confeſſionem, ſequitur Introijtum, Gloria

in

in excelſis (ſi dicenda) Orationem vnam, vel plures, Epiſtolam, Graduale, Munda cor meum, Evangelium, Credo (ſi dicendum) & Offertorium; poſtea omittens reliqua dicit præfationem, & ab hac per ſaltum dicit, Oremus præceptis ſalutaribus cum oratione dominica, Agnus Dei; & reliquis prætermiſſis recitat Poſtcommunionem, & cætera, vſque, & per totum Evangelium vltimum. Hęc ſunt miſſæ ſiccæ, vel nauticæ ritus, & verba, quæ deſumpſi ex Sacerdotali elaborato per Fr. Albertum Caſtellano Ordinis Prædicatorum *part.* 4. *tract.* 4. *cap.* 34. *&* 35. *fol.* 88. meæ editionis, quæ eſt Veneta anni 1567.

394 His ſuppoſitis ad quæſtionem reſpōdetur negativè pro locis, ubi nulla adeſt harum miſſarum conſuetudo (prout in noſtra Sicania) bcnè tamen ubi adeſt, quamvis ſemper vitari debet exteriorum ſcandalum, qui illas acciperent tanquam aliquid falſum, & irriſorium, ſcite ait Cotonius *Sac. in Villa,* O 3 *lib.*

lib.2. contr.5. num. 61. Vide infra *cap.2.ſect.*1.*quæſt.*17. Scio in Triremibus Melitẽſibus teſte Macro *cit.*miſſas ſiccas recitari, in noſtris vero Siculis minimè. Scio etiam, quod Pignatellus noviſſimè *tomo* 4. *conſult.* 134. aliàs 135. contra prædictas invehitur; & rectè, ut ſolet, aſſerit, illas nec à missali, nec ab aliquo libro eccleſiaſtico, aut uſu Eccleſiæ approbari, indè concludens contra Sacerdotem illas celebrantem esse animadvertendum (quicquid ſit de approbatione Sacerdotalis à Leone X. facta ex teſtimonio Navarri, quia id nec probabile reputat Pignatellus *cit.n.*7.) Equidem, præſcindendo à conſuetudine, non video quomodo missa ſicca cohoneſtari poſſit: quia ex una parte non ſatisfit per huius auditionem præcepto; vt eſt certum, & obſervat Biſſus *in Hierurgia litt.M.nu.*266. §. 1. & ex alia parte non percipio quomodo deuotio foueri poſſit per miſſam, quæ Jeſu Chriſti pręſentia deſtituitur: ultra quod non

eſt

eſt aptum fovere deuotionem id quod eſt inordinatum, & præter Eccleſiæ inſtitutionem plures cõtinet deformitates. Vide Quartú *in rubr.miſſal.par.1.tit.* 14. *dub.* 4. *per tot.* Biſſum *cit. n.* 266. *per tot.* ex quo advertes, quod Sacerdotes dumtaxat poſſunt dictam miſſam recitare. Ita docet §. 3. & quod miſſa ſicca nomine officij divini venit; vnde tempore interdicti prohibitam cenſet §. 9.

395 Quæſtio VI. An ob advẽtum multitudinis poſſit bis celebrari? Reſp. Negat Paſqualig. *de ſacrif.q.* 377. *n.* 4. Affirmat Diana *par.* 11. *tr.* 5. *reſol.* 33. verſu *nota etiã*, ubi ad hoc ut poſſit ſimplex Sacerdos bis celebrare, requirit ingentem multitudinem fidelium miſſam audire debentium; ſecus ſi ſint decem, vel viginti. Et pro hac ſententia ſtat tum Epiſtola Leonis Pontificis 81. aliàs 91. *ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum cap.* 2. tum communis opinio id concedens Parocho ob ſimilem neceſsitatem.

396 An autem liceat ter,&c.ob rationabilem cauſam, puta ſupradictam, celebrare? Negat Henriq. *lib.8. cap.30. n.7.* ex *cap.conſuluiſti de celebrat.miſſ.* Sed reijcitur per Naldum *v. miſſa n.* 16. ubi dicit, textum prædictum nil iuvare Hẽriquez: unde ſubdit, non videri iure vetitum ſi plures causæ succederent, pluries quam bis per eumdem Sacerdotem eodem die celebrari. Sed Diana *cit.* verſu *cæterum*, approbatus à Cotonio *lib.2. contr.5. n.62.* non facilè admittit dicta per Naldum; quoniã requirit graviorem cauſam, quam pro bina celebratione; quod credit nunquam eventurum, inquit, niſi in præfectura trium Eccleſiarum, quæ ex urgentissima causa concedi poteſt, & graviori quidẽ eâ, quæ communiter expoſtulatur ad duarum Eccleſiarum pręfecturam. Hæc Diana. Vide quæ dicã infra *hic quæſt.* 8. *&* *ſubſect.* 3. *quæſt.*7.

397 Notandum tamen omninò eſt, quod in caſibus prædictis, in qui-

quibus poteſt ſacrificium reiterari, Sacerdos debet esse ieiunus,ut ſupponit Cotonius *cit. n.*62. & vt certũ advertit Dian.*d. reſol.*33.*fin.*

398 Ex quibus colliges, quid facere debeant Sacerdotes in noſtris campis, in quorum Eccleſijs pro villaticis extructis tanta venatorum copia congregatur tempore, quo tranſeunt Coturnices, ut illos non capiant. quamvis ego in hoc territorio affirmativam ſententiam ſine Ordinarij licentia ad praxim non deducerem: quoniã hæc neceſsitas quolibet anno prævidetur, & ad Ordinarium recurri commodè poteſt.

399 Quæſtio VII. Prędicta affirmatiua reſponſio an procedat etiam pro diebus ferialibus;ita ut ſtante adventu multitudinis, posſit in illis iterum celebrari? Reſpond. negativè, ſi ſermo ſit de Sacerdote ſimplici. Si verò de Parocho; adhuc negat Villalobos *par.*1. *tract.*8. *diffic.* 21. *n.*5. negat item Trullench *de Sacram. lib.* 3. *cap.*8. *dub.*10.n.4. dicens tamen,

id admitti poſſe in aliquo die feriato, in quo populus abſtinetur ab opere ſervili in honorem alicujus Sancti. Sed affirmat Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 8. ſect. 3. §. ſextus autem caſus*, quē citat Diana *par. 10. tr. 16. reſol. 22.* aliàt 23. cuius ſententiam pluribus citatis probabiliſſimam, & tutam in praxi putat, quos citatos ſequitur Arsdekin *to. 2. par. 2. tract. 4. cap. 4. §. 2. n. 2.* ubi latè. Non adhæreo tamen Delgadillo *cap. 16. num. 15.* qui eandem affirmativam ſententiam propugnat, concedendo Parocho die feriali plures celebrationes non ſolùm pro multitudine auditorum, verùm etiam pro ünica perſona.

400 Quæſtio VIII. Sacerdoti in villa occurrit multitudo populi extraordinaria ob deuotionem, vel feſtivitatem, quam Eccleſia villæ capere non poteſt; an poſſit bis celebrare? Hæc quæſtio in hoc differt à ſexta: quia ibi ſupponitur multitudinem advenire poſt celebrationem; hic verò

con-

convenire ſimul ante celebrationem: & item hic habetur reſpectus ad feſtivitatem, ibi verò non. Reſpōdetur igitur ſic. Affirmat in parte Theophylus Raynaud. *tom.* 15. *ſect.* 1. *n.* 14. dicens poſſe, ſi extra Eccleſiam celebrari non poſſit. Affirmat abſolutè Paſqualig. *de Sacrif. q.* 379. *n.* 3. qui *num.* 8. addit, id etiam procedere in diebus, in quibus non ſit audienda miſſa de præcepto, quam reſponſionem deſumit ex citata Epiſtola Leonis.

401 Ex quibus colligitur reſponſio ad dubium illud, nùm in dicto eventu potius ſit bis celebrandum, an ſemel extra Eccleſiam, in loco ſcilicet Eccleſiæ cōtiguo, qui multitudinem capiat? Cui reſpondetur, quod ſecundùm Raynaudum potius celebrandum extra Eccleſiam; ſecundum verò Paſqualigum potius bis celebrandum, vt etiam ipſemet *n.* 7. contra adverſarios infert: at de hoc redibit iterum ſermo infra *ſubſec.* 3. *q.* 7. *n.* 438.

402 Quæſt.IX. An pro viatico miniſtrando, poſſit bis celebrari? Reſp. Negat Diana *part.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 56. Sed affirmat Paſqualig. *de ſacrif. q.* 380. *n.* 5. Engel *in Manuali Paroch. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. & ſupponitur à Cotonio *lib.* 2. *controu.* 4. *num.* 101. Imò Hurtado *tom.* 1. *reſol. mor. tract.* 2. *cap.* 7. *reſol. vlt. n.* 438. apud Leandrum *infra*, addit non ſolùm poſſe, verùm etiam Sacerdotem lege charitatis ad id teneri. Adhæreo affirmatiuæ ſententiæ, tũ ob prærogativam prçcepti viatici, reſpectu præcepti de nõ celebrãdo, niſi ſemel: tum quia animabus nõ levem cõſolationẽ viaticũ afferre poteſt.

403 Rogabis 1. An requiratur, quod ſecundò celebrans ex causa viatici ſit ieiunus? Reſp. Affirmat Leander *de ſacrif. diſp.* 5. *quæſ.* 34. Sed negant Cotonius *dicto n.* 101. Delgadillus *de Euch. cap.* 16. *n.* 21. Engel *dicto num.* 4. verſu *Interim.* Id autem quod ait Delugo *diſp.* 20. *n.* 44. quod ſcilicet Sacerdos poſt ſumptam purificationem nõ poſ-

ſit

ſit iterum celebrare, non eſt tanti ponderis; & iam benè reſpondit Cotonius *cit.* quod ob viaticum permittitur tum celebrare ieiunè, tum ſecundò.

404 Rogabis 2. Si Sacerdos nõ ſit ieiunus, propter quod innixus ſententiæ Leandri *ſupr. cit.* renuat iterum celebrare pro miniſtrando viatico; an peccet non celebrando, & non miniſtrando? Reſpon. Negativè; quia non tenetur ſequi ſententiam Delgadilli, & posset iuxta Leandrum ſibi ſuadere, pręceptum viatici non obligare, niſi quando debito modo confici, & miniſtrari posſit.

405 Advertendum pro praxi, quod quando Sacerdos in villa (in villis enim vt plurimum accidere ſolent, & possunt caſus ſupradicti, & ſequentes) dum ſacrificat, monetur de viatico miniſtrando, ita se gerere debeat, ut ſi moneatur ante sumptionem, conservet partem hoſtiæ pro infirmo: ſi ante purificationem, ab hac ſe abſtineat, ut ſecundò ieiunè cele-

bret;

bret: ſi verò poſt non ieiunus iterum celebrabit, ex dictis ſupra. Benè autem obſervat Paſqualig. *q.* 380.*n.*11. & advertit, Sacerdotem monitum de celeri indigentia viatici, non debere de ſufficiẽtia neceſsitatis inquirere (non excludas prudentem, & diſcretam Inquiſitionem) ſed ſtatim iterare debet celebrationem; ne ob inquiſitionem prolixam tempus labatur, & infirmus evadat incapax viatici.

406 Rogabis 3. Sacerdos prædictus in neceſsitate citiùs miniſtrandi viaticũ, quid faciet? Reſp. Incipere poterit ab offertorio, & peractâ conſecratione vtriuſque ſpeciei, tranſmittet viaticum moribundo. Quod ſi non adſit, qui viaticum deferat; citiùs conſumat, & ipſemet deferat: ſi verò mors imminens non dat dilationem; tunc, ſi habet materiam paratam, incipiat à Canone, & conſumat eo expleto (qui terminatur Oratione Dominicali excluſivè) & ſubitò miniſtret. Paſqual. *qu.* 213. *n.* 6.

n. 6. Scio Maiorem *in* 4. *diſt.*9.*q.*3. *ad* 5. permittere, vt ſtatim ſine veſtibus consecretur, quod non esse admittendum dixit Cotonius *lib.*2. *contr.*4. *num.*101. *fine.* qui à fortiori refutabit Delgadillum *de Euchar. cap.*3. *num.* 54. *& ſeq.* eo caſu etiam concedentem posse conſecrari bucellam fermentati, ſine ara; & uno verbo ſine aliqua ex cæremonijs ab Eccleſia inſtitutis: doctrina ſanè communiter impugnata, de qua alibi.

407 Rogabis 4. Viatico, ut paulò ſupra miniſtrato, debent nè ſuppleri omissa in celebratione? Resp. Prætermissa ante consumptionem ſuppleri non debent; benè tamen ea, quæ poſt illam recitari ſolent. Paſq. *cit. n.* 8.

408 Queſtio X. Sacerdos, ſi tāquā Parochus prēeſt duabus Eccleſijs, poteſt nè duas miſsas vnam in vna, & aliam in alia eodem die, quo vrget præceptum (de diebus ferialibus dicemus *q.* 12.) celebrare? Reſp. Posse, cum licentia tamen Epiſcopi, reſpondit Sacra

Con-

Congregatio apud Jordanũ *to. 1. lucubr. lib.4. tit.1. nu.79.* imò non ſolùm posse, sed teneri ſuſtinet Paſqual. *q.381. nu. 5.* quam licentiam requiri, obſervavit, & rectè Paſqual. *ibidem n.3.* vt Epiſcopus cognoſcere queat, an meritò præesse possit duabus parochijs, & an fructus ſint taliter tenues, ut non possit aliquem ſuſtituere, & an adesset quem ſuſtitueret.

Et hinc fit, quod ſi Epiſcopus cognoſcat fructus esse tantos, ut possit Parochus commodè in vna Eccleſia Parochiali aliquem ſuſtituere, deberet Parochum cogere ad ſerviendum per ſubſtitutum, ſi quem ſubſtituat, habeat.

409 Fit etiam, quod ſi Parochus non ſubſtituat, cum possit, mortaliter peccat. Paſqual. *dicta quæſt.*381.*n.*5. quamvis illum non audeat damnare peccati mortalis Franciſcus de Lugo.

410 Quæſtio XI. Quando Parochus præeſt duabus parochijs, ut possit bis celebrare, an requi-

ratur,quod Eccleſiæ ſint in diverſis oppidis, seu villis? Reſp. Affirmant Azorius,Vasquez,&Laymanus apud eumdem Pasqualigũ *n.6.* Sed ipſe negat: urget namque necessitas bis celebrandi ex curæ duarum parochiarum, parumque refert, quod hæ ſint in eodem, vel diuerſis locis.

411 Quæſtio XII. Parochus habens curam duarum parochiarũ, an possit diebus ferialibus etiam bis celebrare? Reſp. Negat Paſq. *q.* 382. *n.*3. Sed affirmat Theoph. Raynaudus *tom.*15.*ſect.*1. *num.* 4. ſic inquiens. Cum enim unus Sacerdos pluribus parochijs inſeruire debet, fas eſt multiplicare eodem die ſacrificia, ut utriuſque parochiæ necessitati satisfaciat, etiam ſi non ſit dies feſtus,ſed tantùm ſeruiendum ſit deuotioni populi. Hæc Raynaudus. Ego coherenter ad dictam *quæſt.*7.id cõcederem ſtante concursu conſiderabili Parochianorum, iuxta ſententiam sapientissimi Suarij, quãvis, ut ibi retuli, Delgadillus id con-

concedat, etiam pro unica perſona. Equidem cum Parochus nõ habeat obligationem ratione muneris diebus profeſtis celebrandi, quænam necessitas illum adſtringet ad bis celebrandum? nec deuotioni paucorum eſt tribuenda tanta vis contra præceptum, graviſſimum de non celebrando ultra primam vicem.

412 Quæſtio XIII. Sacerdos in villa, ſi preeſt tribus, aut pluribus Parochijs villaticis, an posset ter, vel pluries missam celebrare? Reſpondet affirmativè Paſqualig. *qu.* 382. *n*, 7. Vide dicta supra *quæſt.* 6. *n*, 396.

413 Quod ſi quæras, quid faciet in Natiuitate Domini, poſſet ne celebrare nouies, aut pluries, ſcilicet ter pro qualibet Parochia? Resp. Caſum apud neminem legi, ſed id non audeo affirmare, cum sufficienter satisfaciat Parochus cuilibet Eccleſiæ, semel in qualibet celebrando. Sed poſt hæc ſcripta iam incidi in celeberrimum, Gobatum, qui *in Theol. exper. to.* 1. *p.* 1.

§.1. *tr.* 3. *nu.* 189. id concedit: eo quia Parochiani habent Jus poſtulandi trina sacra. Equidẽ plus ponderis in me habet auctoritas tanti Doctoris, quam vis prędictę rationis, cum non agnoſcam Jus prædictum; pręsertim quia trina celebratio non continet aliquam cęremoniam gravem, qua fraudarentur Parochiani. Habet etiam Gobat.ſuę ſententię propugnatorem Mendum *poſt epit. in append. ſub tit. de Sacrif. n.* 3. & 4. Sed non recedo à dictis.

414 Quæſtio XIV. Sacerdos, ſi celebravit in Parochia villæ, cui præeſt, & in Parochia vicinę villæ deficiat missa ob repentinum morbum Parochi, an poſſit ibi requiſitus iterum celebrare? Reſpondetur poſſe; nõ tamẽ ex propria electione, aut inſtantiâ Parochianorum alienorum; ſed ex deputatione Parochi illius villæ; Ita Paſqual. *q.* 383. *n.* 2. & 3. qui *n.* 5. addit hoc ipſum procedere, quando in duabus parochijs (idem dic de tribus, &c.) quibus præeſt, celebrauit.

415

415 Queſtio XV. Sacerdos,qui, ut ſupra, præeſt pluribus parochijs, quid faciet Feria V.in Cœna Domini; debet nè Corpus Eucharisticum in omnibus servare? Reſpõdetur negativè; ſed ſervare illud tantùm debet in una, eaque principaliori; nè non ieiunus die ſequenti in ſecunda ſumptione inveniatur; quod ex eo provenit, vt patet ex Rubricis, quia ſequẽti die debet hoſtiæ particulá miſceri vino non consecrato, & ſumi. Ita Cotonius *lib.* 2. *contr.* 5. *n.* 63. laudans Dianam ſic opinãtem *par.* 11. *tr.* 5. *reſol.* 33.

416 Quod ſi ambæ Eccleſiæ eſſent æquè principales, uno anno celebrare debet in una, & alio anno in altera. Leander *de Sacrific. diſp.* 5. *q.* 40. principalitas autem hæc unde deſumenda ſit? Paſqual. *q.* 385. *n.* 7. firmat deſumendam à numeroſitate populi, quatenus eo principalior eſt Eccleſia, quo numeroſior eſt populus,quem regit.

417 Quæſtio XVI. Sed quid faciet,ſi inadvertenter in utraque

pa-

parochia celebravit, Sacramentũque ſepulchro condidit? Reſpon. Vel celebrabit in prima Eccleſiâ, in qua ſumet ſacroſanctum Corpus; quod verò repoſuit in ſecunda, conſervabit in ſacrario. Diana *par.*11. *tr.*5. *reſol.* 33. verſu *dico ego.* Vel poterit in utraque ſumere abſtinendo tamen in prima ab infuſione vini; quod ipſum dicunt Trullench *de Sacram.lib.*3. *cap.*8.*dub.*10.*n.*6. Mendo *poſt epit. in append. sub tit. de Sacrif. num.*5. & alij cum Diana *cit.* Permitteret tamen Cotonius *dicto n.* 63. ſumptionẽ etiam in alia Eccleſia poſt ſumptam particulam cum vino in priori Eccleſia; quoniam cæremoniam illam myſterioſam omittere, pluris faciendam, quàm ieiunium, putat. Sed nec ſecunda ſententia, nec hæc permiſſio Cotonij placet Pasqualigo *quæſt.*385. *num.*2.*&* 3.

418 Quæſt.VII.Sacerdos præeſt villæ, ubi Catholicæ Religionis uſus nõ eſt liber, vel ſi liber, adeſt penuria Sacerdotum; an licitum

ſit

ſit ipſi pluries in die celebrare, pro conſolatione fidelium, qui ob timorem hæreticorum, vel aliam rationabilem cauſam non poſſint ſimul convenire? Reſp. Affirmat Tamburin. *de ſacrif. miſſ. lib.* 1. *cap.* 6. §. 3. *n.* 2. quod procedere etiam diebus ferialibus, quando tamen prudens ſacerdos neceſſarium id iudicabit pro fovenda catholica religione, docet Paſqualig. *q.* 386. *num.* 7.

419 Quæſtio XVIII. In caſibus, in quibus licet repetere miſſam, requiritur nè licentia Epiſcopi, ſi ad eam pateat aditus? Reſpon. Ita planè: ſuum enim eſt examinare ſufficientiam cauſæ. Paſq. *q.* 392. *n.* 2. ex Sacræ Congregationis decreto. Quod ſi recurſus ad Epiſcopum non pateat; adiri debet vir doctus: qui, ſi nec præſto ſit; tunc ſacerdos cõformabitur Scriptorum placitis, iuxta regulas cõmuniter traditas in tractatu de opinione probabili, ponderando tum auctoritatem illorum, tum vim rationum, &c. Et hęc quo ad

Sęcu-

Sæculares, quo ad verò Regulares idem Paſqualigus *num.*5.docet licentiam à Regularium Superiore obtinendam esse. Sed vereor, nè hoc dictum pugnet cum decreto Concilij Trident. *ſeſſ.* 22. *de obſervandis, & evitandis in celebratione miſſæ*, vbi Epiſcopi ad eũ effectum delegati Sedis Apoſtolicæ conſtituuntur: nec plenè huic difficultati ſatisfacit Paſqualigus *cit. n.*6.

420 Quæſt.XIX. Si celebrante Sacerdote in villa utraque ſpecies mutetur in formam pueri,ſanguinis,&c. an posset iterum celebrare? & quid faciet de ſpeciebus mutatis? Hunc caſum appoſui, quia quamvis ſit rarus, tamen eſt gravis, & Sacerdos villaticus, eo eveniente, ſi non habet à quo cõſilium expetere posset,ſe difficultatibus involuet. Reſp.De huiuſmodi mutationibus non eſt dubitandum, quia ex probatiſſimis hiſtorijs non ſemel accidisse cõſtat: qui nonnullas percurrere cupit, adeat Beyerlinchum *tom.*3. *v. Eucha-*

cha-

422 Rogabis hic 1. Quid faciendum de ſpeciebus mutatis? Reſp. Si alij apparent in proprijs accidentibus, ab eo poſſuāt ſumi: ſi verò ab omnibus mutatę videātur, non debent ſumi ab aliquo, etiam ſi (contra Delgadillum *de Euchar. myſt. cap.* 9. *n.* 53.) nullum ille haberet horrorem, aut periculum vomitus incurreret ex Quarto *cit.* verſu *an autem*, vnde debent reponi in ſacrario, certiorem faciendo Epiſcopum de miraculo.

423 Rogabis 2. Species mutatę ſunt ne adorandæ? & quo cultu? Reſpondet ex Hurtado Delgadillus *cit. n.* 54. *primò* eſſe adorandas; ſiue credatur, ibi perſeverare Chriſtum Dominum, ſive non: quia ſi credatur Chriſti perſeverantia (pro qua vide D. Thomam 3.*par.quæſt.*76. *art.* 8. ibique Eminentiſſimum Caetanum) adorari debent, tanquam re ipſa continentes ipſum, aut illum occultantes (& hic eſt latriæ cultus.) Si verò non credatur; debent venerari, tāquam ſignum, & veſtigium Chri-

ſti, & hic eſt cultus latriæ non abſolutus, ſed reſpectiuus: pro qua cultus diverſitate

424 Petes. Quænam differentia inter vtramque latriam? Reſpondeo in hoc differre, quod adoratio abſoluta cõvenit enti intellectuali, propter ſui intrinſecam excellentiam, talis eſt Deus: reſpectiva verò convenit rebus ratione carentibus, quatenus dicunt ordinem ad exẽplar, ſeu prototypon; vt ſunt Imagines, Crux, Lancea, Flagella, & alia, quæ Chriſtum tetigerunt. Vbi tamen duo adverte. *Primum*. Quæ ignominiosè Chriſtum tetigerunt, vt impij Iudæ labia, &c. ſunt execranda, & nullum merentur cultum. *Secundum*. Quod Crux ex quacunque materia conſtet, sẽper cultu latriæ eſt adoranda; quia Imago Chriſti Crucifixi eſt. Cætera verò inſtrumenta, ut lancea, &c. quæ Chriſtum non figurant, latriæ cultu eatenùs adorari debent, quatenùs Chriſtum tetigerunt; unde illorum imagines nulla adoratione ſunt venerandæ. Ita D.Tho-

D. Thom.*par.3.quæſt.25.art.4. in fine*. Bonac.*in primum Decal.diſp.3. quæſt.I. pun.3. n.* 8. Baſſæus *in flor. Theol.moral. v.adoratio n.3.6.&* 7. Caſtellinus *de certitudine glor.S.ict. canoniz. cap. 9. num.* 28. *fol. mihi* 471. quamvis Bonac. *cit.* ſequutus Suarium dicat, imagines inſtrumentorum eſſe venerãdas, quoties aſſumuntur ad repræſentandam Christi Paſſionem; & tunc ait, non adorantur præcisè, quatenùs repræſentant inſtrumenta antiqua, ſed quatenùs connotant Chriſtum passum. Et hæc de adoratione ſufficit innuiſſe, nè contra inſtitutum immoremur.

SVBSECTIO III.

De Prudentia Sacerdotis in Villa quoad varia ad Sacrificium attinentia.

425 IN hac ſubſectione miſcellaneos reſolvemus caſus villaticos circa Sacrificium, quos ad titulos peculiares reducere ap-

tum non exiſtimavimus, dum, ut plurimùm pro una, vel altera queſtione tot tituli inſtitui debebant, quod eſſet incongruum; proinde hac ſubſectione eos comprehendi commodiùs putavimus: illorum autem caſuum ſit

426 Quæſtio I. Sacerdote in villa celebrāte Aper ferox, &c. Eccleſiam intrat; quid tunc Sacerdos faciet? Reſp. Casum ſimilem accidiſſe Matriti circa annum 1618. in agitationibus taurorum teſtatur ingeniorũ noſtri temporis Phœnix Caramuel *in Theol. præterint. n.* 2680. (qui aliter citatur à Mendo, & Gobat, ſed in mea editione, quæ eſt Lugdunenſis anni 1664. ita habetur) & refert ex tauris iam in arenam deſcenſis, & hinc inde Matritum diſcurrentibus ob confracta repagula, alterum Eccleſiam Sanctæ Crucis intrasse, & ex duobus Sacerdotibus interim celebrantibus, unum fugam arripuisse, ſed fruſtra; quia graviter vulneratus feræ cornua non effugit: alterum verò incolumen evaſisse,

ſiſſe, ſacrum proſequendo. Sentit idem Doctor *n.* 2681. licitè fugiſſe Sacerdotem, nec debuiſſe fortunę, aut miraculo vitam committere. *numero* verò 2682. licitè etiam Sacerdotem ſacrum proſequutũ fuiſſe, ſiue id fecit ne eſſet populi ſcādalo, vel nè Sacramento iniuriam irrogaret, ſive etiam quia id elegit æquè putans malum fugere, vel proſequi conſilio deſtitutus, quo caſu utraque parte contradictionis æquè peccaminoſa reputata, liberum eſt quamlibet eligere. Meritò dicto ſenſui ſe ſubſcripſit Gobat *in Theol. exper. tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 3. *n.*807. & Mendo *in appen. ad epit. tit. de Sacrif. miſſæ n.* 6. ex quibus colliges reſolutionem propoſitæ difficultatis.

427 Equidem non reputanda impertinens ex dicta cauſa ſacri intermiſſio; dum legimus apud eũdem Caramuelem *n.* 2683. Sacerdotem in eadem villa celebrantem à ſicario pugione invaſum, ſacrum intermiſiſſe, ſicarium æneo candelabro interemiſſe, & ad altare re-

Sac. in Villa. P 3 diens

diens ſacrificium abſoluiſſe; quod ipſi licuiſſe ex Pêtro Binsfeldio, & alijs non dubitat, dum Sacerdos, quamvis celebrans Juri naturali defenſionem ſuadenti etiam cum occiſione alterius (ſervato moderamine inculpatæ tutelæ) non renunciat.

428 Quæſtio II. Sacerdos in villa unicus, & hic ſuprà altare, quid faciet, ſi moneatur, quod fidelis in extremis conſtitutus confeſſionem petierit? Reſp. Ad hunc caſum, qui faciliter evenire poteſt in villis, ait Diana *par.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 70. reſpondetur, quod tùm ſi conſecrationem peregerit, tùm non, debet ſacrum interrumpere, & ab altari diſcedere ad audiendam morientis confeſſionem. Ita communis cum Leandro *de Sacrif. miſſæ diſp.* 6. *quæſt.* 14. Mendo *in epit. v. miſſa. num.* 22. Diana *cit.* & Henriquez *lib.* 9. *ſummæ cap.* 30. *num.* 4. vbi permittit interruptionem, etiam ob ſupervenientē gravem ventris neceſſitatem. In caſu autem interruptionis advertit To-

nel-

nell. *in ſacro Enchir. lib.*1. *cap.*1. §. 12. *ſect.*2. *num.*1. verſu *ad conferẽdum*. quod Sacerdos hoſtiam cooperiat cum patena, & Sacramenti cuſtodiam alicui committat.

429 Hæc tamen eſt conſtituenda differentia inter utrumque caſum: nam ſi id evenerit ante conſecrationem, perfectam debet audire confessionem: ſi verò poſt, & confessio protrahatur ultra mediã horam; tunc debet Sacerdos moribundum abſolvere, quin perficiatur confessio, eo tamen monito, ut finita missa ipſum vocet ad integrandam confessionem, si vires, & ſensus ſuppetant. Mendo *cit.* ex Diana, & Zambrano: quod ſi non vocetur: poterit idem Sacerdos infirmum petere animo cognoſcendi infirmitatis ſtatum, & perfectionem confessionis procurare. Zambranus *de caſ. occur. tempore mortis cap.*4.*dub.*6. *num.*5.

430 Rogabis. Quæ ſervare tunc debeat Sacerdos in ordine ad reſumendum ſacrificium. Reſponſ. Si ſacrum fuerat interruptum poſt

conſecrationem illud reſumet, unde deſierat. Si verò ante: vel illud reſumat, unde desijt, ſi parva mora, ſcilicet minus ſpatium unius horæ, intercessit: vel ſi ſpatium, quod intercessit, superavit horam; & tunc aut à principio repetat, aut illud omittat. Tambur. *de Sacrif. miſſ. lib.2. cap.7. §. 7. num. 6.* quem nouissimè ſequitur Gobat *in Theol. exper. tom.1. par.1. tr.3. n.809.*

431 An autem Sacerdos debeat exuere veſtes ſacras, Sacerdotis arbitrio id committo, qui attendens ad circumſtantias caſus, præſertim ad mortis periculum, & ad diſtantiam ægri, illas vel exuet, vel non, ſecundùm id, quod magis expedire tunc charitatis leges dictabunt.

432 Quæſtio III. An Sacerdos prædictus poſsit etiam ſacrum interrumpere causâ miniſtrãdi viaticum? Reſp. Negat Tamburinus *cit. n. 2.* cui ſubſcribitur Gobatus *dicto num.* 808. ſi oblatio ſit facta, aut canon inceptus (niſi infirmus morbo corripiatur in eadem Eccleſia, quo caſu permittenda Sa-

cer-

cerdoti diverſio ab altari, ut porrecto ſacro viatico, ſtatim ad altare redeat.) Si verò id eveniat ante oblationem, poſse miniſtrari non putat improbabile.

433 Dixi causâ miniſtrandi Viaticum: vt pateat quod quando infirmus eget Euchariſtiâ non uti viatico, ſed causâ recipiendi primam gratiam, ob incapacitatem recipiendi Sacramẽtum Pœnitentiæ; tunc poterit etiam poſt conſecrationem ſacrum interrumpi ex permissione Tamburini à citato Gobato laudati: & rectè id fieri poteſt, ſtante opinione communiori. mihique iucundâ, quod Sacramentum Euchariſtiæ per accidens poteſt causare primam gratiam, quã ex meis doctissimis conciuibus tuentur Diana *par.* 3. *tr.*6. *reſol.*98. Gesualdus *in Theol. mor. par.*1. *tr.* 13. *cap.*1. *num.*13. & noviſsimè Nicolaus à S. Ioa. Baptiſta *in epit. tr.*2. *ex par.*3. *fol.*454. §. *Sacramentum*; vbi loquitur de cæteris Sacramentis, quæ vivorum appellantur, ſcilicet Confirmatione, Or-

dine, Extrema Unctione, & Matrimonio.

434 Quæſtio IV. An pro miniſtranda Extrema Unctione possit sacrum interrumpi? Respondetur eodem modo, ac de Sacramento Euchariſtiæ; utrumque enim Sacramentum eſt vivorum, & per accidens poteſt primam gratiam conferre. Unum dumtaxat addiderim, quod ex Zambrano ſibi mutuarunt Tamburinus, & Gobat *cit.* quod quando Sacerdos celebrans de indigentia ægri monetur, ſi commodè poterit, debet ab altari discedere, secum deferendo tùm hoſtiam consecratam, tùm oleum sanctum, ut infirmum, vel omnibus muniat Sacramentis, vel aliquibus, quorum capax eſt.

435 Queſtio V. Poteſt nè etiam idem Sacerdos causâ miniſtrandi Baptismum infanti animam agenti sacrum interrumpere? Respon. Supponitur neminem inveniri, qui miniſtrare ſciat; & eo casu affirmativè reſpondeo etiam facta cõſecratione cũ Gobat *in exper. Theo. tom.*

*tom.*1.*par.*1.*tr.*2.*num.*250. quamvis Bonacina *de Sacr.diſp.*4. *q.vlt. pun.*10.*n.*25.id concedat, quando interruptio eſſet modica; notatq; Gobat *cit.*omnes veſtes eſſe deponendas, quando infans eſt remotus, ſolam verò caſulam quando eſt vicinus: quod ſi adeſſet etiam laicus miniſtrare valens, hic miniſtrare debebit; ſic enim conſulitur, & integritati ſine interruptione ſacrificij, & ſaluti infantuli.

436 Quæſtio VI. Sacerdos in villa an peccet, ſi in celebratione omittit *Credo*, aut *Gloria in excelſis*, ut citius à ſacro expeditus pergere poſſit ad honeſtas applicationes, putà ad venandum, fructus oblectamenti causâ, vel ex neceſſitate colligendos, &c.? Reſpon. Prædictorum omiſſionem eſſe lethalem culpam, docuit Coronius *lib.*2.*contr.*5.*num.*96. cuius opinionem, utpotè auctoritate, & ratione deſtitutam, rigoroſam cenſuit Gobat *in Theol. exper. tom.* 1. *par.*1.*tr.*3.*num.*763. ſanè eam omiſſionem veniale non excedere,

fert communis opinio cum Gobat *cit.* Leandro *de ſacrif. miſſ. diſp.* 7. *q.* 58. Tamburino *de ſacrif. lib.* 2. *cap.* 5. §. 2. *n.* 5. & alijs: imo Quartus cum & apud Paſqualigum *de ſacrif. tom.* 1. *q.* 200. *num.* 9, affirmat ad veniale tantùm aſcendere ſimul omittere *Gloria*, *Credo*, & *Sequentia*, quod mihi videtur nimis licentioſũ; præſertim quia Bordono aſſerenti eſſe tãtùm veniale omittere Sequentiam Defunctorum die 2. Novembris, die obitus, & anniverſarij, non adhæſit Diana *par.* 9. *tr.* 8. *reſol.* 53. *in fine*, dicens etiam alios valdè dubitare. Fateor ſpecialem additionem sequentię dici commemorationis omniũ Defunctorum gravitatem prçcepti ſufficienter mihi ſuadere, non ſic cæteris diebus, pro quibus particularis cauſa urget. Sed quicquid ſit de hoc, redeamus ad quæſtionem pro qua

437 Dico quod cum prædictorum omiſſionem ex iuſta causâ factam nullam culpam cõtinere doceat Suarez apud eumdem Leandrum;

drum; penſanda ideò erit qualitas neceſſitatis, quæ ſi prudenti viro ſufficiens videbitur, omiſſio nulla culpâ inquinanda erit, prout ſufficiens reputabitur, quæ ex aſſiſtentiâ requiſitâ ne è meſſorum malitiâ Sacerdos frugum iacturam patiatur: nullo tamen pacto lic.-tam cenſerem omiſſionem factam venandi causâ, vel alterius recreationis, quamvis honeſtæ, dummodo non neceſſariæ.

438 Quæſtio VII. Ad Eccleſiã villæ accurrit multitudo populi, quam illa non capit, vel Eccleſia eſt diruta; an poſſit Sacerdos altare extra Eccleſiam erigere, & celebrare, nè ſacro careat populus? Respon. Affirmat Serra *in 3. par. D.* Tho. *q.* 83. *artic.* 3. §. *quæ autem neceſſitas*, his verbis, *cum populus multus ad eremitorium in campis cõfluit, non eſt peccatum altare in campo decenter extruere, vt omnes ſacrum videant.* Affirmat item Leander *de ſacrif. diſp.* 6. *q.* 16. ubi idem concedit peregrinantibus, quando diù missa carere coguntur, quem

ſe-

ſequitur Delgadillus *de Eucba. cap.* 16. *num.* 40. (intellige dummodo in utroque caſu celebretur ſuper aram, ut advertit Leander *cit.* & audiendi ſacrum obligatio urgeat, ut tangit,& rectè, Anton. Ragucius *de miſſa in Eccleſ. quæſt.* 57. *num.* 3.) legatur etiam Beia *in reſponſis mor. par.* 4. *caſu* 33. *in fine*. Sed Zachar. Paſqualigus *de ſacrif. miſſæ q.* 379. *n.* 7. illorum ſententiæ adverſatur dicens, potiùs tunc, quando Eccleſia eſt anguſta, ut non capiat totum concurſum, eſſe à Sacerdote bis celebrandum, quam ſemel extra illam: ſed celebris iſte Doctor ſibi cõtrarius oppoſitum docuit *quæſt.* 466. Tria tamen hìc adverto.

439 *Primum*, quod quando extra Eccleſiam altare ad celebrandũ erigitur, convenit, ut circa valuas Eccleſiæ, ſi commodè poterit, erigatur. Ita Paſqualig. *dicta qu.* 466. *num.* 5. dicens: nam hoc pacto extrahitur celebratio quanto minus fieri poteſt ab Eccleſia; imò ſecundum quamdam moralem exiſtimatio-

tio-

tionem cenſetur celebrari in Eccleſia, cum altare ſit ipſi annexum. hæc ille.

440 *Secundum*, quod eodem caſu poterit abſque Epiſcopi licentia (expreſſa) extra Eccleſiam celebrari, niſi prævideatur, ut advertit Serra *cit.* Reginald. *in praxi lib.29.n.*177. (vbi in mea editione, quæ eſt Colonienſis, eſt delendum *non* ex errore typographi appoſitum) & niſi commoditas recurſum ad Epiſcopum ferat. Reginal. *cit.* quibus in caſibus licentia omninò præmittenda.

Addidi in parentheſi, *expreſſa*, quia id ſaltem ſine licentia tacita, & præſumpta fieri non poteſt ex Meraviglia *de prudentia Epiſc. lege* 342. ubi dicit, quod licèt ſit verû, quod poſſit aliquando ex evidenti cauſa extra Eccleſiam celebrari; evidentia tamen neceſſitatis ab Epiſcopo, vel eius Vicario cognoſci debet, an ſit ſufficiens; qui ſi adiri nequeant, tacitè evidentiam approbare ſupponuntur.

441 Ex quo arguitur poſſe Epi-

Epiſcopum licentiam celebrandi extra Eccleſiam neceſſitate urgēte, et rationabili cauſa expoſcente, aliquando concedere, ut per Maravigliam *cit. lege* 341. quæ neceſſitas ſemper ſtrictè diſcutienda eſt ex eodem *lege* 342. Quænam autē dicatur rationabilis cauſa?iam patet id ab arbitrio Epiſcopi pendere,quod attentis circūſtantijs prudenter regulabit. Certè Illuſtriſſimus Dominus meus Archiepiſcopus rationabilem cauſam urgere putauit in quadam facti contingentia, in qua coniuges genere nobiles neglexerant benedictiones nuptiales,quod præiudicium viro, & filijs inferri poterat in 14000. ſcutis, quę jure legati ad fœminas nuptas, & deſponſatas illius familiæ ſolvi ſolent:unde licentiam celebrandi concessit in domo, ubi iacebat infirma, ad effectum conſequendi requiſitam nuptiarum benedictionem.

442 *Tertium*,quod ſi multitudo ad Eccleſiam conveniat, ut præcepto audiendi ſacrum ſatisfaciat, quam-

quamvis tota nō recipiatur ab Eccleſia, ſi tamen partim intrà, partim extrà ſiſtat, taliter quod faciat unum, licèt extra exiſtentes Sacerdotem celebrantem non omnes videant, ſatisfaciunt præcepto, ut dicam infra *cap.9.q.4.*& in hoc caſu non poteſt extra eccleſiam celebrari; cessat enim causa motiva. Senſus ergo quæſtionis eſt, quando ſitus Eccleſiæ hunc conveniendi modum non permittit.

443 Obijcies. Nulla adeſt necessitas cohoneſtans celebrationē extra Eccleſiam, cum ſtante loci incapacitate cesset præceptum de audienda missa, quo ad eos, quos nō capit Eccleſia. Ergo nullo modo poteſt extra locum celebrari. Reſpondeo. Quod licèt tunc cesset præceptum, non tamen cessat moralis necessitas celebrandi fundata in exigentia devotionis fidelium, quæ non debet defraudari, eamque tenentur Epiſcopi vividam ſervare, & pereuntem excitare. Meraviglia *dicta lege* 342. *in fine*. ob id peregrinātibus facultas extra Ecde-

cleſiam celebrandi concedunt Doctores. Et ſimili reſponſione ſolvi poſſunt argumenta, quæ fieri ſolẽt contra concluſiones, in quibus dictum eſt concedi aliquando bina celebratio, vel cum defectu alicuius ſacri indumenti &c.

444 Quæſtio VIII. Villæ ſolent ventis agitari, præſertim quę apertis in campis ſiſtunt, ſi ergo ventus conſecratam hoſtiam de altari auferat, quid faciet celebrans? Reſpond. Diligentiſsimè perquirere debet illam, quam ſi inveniet, reverenter, & cautè illam collocabit in altari, & procedet in Miſſa. Si verò nil inveniet; accipiet novam hoſtiam, & incipiendo à canone (ſcilicet à *Qui pridie*) iuxta Rubricam *de defect. panis nu.* 7. illam conſecrabit, procedendo, vt moris eſt. Sic Corradus *in reſp. caſ. conſc. par. 2. quæſt.* 367. Idem dic, quando ventus calicem proſternẽs ſanguinem effuderit, incipiendo à *Simili modo, &c.*

445 Quæſtio IX. Si ventus hoſtiam auferat ſimul & ſangui-

nem

nem fundat, an debeat aliam hoſtiam, cum alio vino conſecrare? Reſp. Minime. Nullum enim urget præceptum: imo ſuſtineo, quod neq; poſſet; quia id eſset iterum ſacrificare, Limita tamen quando urgeret neceſſitas, vi cujus liceret bis celebrare.

446 Quæſtio X. Poteſt ne Epiſcopus dare licentiam erigendi oratorium pro celebrandis Miſſis in cortili alicujus villæ, & ſic extra domum, in qua eſt habitatio? Reſp. Affirmat Bardi *in ſelec. lib.* 10. *quæſ.* 10. *n.* 52. quem ſequitur Londres *in Theatro humanæ conſc. par.* 1. *tom.* 1. *quæſt. vnica* (appoſita in calce) *n.* 7. Ratio eſt: quia nullibi id prohibetur: nam Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſeruandis, & evitandis in celebratione Miſsæ*, & Sacra Cōgregatio Conc. iuſsu Pauli V. cujus decretum *anni* 1615. 10. *Martij* per extenſum refert Naldus *in ſumma v. miſſa n.* 31. prohibuerunt tantùm, ne ſacrificium offeratur in oratorijs, quæ ſunt intra domeſticos parietes, ubi habitant ſeculares:

res: cujuſmodi non eſt oratorium, de quo eſt quæſtio. Imo Londres *cit.* requiſitus reſpondit, potuiſse Archiepiſcopum Panormitanum, dare licentiam pro oratorio cujuſdam villæ, quod erat ſtructum in cortili circumdato ab alio cortili, cujus tamen ingreſſus omnibus patebat; iuxta cuius Doctoris mentem fuit licentia conceſsa.

447 Quæſtio XI. Oratorium prædictum eritnè dicendum publicum, an priuatum? Reſp. Publicum: quoniam demùm per Urbanum VIII. facultas concedendi oratoria privata, fuit Epiſcopis etiam ut Apoſtolicæ Sedis Delegatis adempta, Sanctæq; Sedi reſervata, ut tandem ſentit Diana *par.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 42. *in fine*: cum igitur ſupradicti oratorij conceſſio ſubſit diſpoſitioni Epiſcopali, illud publicum non privatum cenſendum erit.

448 Unde rectè inferes Oratorium prædictum Immunitate gaudere, ad quam ſufficit, & requiritur quod ſit auctoritate, & licen-

centiâ Epiſcopi erectum. Pignatellus *tomo* 1. *conſult*.93.*n*.13. quicquid ſit de Jure antiquo, quo vigente licentia Summi Pontificis exigebatur. Legatur *cit.* Pignat. *ibidem.*

449 Quæſtio XII. Quæ requiſita habere debet oratorium villaticum, ut ab Epiſcopo concedi poſſit facultas in eo celebrandi? Reſp. Debet eſſe ab habitatione ità ſejunctum, ut non pateat per eam ad illud ingreſſus, ſed per viã publicam, unde ingreſſus omnibus pateat. Diana *par*. 9. *tr*.1.*reſol*. 21. Naldus *dicto n*.31. non videtur autem requiri, quod januaʃ oratorii immediate viæ publicę correſpondeat, ſed ſufficit, quod mediate. Hinc ſi prius ſit ingrediendum, Cortile, aut atrium, non officit quìn oratorium dicatur publicum. Pignatell. *tom*.1.*conſult*.93. *a n*. 26.

450 Scio plura oratoria publica villatica immediatam correſpondentiam cum via publica non habere, præter illud, cujus Londres *citatus* meminit. Et quidem id ar-

arbitrio Ordinarii viſitantis relinquendum eſt, ut placuit Naldo *cit.* & ex eo Dianæ *dicto loco.*

451 Et hinc fit, quod eo ipſo, quod oratorium ſit ab Epiſcopo approbatū tamquam publicum, ut reis aſylum eſse poſsit, nil aliud præter viſitationem, & approbationem examinandum erit, ſed tutè confugæ immunitate gaudere debent, ad quam per prædicta dumtaxat fundatā habent intentionem. Pignatel. *cit.n.*13. & 14.

452 Scio etiam Gabrielem a S. Vincentio *in ſumma mor. v. oratorium n.*1.& *alios* requirere, ut oratorium dicatur publicum, etiam campanam ad convocandum volentes miſsam audire. Sed meritò contrarium docuit Pignatellus *dicta conſult.*93.*n.* 24. *in corp.* contrà Trullench, & Barboſam: Campana enim, quamvis ſit ſignum publici oratorii, nō eſt tamen forma, per quam illud conſtituitur publicum.

453 Sed contrà prædicta urgere videtur textus *in cap. Placuit de cō-*

ſe-

ſecrat. diſt. 1. ubi in villis altarium erectio interdicitur: quomodo ergo non ſolùm permittuntur, verùm etiam immunitate frui ſubſtinetur? En Canonis verba: *Placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros, & per villas tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum Corpus, aut reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt evertantur.*

At reſpondetur ex Pignatello *dicta conſult.*93.*n.*34. in dicto Canone prohiberi altaria in Villis, & agris in Martyrum memoriam, ſi inanes, & fictæ revelationes erectioni cauſam dederint, alitèr verò ſecùs. Unde erecta oratoria publica ad normam Juris, tantùm abeſt quod everti debeant, quod potiùs pro neceſſitate villaticorum eſsent erigenda; ritèq; erectis, & Jus refugii, & eccleſiarum privilegia, competere non eſt verendum, quibus ſane omninò potiventur ſive ſint cum licentia expreſsa, vel tacita erecta, ſive habeant campa-

nam

nam nec nè: ſiue habeant dotem aut non: tam ſi in eis celebrentur, vel non celebrentur divina: tam ſi ſint conſecrata, quam benedicta: de quibus, & aliis requiſitis vide omninò Pignatellum *dicto tom. 1. conſult.93.per tot.* ubi latè, & ſcitè de ſingulis requiſitis diſcurrit.

454 Quæſtio XIII. Oratorium prædictum ſi ultrà publicum ingreſſum habeat ſecretum, ſeu privatum, cenſendum nè publicum? Reſp. Diſtinguitur ex Paſq.*q.*449. *n.*2.*&*3.nam vel ingreſſus privatus immediatè ex aliquo cubiculo domus patet; & tunc cenſendum privatum, ac proinde in eo celebrari non poteſt: ſi verò pateat ex aliquo cortili privatæ domus, cui porta oratorii correſpondet, cenſendum publicum, & conſequenter aptum, ut in eo celebretur. Prędicta autem aptitudo, vel ineptitudo ex eo provenit, quia in primo caſu non cenſetur approbatum, benè tamen in ſecundo.

455 At Pignatellus *dicta Conſult.*93.*n.*27. aſſerit abſolutè, quod ora-

oratorium annexum domui privatæ per quam patet ingreſſus in ipſum, ita tamen ut habeat alterum ingreſſum publicum correſpondentem publicæ viæ, cenſeri debet cultui Divino dicatum, ac poteſt in ipſo permitti Miſſæ celebratio, & gaudet immunitate, non obſtante, quod etiam habeat ingreſſum privatum; ingreſſus enim hujuſmodi remanente publico non tollit formam Oratorii publici.

456 Quæſtio XIV. In publico oratorio villæ celebrari ne poteſt januis clauſis, ita ut accedant tantùm Domini, & quos ipſi voluerint? Reſp. Affirmavit abſolutè Paſqualigus *deciſ. mor.* 173. ſed ipſemet rectè *tom.* 1. *de ſacrif. miſ. q.* 450. id concedit dumtaxat pro aliqua vice ſtante cauſa rationabili, dicens ita accipiendam doctrinam ab eo traditam in deciſionibus, cujus meminimus. Sic etiam docet Pignat. *d. conſult.* 93. *nu.* 31. Monendi tamen tunc erunt, qui ibi ſolent convenire ad

audiendum ſacrum, ut ad alibi prçcepto ſatisfaciendum ſe diſponant. Non eſt autem concedendum, quod continuò ſecretò celebretur: quia tunc Oratorium publicum verteretur in privatum: eſſet enim publicum deſtinatione, uſu tamen privatum, niſi rationabilis cauſa continuò urgeret: Rationabilis cauſa erit timor inimicorum, aut peſtilentiæ infectionis tempore, vel alia arbitrio prudentis.

457 Notandum hìc eſt prædictum dominum illegitimè januis clauſis celebrantem, aut celebrare facientem, violare Jus, quod penes unumquemque ad interveniendum ſacrificio reſidet: imo etiam mortiferè peccare, ſi hujuſmodi intentione tale oratorium erigeret. Idem Paſqualigus *n.* 1. & 5.

458 Quæſtio XV. Oratorium publicum villaticum, de quo ſupra, ſubeſt nè Epiſcopali viſitatio-ni? & an gaudeat immunitate Eccleſiarum? Reſpondetur affirmativè,

tivè, ut certum quo ad utramque partem; nec in hoc poteſt eſse dubium. Primum docet Paſq. *q.* 449. *n.* 6. Secundum, præterquam quod patet ex dictis, docetur à Gabriele à S. Vincentio *in ſum. mor. v. oratorium n.*4. ubi addit, non poſse Epiſcopum aliquid circa hoc in oppoſitum ſtatuere, qui etiam *in conſiliis variis reſponſ.* 128. *n.* 5. arguit, & meritò, quemdam Epiſcopū declarantem quoddam oratorium ſua auctoritate conſtructum non gaudere immunitate.

459 Scio Marcellum Vulpe *in praxi fori Eccl. cap.* 2. *n.* 18. docuiſse, quod ſi in Eccleſia non ſint cępta celebrari divina officia, illam non gaudere immunitate, & ad eam confugientes poſse extrahi, citando inter alios Italiam *de Imm. lib.* 1. *cap.* 4. §. 3. *nu.* 14. Sed pace tanti Viri contrarium eſt ſuſtinendum cum Italia ab eodem malè citato, qui *n.* 15. docuit ad immunitatem ſufficere, quod locus ſit deſtinatus ad ædificationem Eccleſiæ, & ibi

fuerit impoſitus ab Epiſcopo primus lapis: nam ſi Eccleſia nondum perfectè conſtructa gaudet immunitate, (quod eſt extra controverſiam, & docuit Pignatellus *cit.tomo* 1.*conſult.* 93. *n.* 21. dicens eſse communem Sanfelici *deciſ.*18. *lib.*1. ubi ita deciſum refert, & ibi in addit. doctus modernus Muccius *n.*1. Marinus *tom.*1.*reſol.*179. *n.*5.*&* 6. Palaus *tr.*11.*diſp.vn.pun.* 6.*nu.*4. Quia jacto primo lapide Epiſcopali interpoſitâ auctoritate, remanet locus perpetuò dicatus divino cultui; Doctores *citati*) cur ergo ſint expectanda divina officia ad effectum immunitatis?

460 Quod ſi dubitetur, nùm ſit erectum auctoritate Epiſcopi? & inde nùm ſubſit viſitationi, & gaudeat immunitate? Dico, cenſeri ab Epiſcopo approbatum, ſi ſuper tectum habeat campanam, quæ publicè pulſatur, publicèque celebretur, & nemo excludi ſoleat à divinis officijs; vel ſi per decennium fuerit publicè celebratum ex Tancredo *de matr. tom.*2. *lib.*9. *diſp.*

*diſp.*15.*n.*16.§. *Si vero ſit dubium*, ubi ait non præſumi auctoritatem Epiſcopi, per hoc quod Eccleſia nomine alicujusSancti appelletur, aut in ea ſit campana.

461 Et hic nota, quod ad probandam licentiam, aut auctoritatem Epiſcopi impenſam pro erigendo oratorio, aut Eccleſia; non requiritur plena, & concludens probatio; ſed ſufficit aliqualis, etiam minor ſemiplenâ, dummodo in ſuo genere ſit certa: hujuſmodi enim probatio ſufficit ad probandam benedictionem, & conſecrationem Eccleſiæ. Ita Pignatellus *tom.* 1.*conſult.*91.*n.*15.

462 Quæſtio XVI. Qui habet privilegium erigendi Oratorium in privata domo pro celebratione Miſsæ, an poſſit unum in civitate, & alterũ in villa erigere, ut in ea degens Miſſam audiat? Reſp. Negat Diana *par.*9. *tr.* 1. *reſol.*22. & meritò: quia id eſſet contra mẽtem concedentis; ſummus namque Pontifex per unum breve non intendit concedere uſum duorum,

oratoriorum: quod ex eo conſtare poteſt, nam cum quædam Marchioniſsa ſupplicasset, ut ſibi unico brevi cōcederetur erectio plurium oratoriorum in ſuis domibus, quos in pluribus caſtris ſui dominij habebat, Pontifex petitioni abnuit; propterea tot brevia fuerunt expedita, quot erant oratoria; & quamvis Paſqualigus *in queſ. mor. q.* 84. id affirmaverit, ita tamen ut non liceat ſimul ambobus uti, ſed ſucceſſivè, quod & repetit *tom.* 1. *de ſacrif. q.* 630. *n.* 3. illum tamen rejecerunt & meritò Bardi *in ſel. lib.* 10. *q.* 10. *nu.* 46. & Diana *par.* 11. *tr.* 5. *reſol.* 34. dicens; ſic ſibi reſpondisse Secretarium Brevium fel. record. Innocentii X. cui multùm deferendum. Concedenda nihilominus eſt alterius erectio in villa, deſtructo eo civitatis. Adverto tamen non esse prętermittendam in qualibet erectione Ordinarii approbationem.

463 Quæſtio XVII. Translato domicilio in villa alterius diœceſis è civitate, pro qua erat conceſ-

ceſſum oratorium, an poſſit in villa illud erigi? Reſp. Pro negativa ſententia Bardi *loco cit. n.* 36. affert Merollam *tom.*3. *diſ.*6.*cap.*8. *dub.*22.oppoſitam ſententiam improbabilem appellantem.Sed ipse Bardi *n.*39. *&* 40. putat, attento ſtylo Curiæ Romanæ, & conſuetudine, non posse id fieri: attentis verò verbis, & clauſulis apponi ſolitis in conceſſionibus, probabile putat fieri posse. Sed affirmativa ſententia abſolutè eſt tenenda cum Diana *par.*4.*tract.*4. *reſol.* 208. Tamburino *de ſacrif. miſ. lib.* 1.*cap.*4.§.4. *nu.*2. Gobat *in Theol. exper. tom.*1. *par.*1. *tr.*5. *n.*361. debet tamen nova oratorii erectio approbatione, & viſitatione Epiſcopi fulciri.

464 Non obſtant ſtylus, & conſuetudo ſupra allegata; quia non ſolidè evincuntur per hoc, quod magnates recedentes à ſolitis habitationibus aliud expoſtulent privilegium, & Romana Curia facultatem concedat: quia ad tollendos ſcrupulos alia brevia

peti potuerunt,id quod ſtylum, & conſuetudinem fundare non valet.

465 Nec item obſtat, quod privilegium concipiatur his verbis *Tibi Panormitanæ diœceſis*, &c. propter quæ videtur, non eſse extendendum extra diœceſim, pro qua eſt largitum; verba enim illa non reſtrictivè,& taxativè,ſed demonſtrativè tantùm ſunt appoſita, & in hunc ſenſum reſolvenda: *Tibi, qui nunc es Diœceſis Panormitanæ.* Ita Tambur. *loco cit.*

466 Rogabis. A quo ergo Ordinario oratorium translatum in villa alterius ditionis approbari debeat? Reſp. Ab Ordinario loci, cujus eſt ſemper privata oratoria approbare; & ita in terminis Bullæ Cruciatæ docet Mendo *in ſtatera diſſert.*14. *q.*11. quicquid dicat Henao *par.* 2. *de ſacrif. miſ. diſp.*23.*ſect.*11.*n.* 147.aſſerens:ſufficere approbationem cujuſcumq; ordinarii, quem ipse Mendo citat, & meritò reiicit.

467 Quæſtio XVIII. Negatiua

tiua sententia, de qua *quæſt.* 16. an etiam procedat contra Epiſcopos; quod ſcilicet neque ipſi poſſint unum in ciuitate, & alterum in villa erigere? Respondeo Minimè. Ita Diana *par.9. tr. 1. reſol. 22. in princ. & in fine*, & *reſol.* 38. & hanc concluſionem intellige procedere non ſolùm in erectione oratorii ſtabilis, deſtinati ſcilicet habitualiter ad celebrandum; verùm etiá in erectione altaris portatilis: Primum enim conſtat ex *cap. Miſſarum*, & *cap. Is ergo de conſecr. diſt.* 1. Secundum verò ex *cap. fin.de priuil.in* 6. quæ non sunt per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſeruandis, & vitandis in celebr. miſſæ* reuocata.

468 Rogabis. Audientes miſſam in oratorio Epiſcopi an ſatiſfaciant præcepto? Reſpondetur affirmatiuè; ſiue ipſemet celebret, ſiue coram ſe celebrare faciat, ſiue in ſua Diœceſi, ſiue in aliena. Ita Sacra Cõgregatio apud Cardinalem Brancatium *in quadam diſſer-*

tatione in fine, §. *hinc in Sacra Congregatione*, vbi idem firmat de audientibus miſſam in capellis Cardinalium; quam diſſertationem refert Diana per extenſum *par.6. tr.8. reſol.4.*

469 Quæſtio XIX. Epiſcopi an poſſint in villa celebrare in altari portatili, ubi itineris causâ peregrini inueniuntur? *Respondeo* affirmativè cũ Gabriele à S. Vincentio *in ſum. mor.* verbo *Altare, n.6.* vbi putat, id ipſum à fortiori dicendum esse de Cardinalibus, & tenere debet Diana *par.9.tr.1. reſol.48.* §. *dices*. Non eſt tamen id concedendum Prælatis Jura epiſcopalia habentibus, vt Archimandritæ Meſſanenſi, Abbati S. Luciæ (ambo in Sicilia) Abbati Guaſtellæ, Archipresbytero Carpi, & ſimilibus, contra quos nervosè ſuſtinet, non posse in eorum domibus habere oratoria, ergo multò minus iiſdem peregrinantibus erit concedendum.

470 Non deſunt, qui dicunt, Priuilegium, quo fruuntur Epi-

ſcopi itinerantes, celebrandi ſcilicet in altari portatili, vel celebrari facere coram ſe ex *cap. fin. de priuileg. in 6.* deſumptum, fuiſſe per Concilium Trident. revocatum: id tamen negant Pignatellus *tom. 3. conſult. 39. n. 4.* (vbi meminit cuiuſdam decreti S.C.C. ſtatuentis, dictum privilegium Epiſcopis conceſſum, neque per decretum Tridentini, neque per alia decreta Sacræ Congregationis ſpectantia ad Oratoria priuata ſublatum fuiſſe) & Petrus Corſettus *in ſynopſi errorum vitandorum ab Epiſcopis num.* 94. communium, dicens: ſtante rationabili cauſa posse Epiſcopos illo vti; vbi ſubdit, rationabilē cauſam quotidie urgere ſtante quotidiana obligatione, qua aſtringuntur Epiſcopi, celebrandi, vel audiendi miſſam: quæ obligatio ex dicto *cap. fin. & ibi gloſſa verſu caſus* nobis innoteſcit; quāvis Gobat *in exper. Theol. tom.* 1. *par.* 1. *tr.* 5. *num.* 125. Paſqual. *de ſacrif. miſſ. tom.* 2. *q.* 1249. *num.* 8. & alii cenſeant in dicto *cap. finali*,

nullum contineri præceptum, ſed conſilium.

471 Rogabis 1. Locus vbi altare erigitur pro Epiſcopo, qualis eſſe debet? Reſponſio. Decens, & honeſtus, nec requiritur, quod ſit cultui diuino dicatus: unde poterit Epiſcopus in illo altare erigere, & removere; & rurſus reponere, ſi opus erit. Paſqual. *cit. q.* 1217. *num.*3. & 4. Et hinc fit, quod poteſt Epiſcopus altare erigere primo mane ante diſceſſum in cubiculo Tabernæ, in qua hoſpitatur, honeſtis tamen uſibus deſtinato, maximè quando putat, ſe durante tempore apto ad celebrandum ad aptiorem locum non peruenturum. Idem *q.*1221. *n.*3. ubi ſubdit parum referre, quod cubiculum ſit pars domus Tabernarij, dummodò tamen decentiam retineat. Poteſt item, dum in villa moratur apud amicum recreationis gratiâ, altare erigere, ut ipſemet celebret, vel alter coram ſe, & ad libitum removere. Idem *q.*1217. *n.*4. Poteſt rurſus erigere

ſub

ſub dio, dum iter habet ex *cap. Concedimus de conſecr.diſt.* 1. quod intellige cum Paſq. *cit.num.* 5.procedere, quando nullum imminet periculum.

472 Rogabis 2. An Epiſcopi, ut poſſint altare portatile erigere, requiratur, pręter obligationem quotidie ſaltem audiendi ſacrum, de qua diximus *q.*15.§. *non deſunt,* aliqua iuſta cauſa? Reſp. Negat Paſqual.*q.*1222.*n.*3. dicens, poſſe ob ſolam commoditatem illo uti. Sic etiam Diana *par.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 36. §.*ſed his non obſtantibus*, & communior. Sed affirmat Corſettus *cit.* cohærentius ſanè ad tenorem dicti *cap. fin. de priuileg. in* 6. iuxta quam opinionem iuſta cauſa tunc aderit, quando Epiſcopi ad Eccleſiam accedere minimè valeant. Sed quia Diana *cit.* & ex eo Pellizzarius teſtantur conſuetudinem dictum *cap. finale* interpretasse iuxta opinionem negatiuam, id Epiſcopis non negarem. Ultra quod, fertur, Sacram Congregationem apud Barboſam ita decla-

rasse

raſse,ut videre eſt penès Verricellum *de Apoſt.miſſ. q.*135.*n.*13.

473 Quæſtio XX. An Epiſcopi indigeant licentiâ Ordinarij loci ut celebrent in altari portatili, ſi villa ſit in aliena Diœceſi? Reſpõſio. Fuit Beiæ opinio, quod non poſſint Epiſcopi per multos dies permanentes in alieno Epiſcopatu, ita ut non ſint per modum tranſitus, & itineris, vti priuilegio dicti *cap. fin.* celebrandi, ſcilicet, in altari viatico; ita firmavit *in reſponſis par.*4. *caſu* 33. §.*advertendum*, ex quo ſequitur, quod neque posset cum licentia Ordinarij, vt infert, ſi vera esset Beię opinio, Paſqualigus *q.* 1219. *n.* 1. & Pignatellus *tom.*3. *conſult.* 39. *n.* 6. Sed posse ſine prædicta licentia (& multò minùs ſine Parochi, ut notat Jordanus *infra*) altare erigere, & celebrare ſubſtinuit Diana *par.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 39. Jordanus *tom.*1. *lucubrat.lib.*4. *tit.* 1. *num.* 131. permittitur namque Epiſcopis exercitium pontificalium, quando illud non habet admix-

mixtam aliquam iuriſdictionem, vt ex Fagnano notat Pignatellus *cit. num.* 4. & per erectionem altaris nulla juriſdictio exercetur Verricelli *de Apoſt. miſſ. q.*135. *n.* 14. ex quo ergo capite eſt petenda? Ultra quod videtur expreſsè id concessum in dicto *cap. fin.* illis in verbis: *Quoniam Epiſcopi, eorumque Superiores ſe habent diverſis ex cauſis ex ſuis Eccleſiis, & Diœceſibus abſentare, &c. præſenti conſtitutione indulgemus eiſdem, ut altare poſſint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrare vbicumque, &c.*

474 Quæ omnia procedunt, quamvis in aliena Diœceſi ſit interdictus uſus altarium portatilium, vt contra Navarrum firmat Jordanus dicto *n.* 131. ubi tamen urbanitatis gratiâ ſuadet, data opportunitate, ut id ordinario loci inſinuetur; & ita ipſummet ſervasse (erat enim Epiſcopus Traguriensis in ditione Veneta) Venetijs refert.

475 Quæſtio XXI. Epiſcopi titu-

tulares potiũtur ne prædicto privilegio? Reſpondetur affirmativè: ſunt enim verè, & propriè Epiſcopi. Et ita docet Diana *par.* 9. *tr.* 1. *reſol.*47. quem laudat Gobat *in exper. Theolog.tom.* 1. *par.* 1 .*tr.* 3. *n.*245. benè verùm, quod Diana, ſtando in rigore Juris, id ſtatuit; quia, ſi obſtaret conſuetudo, non eſſe ab ea recedendum, putavit. Qualis autem conſuetudo circa hoc vigeat, nil mirum quod neſciam; dum de ea celeberrimus ille Vir, & in Romana Curia apprimè verſatus, nullum teſtimonium protulit.

476 Quæſtio XXII. Quid dicendum de Epiſcopis nondum conſecratis? Reſpon. Affirmavit Suarez, quem ſequuti ſunt Gavantus *in man. v. Epiſcopus num.* 10. & Jordanus *cit. n.*136. rectè id limitans quoad ſolemnem benedictionem, de qua mox.

477 Quæſtio XXIII. Epiſcopi celebrantes in aliena Diœceſi etiã privatim, an poſſint ſolemnem impendere benedictionem, dicen-

do,

do, *ſit nomen Domini benedictum*? Reſpon. Ita planè: tum quia id ad ordinis ſpectat poteſtatem, non iuriſdictionis; tum etiam quia priuilegium dicti *capitis ſin.* extédi debet ad accessoria miſſę principaliter concessæ. ita Jordanus *cit. num.* 135. limita assertum in Epiſcopo non dum conſecrato, cui id non eſt concessum: dum ante consecrationē non sunt Epiſcopi. ſic Jordanus *dicto num.* 136. & dixerat *eodem tomo* 1. *prælud.* 2. *num.* 9. contra Julium Lavorium *in var. lucubration. tit.* 4. *cap.* 25. *num.* 68.

478 Quæſtio XXIV. Altaris erectio Epiſcopis an liceat Romę? Reſp. Diſcrepant Doctores: communiter namque putant, id fieri non poſse ob reverentiam Summo Pontifici debitam. Sic Diana *par.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 39. Gavantus *in man.* v. *Epiſcopus num.* 9. Beia *par.* 4. *reſponſ. caſu* 33. *in princ.* dicens: id evenire, tùm ex recepta conſuetudine; imò etiam contra Cardinales, quibus ea facultas raró con-

ce-

ceditur; tum ex edictis diverſo tẽpore evulgatis, in quibus vetita fuit omnibus, etiam cuiuſcumque dignitatis, erectio oratorij privati: tum etiam quia rarò conceditur ea facultas Epiſcopis, & rariſſimè cæteris.

479 E contra tamen affirmat noſter Tamburinus *in meth. miſſæ lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 8.* ſolus, quod viderim, & anceps manet Paſqual. *de ſacriſ. tom. 2. q. 1220. nu. 6.* Ego verò non recedo à ſententia negativa: quia vim recipit ab obſervantia Curiæ Romanæ, de qua teſtatur Pacius Jordanus *to. 1. lib. 4. tit. 1. num. 137.* qui in dicta Curia pluribus annis degit, cuius teſtimonio multùm defero; eſt enim grauissimi Doctoris.

480 Queſtio XXV. Regulares itinerantes an gaudeãt priuilegio altaris viatici? Reſp. Prædictum Epiſcoporum priuilegium extendi ad Regulares itinerantes, docuit Portellus apud Volpem in *reſol. mor. reſol. 62. n. 27.* qui benè addit, quod nunquam id audiuit, aut

aut vidit ſeruatum. Et quidem priuilegia circa hoc iam sunt reuocata per Tridentinum. Legatur Miranda *in man. tom.* 1. *q.* 40. *art.* 9. *concluſ.* 4.

481 Quæſtio XXVI. Suppoſito quod Regulares possunt in ſuis Monaſteriis, & Grangiis deſignare oratoria ex priuilegijs Pontificijs, quæ remiſſivè refert Verricelli de *apoſt. miſſ. qu.* 135. *num.* 6. quæritur: An poſſint etiam in villis, ad quas recreationis causâ proficiſcuntur? Reſp. Affirmant in terminis Diana *par. gnr.* 1. *reſol.* 33. *in fine*, quem citant, & ſequuntur Verricelli *de apoſt miſſ. qu.* 135. *num.* 6. Gobat *in Theol. exper. de* ... *par.* 1. *tr.* 3. *n.* 247. Imò Pelizzar. penes *cit.* Dianam docet: Ordinarium nō habere Jus viſitandi oratoria Regularium, ruri conſtructa, etiam ſi campanam habeant pendentem è turri. Ratio reſponſionis esse poteſt, quia ea loca non ſunt domus privatæ, quibus interdictum eſt altaria erigere: propterea conſuetudo inter-

pre-

pretavit, dicta privilegia ad villas extendi, teſte eodem Diana.

482 Quæſtio XXVII. Oratoria prædicta Regularium villatica an gaudeant immunitate? Reſpondetur Affirmativè cum Verricello *dicta q.* 135. *num.* 6. Bordono *in conſil. regul. tom.*2.*reſol.*90. *num.*6. vbi dicit; quod oratoria Regularium ſunt potius publica in ordine ad Religionem: licèt privata quoad excluſionẽ extraneorum, & immunitate gaudent; ſi nõ ratione ſui, ſaltem ratione clauſtri, aut grangiarum.

483 Quæſtio XXVIII. Sacerdotes ſæculares an indifferenter poſſint in oratorio villæ Regularium celebrare? Et an fideles, ibi miſſá audiendo, ſatisfaciant præcepto de audiendo ſacrò? Reſp. Vtrumque affirmat Quartus in *rub. miſſ. par.* 3. *tit.*10. *num.* 1. *dub.* 9. verſu *colligitur ſecũdò*, & verſu *colligitur tertiò.* imò Pellizzar. *in man.regul. tom.*2. *tr.*8. *cap.* 2. *num.* 134. addit fideles prædictos, nec à Parochis impediri poſſe, quo minus diebus

feſtis

feſtis in illis miſsas audiant.

484 Quæſtio XXIX. Si Regularium Villæ eſt contigua Eccleſia habens priuilegium, quo intra tot paſſus prohibentur erigi aliæ Eccleſiæ, an poſſit in Villa erigi hoſpitium, ſiue domus cum interno oratorio ad effectum miſsas priuatè celebrandi, ſi hoc ſit intra diſtantiam, in qua prohibetur alterius Eccleſiæ ædificium? Reſp. Ita planè: huiuſmodi enim oratoria non pugnant cum priuilegio prædicto; Hæc enim priuilegia formalium Eccleſiarum extructionem excludunt, non autem oratorium ſine janua in uia publica, & in quibus nec diuina peraguntur, nec Sacramenta miniſtrãtur, nec publicæ conciones, aut functiones fiunt: propterea ceſsat ſpiritualis æmulatio, ad quam uitandã, priuilegia huiusmodi conceduntur. Luca *de regul. diſc.* 1. *num.*76. & *diſc.*33. *n.* 7.

485 Quæſtio XXX. An poſ-
[illegible] ſit prohiberi celebratio miſsæ in oratorio villatico per laicum ædificato

ficato, antequam celebretur miſsa in parochiali, vel matrice Eccleſia? Reſp. Sacra Congregatio *in una Gaetana.* 18. *Septembris* 1627. apud Barboſ. *in summa bull. apoſt.* verbo *miſſa* 1. *n.* 23. negatiuè reſpondit.

486 Quæſtio XXXI. Si in villa adeſt capella cum altari portatili, non tamen licentia in ea celebrandi, & repente quis incidit in mortis articulum; an poſſit Sacerdos missam celebrare pro miniſtrando Viatico moribundo? Reſp. De hoc caſu interrogatus Diana affirmatiuè reſpondit ex Nugno, Toleto, & Perſico: & ita docet *par.9.tr.1.reſol.46.§.Non deſeram* quibus adhęret Verricelli *de apoſt. mis.q.*135. *n.*28.

487 Quæſtio XXXII. Si in villa reperitur, cui ex priuilegio liceat celebrare in altari viatico; an ſocius priuilegiati participet per communicationem eo priuilegio, ita ut etiam is poſſit in altari prædicto celebrare? Reſp. Videtur quod ſic: tum quia priuilegia

gia ad socios extenduntur ; ad eum modum quo recitans aliquod officium ex priuilegio vel brevius, vel ante tempus, vel aliter, ſocius recitantis de eo participat. Scobar à Corro *de horis can. q.*4.*n.*61.

488 Nihilominus negatiuè respondeo cum Pasq. *de sacrif. q.* 478. *n.* 2. priuilegium enim illud eſt personale, quod non extenditur de perſona ad personam, quamuis eadem, vel major concurrat ratio. Nec valet paritas horarum canonicarum: quia cum horæ canonicæ recitari alternatim poſsint ex more, & praxi Eccleſiæ Scobar *cit. n.* 50. neceſse eſt, quod ea communicatio admittatur ex natura correlativorum, cum non poſſit alternata recitatio per privilegiatum ſolùm fieri; ergo cum nulla dari poſsit relatio inter ſocios in ordine ad celebrationem, non poteſt privilegium celebrantis ad ſocium extendi.

489 Quæſtio XXXIII. Sacerdos, qui in loco domicilij recitavit

ho-

horas diei correſpondentes, ſi accedit ad villam, in cujus Eccleſia ſpeciale feſtum celebratur, quam miſsam celebrare debet? conformem nè officio recitato, an verò feſto, quod in dicta Eccleſia celebratur? Reſp. Conformem feſto illius Eccleſiæ. Tambur. *in opuſc. de ſacrif.miſ.lib.2.cap.6.§.1.n.14.*

490 Rogabis. An ita debeat celebrare miſsam prædictam, ut nequeat aliam juxta officium recitatum celebrare? Reſp. Si aliquod probabiliter timeatur ſcandalum, debet celebrare miſsam juxta feſtum illius Eccleſiæ: ſi verò nullum; non tenetur:unde poſſet, inquit Paſqualigus. *tom.* 1. *de ſacrif. q.*246.*n.*4. ſecluſo ſcandalo, aut miſsam correspondentem officio ab ipſo recitato celebrare, aut votiuam, ſi officium non eſset duplex; aut ſi non eſset dies dominicus, aut feria privilegiata.

491 Aduertere tamen oportet, quod in illa Eccleſia per Sacerdotes ſequentes ritum Romanum debet celebrari missa cum

miſ-

miſſali Romano, non autem alieno; vt ſi Eccleſia ſit monachorum habentium proprium miſsale; quoniam tale miſsale eſt in ordine ad perſonas conceſſum.

492 Quæſtio XXXIV. Optat quis in oratorio priuato ſibi in villa conceſso, S. Roſaliæ E.G. dicato die natalis ejuſdem Sanctæ feſtiuitatem celebrare cum Miſsa ſolemni: quæritur, an poſsit? Reſp. Caſus eſt exoticus, & ſolum ſcio Tancredum *in quæſt.mor.par.2.tr.5.q.14.* de illo tractare; ubi pro utrâq; parte negativæ, & affirmatiuę reſponſionis jaciens fundamenta, nil determinat, nec determinare velle teſtatur. *n.*10.

493 Ego verò negativè reſpõdeo. Moveor, quia de Jure eſt prohibita celebratio in oratorijs privatis *Cap.Tabernaculum* 2.§. *Quod autem*, & *cap. Vnicuique* 33. *de conſecr. diſt.* 1. propterea privilegium oratorii privati eſt odioſum, ideoque ſtrictè interpretandũ *tex.in cap.*1.*de filiis presb.in* 6. Vnde extenſio ad Miſsam ſolem-

nem expreſſe non conceſſam eſt exorbitans, & videtur contra concedentis mentem.

494 Quod autem privilegium oratorii ſit odioſum patet ex regula, quam tradunt Doctores præſertim Neotericus Gonzales *in cap. cum veniſſent* 12. *de Iudiciis n.*7. quod quoties privilegium eſt præter Jus, utpote beneficii rationem retinens, amplam meretur interpretationem, ſtrictam verò ſi a Jure exorbitat, & contra leges conceditur. Cum igitur contra Canones citatos privilegium oratorii privati conceditur, reſtringi illud oportere, rationi conſonum cenſeri debet.

495 Nec omittam curioſitatis gratiâ referre, quod Jus civile in *l. Vnica* Auth. *Vt in privatis domibus ſacra miniſteria non fiant*, prohibet (futiliter tamen) celebrationem Miſsæ in Oratoriis domus, ubi *gl. in v. Myſtrii* eamdem prohibitionem explicans ait, ut cantare miſsam, vel celebrare ſacrificium.

Di-

496 Dixi, futiliter, quia patet, quod Jus Civile cum Canonico in materia pure ſpirituali nil commune habet, & quælibet illius diſpoſitio, vt futilis contemnenda eſt.

497 Quæſtio XXXV. Sacerdos in Villa an poſsit Feria V. in Cœna Domini miſsam priuatam a villaticis expetitam celebrare? Suppono Sacerdotem Eccleſiæ villæ non præeſse uti parochum; quia ſi animarum curam haberet, poſset, immò deberet non ſolùm miſsam privatam, verùm etiam ſolemnem celebrare, nè myſterioſæ illæ ceremoniæ omittantur, ad quas populus villæ, & ſi rudis, & exigui numeri Jus habet. Senſus ergo quæſtionis eſt de Sacerdote ſimplici.

498 Reſpondeo ergo *primo.* Feria V. in Cœna Domini poſſe, quantum eſt ex ſe, ſimplicem Sacerdotem miſsam privatam celebrare. Ita communis Doctorum apud, & cum Paſqualigo *de ſacrif. nouæ legis tom.* 1.*q.* 351.*n.* 2. & no-

viſsime Euſtach. a S. Vbaldo *de Dei benedict. à nu.* 316. contra Francolinum, & paucos alios apud prædictos.

499 Ratio eſt:quia id non eſt vetitũ in Jure; imò tantùm abeſt, quod id ſit vetitum, quod Sacra Rituum Congregatio de permiſſione nos inſtruat: anno ſiquidem 1692. occurrente feſto D. Ioſephi feria V. majoris hebdomadæ eadem S. Congregatio per generale Decretum tranſtulit officiũ Sancti, non tamen feſtum,& præceptum audiendi ſacrum, ac iuſſit, quod per locorum Ordinarios provideretur,ut ante missam solemnem miſsę privatæ celebrarentur pro præcepti adimplemento. Decretum eſt tenoris ſequentis

DECRETVM GENERALE.

500 *CVm anno proximè venturo occurrat Feſtum S. Ioſephi in Feria V. maioris hebdomadæ, exortum ſuit dubium atten-*

tà

tà vniverſali conſuetudine Eccleſiæ celebrandi eo die vnam tãtùm Miſſam, an vnà cum Officio ipſius S.Ioſephi transferri debeat anno prędicto etiam obligatio audiendi Miſſam, ac vacandi ab operibus ſervilibus; Dubioque huiuſmodi in Sacrorum Rituum Congregatione propoſito, eadem Congregatio ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D.Card. Albani re maturè diſcuſsâ cenſuit Officium transferendum eſſe ad aliam diem iuxtà Rubricas Breviarii Romani, & Decreta ipſius Congregationis; cęterùm præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus prædictis non eſse transferendum, ſed ſervandum eſse in prædicta Feria V. Majoris hebdomadæ; adeòque per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſsæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſsæ Conventualis celebrãdæ pro præcepti adimplemento non deſint, ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſsa ſolemni eius diei, quo Eccle-

ſia Sanctiſsimi Eucbariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſummâ religione hactenùs retentus, nullatenùs omittatur, & ità declaravit, ac Decretum hujuſmodi publicari, & imprimi mandavit. Die xiij. Septembris 1692.

A.Ep.Oſtien.Card. Cybo.

Loco † Sigilli.

I. Vallemanus Sac. Rit. Congr. Secr.

501 Ex quo clare liquet miſſas privatas de Jure feria ſupradicta non prohiberi, ut ex Vaſques, & Marchino docet Tancredi *in quæſt. moral. par. 1. diſp. 4. qu.* 71. aliter transferretur præceptum audiendi ſacrum, pro ut transtulerat in feſto Annunciationis anno 1690. quod occurrerat Sabbato Sancto, de quo quæſtione ſequenti. Quam Sacræ Cõgregationis ſententiam celeberrimus Diana *par. 11. tract. 5. reſol.*

32.§.*Dico igitur* prædocuerat aſſerendo, Epiſcopos anno 1655. in quo feſtum Annunciationis in Feriam V. ſupradictam inciden-dum erat, plures Sacerdotes pro ſingulis Eccleſiis aſſignare debere ad miſsas celebrandas, ut populi poſsent ſine ſcrupulo miſsas in præcepti ſatisfactionem audire.

502 Et confirmatur reſponſio: quia alia Sacra Rit. Congr. teſte Nicolio *in Ius Can. lib.3. tit. 41. de celebr. miſs. n.* 5. verſu *Vnde communiter* declaraverat, quod Feria V. in Cęna Domini celebrari non debet, niſi in loco ſecreto, & abſque concurſu.

503 Reſpondeo *ſecundo.* Miſſas privatas in dicta Feria V. prohiberi ex univerſali Eccleſiæ cõſuetudine introducta ad recolendam inſtitutionem, & memoriam ineffabilis Euchariſtiæ Sacramenti per communionem Cleri in miſsa ſolemni; illa enim die Sacerdotes cõmunicant ad imitationem Apoſtolorum, qui ex Chriſti Do-

mini manibus in cœna communicarunt, ut ex S. Rit. Congregatione aſſerit Gavantus *par.* 4. *tit.* 7.*n.*7.

504 Dixi ſupra *n.*498.quantum eſt ex ſe, ut pateat, quod veluti per accidens non poſsunt illâ feria miſsæ privatæ celebrari; quia ſcilicet conſuetudo, eaque univerſalis, introduxit (ut conſtat ex decreto relato) quod In Cœna Domini una tantùm miſsa celebretur, ad hoc ut Clerus more laicorum communionem ſuſciperet per ſignificatione ſupradicta.

505 Hinc ex Sacra Congregatione, cujus meminit Nicolaus *in Ius Can.lib.*3.*tit.*41. *de celebr. miſſ. n.* 5.verſu *In cœna* conſtat, quod in Cœna Domini præter miſsam ſolemnem tacite videtur prohibita celebratio, cum eo die communionem Clericorum Eccleſia præcipiat.

506 Reſpondeo *tertio.* Poſse Sacerdotem in villa miſſam privatam celebrare non obſtante con-

conſuetudine prædicta:illa enim, ut obſervat Euſtachius *cit.n.*316. non obligat cunctos Clericos ad communionem, ſed ſolùm ex illis majorem partem:hinc fit,quod ſtante legitimâ causâ poterit cōmunio ab aliquo Sacerdote omitti,& ſacrum celebrari.Legitimam autem cauſam non tantùm reputo neceſsitatem conficiendi viaticum, verùm etiam devotionem villaticorum, qua miſsam (qua ut plurimum carent) expetunt, quam devotionem fovere rationi conſonum eſt, & patet ex dictis *n.*445.

507 Magis quod contrarium cederet in Sacerdotis ſpirituale præjudicium, ſi ſcilicet à miſsa privata celebranda arceretur: quoniam non poſset celebrare, ut ſupponitur; nec communionem ſumere, quia in villa non fit laica communio, quod durum videtur.

508 Nec officit Decretum S. C. relatum ſupra *n.* 502. quod concedit celebrationem ſecretam,

& abſque concurſu, non verò publicam; quæ requiſita non verificantur in Villa, ubi præſupponitur omnes illius incolas ad Eccleſiam confluere: non officit inquam: quoniam id, quod me movet ad indulgendum Sacerdoti in Villa, poſſe privatam miſſam celebrare, non eſt qualitas celebrationis secretæ,& ſine concurſu, sed devotio indigenarum villæ, qui sæpisſimè Sacerdotibus deſtituti sacra esuriunt non ſpernendâ devotione; cui reſiſtere non debet qualitas, quod debeat miſsa celebrari occultè, & ſine concurſu, iam quod, ut patet ex dictis, non eſt prohibitum per se dicta die miſsas celebrare.

509 Rogabis 1. Quænam miſſa dicta feria celebranda ſit, quando priuatè fit ſacrum? Respondeo, celebrandam missam de die, non de feſto; multò minùs votiuam, vt patet ex Decreto relato *n.* 500. in quo licèt fuerit celebratum feſtum, officium tamen translatum, & vul-

& vulgare eſt ex Rubricis, quod miſſa cum officio conuenire debet: & præſcindendo à Decreto *cit.* idipſum docuerat Euſtach. *cit. n.* 322.

510 Rogabis 2. Qua horâ die illâ celebrandũ? Reſpondeo, nullo modo celebrari poſſe poſt miſſam ſolemnem. Ita Euſtach. *cit. n.* 320. poſt missam enim solemnẽ Feriæ V. iam incipit officium in Parasceue, quo incepto celebrare nefas eſt.

511 Vnde meritò mortaliter peccari, ſi poſt missam solemnem celebratur, docuit Pasqualig. *tom.* 1. *de ſacrif. nou. leg. q.* 551. *num.* 6. Et quamuis Filliucius (cohærentiùs sanè ad decretum *cit.* per illa verba *ante celebrationẽ ſolitæ miſſæ conuentualis*) apud eundem docuerit, quod missæ priuatæ expleri debeant antequam ligentur campanæ; aliter tamen voluit idẽ Pasqualigus contentus, quod ſimul cum solemni miſſa priuata expleatur. Sed occaſione prædictorum

512 Petes. 1. Quænam obligatio vrgeat Clerum ad cõmunionem? Et quęnam Prælatos, & Prępoſitos Eccleſiarum, vt curent, quod non pretermittatur? Reſpõdeo, tùm Prælatos, tùm Clerum obligari; hunc ad suscipiendam Euchariſtiam, illos ad curandum, vt suscipiatur: propterea meritò Quartus *in Rub. miſſ. par. 1. proœm. dub. 5.* versu *Reſpondeo, & ſeq.* aſſeruit Prælatos id negligentes peccare mortaliter, vel venialiter iuxta populi gravem, vel levem perturbationem, vel offenſionem.

513 Scio eundem Pasqualigum *q. 352. num. 2.* nominatim contra Quartum docuisse non peccare. Sed illi non acquieſco: nam celebris, & verè doctus hic Auctor decipitur; ſupponit enim, quod de communione Cleri nil habeatur in Eccleſiæ ritibus, quod non eſt verum: licèt enim in Rubrica missalis Feriæ V. legatur ſolùm, *Deindè fit communio* abſque addito *Cleri*, quod ponderat *num. 4.* tamen in Cęremoniali Epiſcoporũ

lib.

lib.2.cap.23. habetur: *Deindè anteq uam ſe purificet* (loquitur de Epiſcopo) *cõmunicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deindè omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, qui ſtolam à collo pendentem ſupra cottam habere debent, et denique omnes de Clero, &c.* Paſqualigus ergo ſi cęremoniale legiſset, Quartum non impugnasset.

514 Dicendum ergo quòd dum in Eccleſiaſtico ritu habeatur cæremonia communionis, hanc negligere Prælatos, quorum eſt curare, vt ritus Eccleſiæ, præſertim graues, & publicæ cuſtodiantur, ac exequantur, vt aſserit Quartus *cit.* eſt conſcientias culpâ inquinare.

515 Nec eximas tamen à prædicta culpa Parochos, & Superiores Regulares: illi enim licèt non ſint Prælati, Raym. Lumbier. *in propoſ. damn.* edit. latinę *num.*718. tamen ſi in Eccleſia, vbi præſunt Clerum ſub ſe habent, in miſsa ſolemni ſuæ Eccleſiæ communio-

nis

nis adminiſtrationẽ prętermittere non debent. Idem dicas de Superioribus Regularibus reſpectu Religioſorum.

516 Et tandem laudabile, & rationi conſonum reputo, ſanctimoniales communionem, ſimul quoad fieri poteſt, facere, vt ſpõſi convivantis memoriam recolant, cui nuptialem casti pectoris thalamũ deuouerũt, quod in religioſioribus monaſterijs fieri audio.

517 Illud demum pro certo habeo, posse Prælatos dare licentiã nonnullis Sacerdotibus ex causa, vt celebrent; quemadmodum cõſtitutiones Auguſtinianorum excalceatorum ab Apoſtolica Sede approbatæ *par.1.cap.4. n.3.* Prioribus dant facultatem aliquibus concedendi licentiam prædictam, teſte Euſtachio *cit. num.* 316. Et quod Parochi id ipſum permittere poſſint, dummodò ſecretò celebretur, mihi non eſt dubium.

518 Et hæc quoad Prælatos; quoad Clerum verò, præter dicta *n.*506. sciẽdũ, quod noſtra Synodus

p.4.

p. 4.c.3.n.40.§.præcipuè, Clerũ dũtaxat hortatur ad cõmunionem, & cõmunicantibus 40. dies indulgẽtiæ largitur. Vnũ tamen omittere nolo, Canonicos Cathedralium maiori vrgeri obligatione reſpectu Cleri: Sicuti enim eccleſiaſticę hierarchię inter Clericos Dięceſis poſt Epiſcopum primum ordinem occupant, Barboſa de Canon. & dignit. cap. 18. num. 46. Fratres enim nuncupantur Epiſcopi. Panormitan. in cap. nouit, de ÿs, quę fiunt à Prælat. Barboſa cit. n. 54. dicunturque à Tridẽtino ſeſſ. 24. de reſ.c. 12. circa fin. Senatus Eccleſiæ; ita maioris eſt ædificationis publica illorũ cõmunio, ac huius omiſſio maiorẽ perturbationẽ, aut offẽſionẽ afferre poterit.

519 Petes 2. An votum à Sacerdote emiſſum celebrandi qualibet Feria V. obliget in maiori hebdomadâ? Reſpondet Tancredi in quæſt. moral. par. 1. diſp. 4. q. 71. ſic. Vel votum fuit expreſsè dictę feriæ directum, & tenetur, ſi ſine admiratione celebrare poſſet; vel

non

non fuit expreſſum; & non tenetur, dum non cenſetur vouentem ſe obligaſſe.

520 Quæſtio XXXVI. An poſſit in Eccleſia Villæ dicta feria V. fieri ſepulchrum? Adverto ſensũ quæſtionis procedere, quãdo Eccleſia non eſt Parochialis, quia ſi talis eſſet, & poſſet, & deberet.

521 Reſpondeo igitur quod negabit Pignatellus *tom. 9. conſult.* 79. præſertim *num.* 13. *&* 17. & & meritò, attendendo ad Iuris ſtatuta, & decreta S. Congregationis, quæ refert: attendendo tamen ad conſuetudinem locorũ vbi aliter fit, illam ſeruandam eſſe ſentio. Hanc conſuetudinem vigere Panormi eſt clarum; in omnibus enim ferè Eccleſijs, ac etiam Oratorijs, & Confraternitatibus Sacramẽtum in ſepulchro reconditur: & à fortiori id fieri poſſet in Eccleſia Villæ ad fouendam villaticorum deuotionem, dummodò tamen requiſita decentia ſeruetur.

522 Quæſtio XXXVII. In villa, vbi

vbi non aſſeruatur Sacramentum, & a qua diſtat parochialis, an liceat Sacerdoti Feria VI. Paraſceues miſſam celebrare cauſâ miniſtrandi viaticum? Respond. Eccleſiaſticam traditionem, quam initio naſcentis Eccleſiæ ortum duxiſſe non dubitatur, dicta die miſſæ celebrationem prohibere, liquido cõſtat ex cap. *Sabbato* 13. *de conſecrat. diſt.* 3. ad quid enim myſtica ſacrificij cruenti repræſentatio per Sacramenti cõſecrationem, vbi memoria Paſſionis noſtri Redemptoris, prout realiter geſta eſt, recolitur? & aiebat Vgo à S. Victore apud Groſſum *in Theol. moral. D. Thomæ. trac.* 23. *q.*10.*art.* 2.*n.*2. *Hodie non ſacrificamus, dum hoſtia de manibus tollitur, non ſacrificant amici, dum trucidant inimici.* Legatur Angelicus Magiſter, & ex eo Quartus *in rubr. miſ. par.* 1. *in proœm. dub.* 5. *tit. dubitatur* 2. Paſqual. *de ſacrif. nou. leg. tom.* 1. *q.*355.*n.*3.

523 Propterea Doctores vnanimiter in eam abiere ſententiam,

quod

quod doceant, in paraſceue sub lethali culpa ſacrificij incruentā oblationem interdici. Et meritò: cadit enim talis prohibitio ſupra materiam grauem, dum perpetuæ Eccleſiæ obſeruantię innititur.

524 Quod ſi eâ die cadet feſtum SS. Annunciationis: tunc officiũ cum miſſæ præcepto, & obligatio abſtinendi à ſeruilibus in aliam diem iuxta Rubricas, & Decretũ infra ponendum *n.* 533. transferetur.

525 His prælibatis: Ad quæſtionem reſpondet Paſqualig. *cit.* q. 356. *n.* 3. causâ viatici ſecretò celebrari poſſe, ſic interpretando intentionem Eccleſiæ, quæ ſolet pro eadem cauſa alios relaxare ritus.

526 Ego verò, ſaluo meliori iudicio, id admitterem dumtaxat in caſu, quo infirmus eſſet incapax Sacramenti Pœnitentiæ, aut cui non poſſet miniſtrari Sacra Vnctio, capax verò Euchariſtiæ; vi cuius poſſet primam gratiam per accidens conſequi iuxta dicta

ſupra

ſupra *n.*433. & per Contenſon *in Theol. mentis, & cordis tom.* 8. *diſſert.* 3. *cap.* 2. *ſpecul.* 2. *q.* 2.

527 Ex quibus infertur cum Paſqualigo *cit. n.* 7. poſſe, & à fortiori, in Eccleſia Ambroſiana ſextis ferijs quadrageſimæ, in quibus miſſæ non celebrantur, cauſâ viatici ſacrum celebrari.

528 Dixi, à fortiori: quia minus reſiſtit Ritus Ambroſianus celebrationi diebus Veneris quadrageſimæ, quam Ius Canonicum Feriæ VI. Paraſceues.

529 Quænam autem miſſa eâ dicenda erit? Paſqualigus reſpondet, vel votiua de Paſſione, quæ tempori, in quo celebratur Paſſio congruit; vel votiua pro infirmis, dum pro infirmi ſpirituali adiumento celebratur; vel tandem votiva de Sacramento, dum celebratur pro cōficiendo Sacramēto per modum viatici miniſtrando. Putat etiam idem Auctor poſſe quamcunque miſſam celebrari, licèt ſupradictas magis congruere aſſerat. Et ita docet *d.q.*256.*n.*6.

530 Rogabis. An liceat dicta Feria VI. communicare? Reſpon. Affirmat cõmunis apud Paſqualigum *cit. q.* 357. *n.* 1. Negant plures apud eumdem *n.* 3. Vtramque opinionẽ probabilem putat Quartus *cit.* Paſqualigus verò *num.* 4. præſcindendo à conſuetudine legitimè prȩſcripta etiam negat.

531 Ego verò tamen abſolutè nego. Tum quia id eſt ex ſenſu Sacræ Congregationis, quæ pluries id declarauit, vt paſſim notant Doctores. Tum etiam, quia Rubrica Miſſalis Feriȩ V. in Cœna Domini, dum dicit *Reſeruat*, (de Sacerdote ſolemniter celebrante loquitur) *etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit, pro infirmis*, clarè indicat, non infirmis miniſtrari minimè poſſe.

532 Queſtio XXXVIII. Sed quid dicendum de Sabbato Sancto, poterit nè illa die Sacerdos in villa miſſam priuatam celebrare? Reſpondeo abſolutè negatiuè ex dicendis.

533

533 Supponendum igitur *ex cap. Sabbato* 13. *de conſecr. diſt.* 3. Miſsas Sabbato Sancto celebrari non poſſe præter solemnem: quo tamen non obſtante communiſſima Doctorum sententia docuit oppoſitum, quorum quatuor ſupra triginta refert, & sequitur Pasqualigus *cit.n.*358. *n.*3. dicens esse opinionem in materia morali fere certam: quibus addo Petrum a S. Ioſeph *in Idea Theol. ſacr.lib.*2.*cap.*12.*reſol.*1. *obſeru.* 2. ubi dixit, quibuſcumque Sacerdotibus licere ex praxi Eccleſiæ missam celebrare. Tobiam Lohnerium *de ſacriſ. miſ. par.*4.*tit.*12. *n.*6. Gobatum *in Theol.exper.par.* 1.*tom.*1.*tr.*3.*n.*221. *& ſeq*; dicentes sententiam affirmativam esse tutam in praxi. Dianam *par.* 11. *tract.*8.*reſol.*66.§. *Vnde ex his* teſtantem Romę in Eccleſia S.Martæ summo mane Sacerdotes missas celebrare. Coronium *lib.* 2. *contr.*5.*n.*89.Euſtach. à S.Vbaldo *de Dei benedict.n.*319.

534 Prædictorum Doctorum

Achil-

Achilles erat conſuetudo, quæ præcitati textus in *cap. Sabbato* vim jam retunderat, qui veluti lex per cõsuetudinem abrogata ceſſaverit.

535 Sed hodie abſolute contrarium eſt ſubſtinendum. Decretum enim infraſcriptum nullum reliquit dubitationi locum: en eius tenorem.

DECRETVM GENERALE.

536 *CVM Sabbato Sancto proximè futuro occurrat Feſtum Annunciationis B.M.V. dubitatum fuit, an debeant celebrari Miſſæ privatæ ad effectum, ut Chriſti fideles commodè ſatisfacere poſſint precepto audiendi Miſſam: Et Sacrorum Rituum Congregatio ad relationem Emin. & Rev. D. Card. Colloredi, re maturè perpenſa, cenſuit prædictum Feſtum Annunciationis, unà cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus in Eccleſia Vniverſali transferri debere ad Feriam ſecundam poſt Domi-*

minicam in Albis, protractis omnibus aliis Feſtis, quæ non ſint altioris ritus, ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Miſſarum dicta die Sabbati Sancti omnino prohibendam in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis privatis, non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium, & unicam Miſſam Conventualem, unà cum officio ejuſdem Sabbati Sancti celebrandam fore præcepit; Si Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Hac die 11. *Februarii* 1690.

Et facto de prædictis per me Secretarium verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas Sua benignè annuit, ſenſum Sac. Congregationis approbavit; ac præſens Decretum edi, & imprimi mandavit. Hac die 12. *Februarii* 1690.

A. Card. Cybo.
Locus † Sigilli.

Laurentius Fliſcus Sac. Rit. Congregat. Secret.

Ex

537 Ex quo Decreto patet miſſarum celebrationem præter ſolemnem eſſe penitus interdictam, conſuetudinem contrariam prorſus abrogatam, ac neque celebrationem permitti ob occurrentiam alicujus feſti, quod unà cum præcepto audiendi ſacrum, & obligatione abſtinendi à ſervilibus juxta Rubricas transferri debet. Vnde Sacerdotem celebrantem Sabbato Sancto peccati mortalis reum cenſeri debere, hodie non eſt ambigendum.

538 An autem poſſit non obſtāte Decreto ſupradicto Viatici causâ celebrari? Si de ſecreta celebratione ſermo erit, jam patet juxta ſupradicta *n.* 525. & 526. quid reſpondendum.

539 Quod ſi quæres, quænam miſſa dicenda tunc erit? Reſpondeam id à Doctoribus citatis *nu.* 532. percontandum; quorum nonnulli miſſam votivam, alii Defunctorum, plerique tandem miſſam de Sancto occurrente dicedam eſſe cenſuerunt.

Ego

540. Ego verò cum Diana *par.* 11. *tr.* 8. *reſol.* 66. §. & *tandem* puto dicendam Miſſam Sabbati Sancti. Et ratio eſt:quia cum Miſſa,& Officium illius diei ſint ritus duplicis, Rubricis magis conforme, & conſentaneum eſt, non dicere Miſſam votivam, nec defunctorum, quæ in duplicibus non ſunt celebrandę.

541. Nec Miſſam de feſto occurrente: quoniam quodlibet feſtum ea die occurrens transferri debet, eſt enim dies permaximè privilegiatus: ſi ergo illa habet Miſsam propriã, ſuppoſito quod ſit dicenda, cur a Sancto translato mutuanda?

542. Rogabis. Quomodo Miſſa privata Sabbati prædicti dicenda? Reſpondeo celebrandam prout ſequitur. Præmittitur pſalmus *Judica*, & *Confeſſio* de more, & recitatis orationibus *Aufer*, & *Oramus te Domine* incipitur a *Kyrie eleyſon*, & proſequitur uſque ad finem cum veſperis incluſive. Sic Coton. & Dicaſtillus apud

Lohner *de ſacrif. par.4.tit.* 12. *n. VI.* & ita ſervabatur Romę in Ecclesia Sanctę Martæ, ubi ex privilegio celebrabatur (quod an adhuc duret, mihi eſt ignotũ) vt teſtatur Paſqualigus *cit. q.* 362. *num.* 5.

543. Quæſtio XXXIX. Quid dicendum de Sacerdotibus villaticis, qui antequam Miſſam incipiant, & ex altari diſcedant, reverẽtiam exhibent Magnatibus, qui fortè adſunt; rectè nè agunt? Reſp. Sacerdotes hujuſmodi Rubricas tranſgrediuntur: hinc defectum committere non eſt verendum; nam ſi loquamur de initio Miſsæ, conſtat ex Rubrica *in ritu celebr. Miſ. tit.*3. *n.* 2. exigente genuflexionem ſi celebratur coram Summo Pontifice, & profundam reverentiam, ſi corã Cardinali Legato Sedis Apoſtolicæ, aut Patriarcha, Archiepiſcopo, & Epiſcopo: de reliquis ſive Pręlatis inferioribus, ſive Magnatibus nil diſponit; proinde illi cenſentur excluſi.

Si

544. Si verò loquamur de fine Miſsæ; expreſsè excluduntur a Rubr. *cit. tit.* 12. *n.*5. quæ poſtquam dixit, quod prædictis perſonis (ſcilicet Prælatis ſuperioribus) faciat reverentiam convenientem, addit: *ſi non celebravit coram aliquo prædictorum, hujuſmodi reverentiam prætermittit.* Defectus ergo erit Prælatis inferioribus, & multò magis Magnatibus, finito ſacro, ante ab altari diſceſſum, reverentiam exhibere: propterea nullam reverentiam prædictis perſonis exhibendam eſſe, docet Natolius *de ſacris ritibus tr.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 4. *n.* 7. *fol.*104.

545. Caueant ergo Sacerdotes a ſimilibus reverentiis, nam ad obſequendum laicis ſui miniſterii deturpant dignitatem: aliàs & peccabunt, & tamquam Rubricas violantes arguendi ſunt: in quo nimium invigilare debet, qui eccleſiaſticorum rituum ſolliciti eſſe debent.

546. Quæſtio XL. Sacerdos

irregularis prohibitus celebrare in loco delicti, ſi delictum patraverit in Urbe, an poſset celebrare in Eccleſiis, & Oratoriis Villæ extra, ſed prope Urbem extructis? Reſp. Videtur negandum ex *cap. ſi civitas de ſentent. excom. in 6.* ubi habetur: *ſi Ciuitas, Caſtrum, aut Villa ſubiiciantur eccleſiaſtico interdicto, illorum ſuburbia, & continentia ædificia eo ipſo intelligi volumus interdicta.*

547. Sed contrarium docet Diana *par.4. tr.4. reſol.* 123. ubi interrogatus, num Regularis, qui Panormi homicidium commiſerat, diſpenſationemque obtinuerat celebrandi præter locum delicti, poſset celebrare in Conventibus extra, ſed juxta Panormi mœnia? Reſpondit affirmativè, motus ex dicto *cap. ſi Civitas* cujus diſpoſitio ſolùm in caſibus interdicti eſt applicabilis ad tradita per Valençuelam in dicto *cap. ſi Civitas*, & propterea ad irregularitatem, & alias pœnas, benignè ſane interpretrãdas, extendi non debet, Quæ-

548 Quæſtio XLI. Si Eccleſia conſecrata, quæ in villa eſt unica, polluatur, ac proinde non poſſit niſi ab Epiſcopo reconciliari *cap. aqua 9. de Conſecr. Eccleſ.* & ibi Gonzales *n.* 2. cum communi (ad differentiam Eccleſiæ non conſecratæ, quæ per quemcumque ſimplicem Sacerdotem benedici poteſt *Gloſ. in cap. fin. v. lavetur de conſecr. Eccleſ.* communiter allegata) an poſſit in ea ſine benedictione celebrari cum licentia Epiſcopi? Et an Epiſcopus poſſit illā concedere?

549. Reſpondet ad utrumq; affirmativè ſtante ſufficiēti cauſa Petrus a S. Joſeph *in Idea Theol. ſacramentalis lib.2. cap. 12. reſol.* 2. §. *notandum* 2. Paſqual. *in quæſt. mor. canon. centur.* 4. *quæſt.* 371. dicens eſſe cōmunem. Ratio eſt, quia poteſt Epiſcopus ex rationabili cauſa dare licentiam celebrandi in loco non conſecrato: ergo etiam in loco conſecrato, & polluto. Bene verùm, quod ſem-

 per

per præ oculis habere debet Epiſcopus, & examinare, nùm rationabilis cauſa concurrens reguletur ab aliquo præcepto præponderante, reſpectu illius, de benedictione Eccleſiæ requiſita, vt in ea ſacrum celebrari poſſit.

550. Hinc putat Paſqualigus *cit. n.* 5. *&* 7. quod quia præponderat præceptum conficiendi, & miniſtrandi Viaticum, & audiendi ſacrum (intellige, quando in villa non adſit alia Eccleſia, ex qua Euchariſtia deferri poſſit, aut in qua Miſsa poſſit audiri) inde firmat, eſse prædictas cauſas rationabiles, ut ab Epiſcopo licentia celebrandi in loco polluto concedatur, & quo ad præceptũ audiendi ſacrum cum advertentia prædicta Paſqualigus id ipsũ repetit *de ſacrif. tom.* 1. *q.* 508. *n.* 6. & tenet a S. Joſeph *cit.* id exẽplificans in monialibus, quæ die paſchatis non eſsent audituræ ſacrum. Immo Baſsæus *in flor.* verbo *Miſſa* 4. *n.* 1. §. *petes tertio* docet, aliquando talem poſse urgere ne-

neceſsitatem, ut licitum ſit ſine licentia Epiſcopi, qui accerſiri non poſsit, ſacrum celebrari, de quo redibit ſermo infra *quæſt. ſeq.*

551. An autem etiam ſuffi-ciat ad obtinendam eamdem di-ſpenſationem, ſolemnitas, vi cu-jus populus magno concurſu ad Eccleſiam tunc pollutam con-currere ſolet? Affirmat Paſqua-ligus *dicta quæſt.* 371. *n.* 6. quia quamvis eo caſu nullum præce-ptum urgeret celebrandi; con-curreret tamen cultus ſpecialis, præcepto de non celebrando in Eccleſia polluta præponendus; qui ſane cultus non exhiberetur, ſi ſtante pollutione feſtum non celebraretur. Sed ego id nõ con-cederem in caſu publicæ pollu-tionis, ut in fidelium cordibus pœnarum Eccleſiaſticarũ metus imprimatur.

552. Quæſtio XLII. Si ur-gente aliqua ex cauſis prædictis aditus ad Epiſcopum nõ pateat, poterit nè abſque licentia in Ec-

cleſia polluta celebrari? Reſp. Affirmat ex Suarez, Fagundez, & Hieronymo Garçia Paſqualigus *dicta quæſt.* 371. *n.* 8. quibus addo Petrum a S. Joſeph *in Idea Theologiæ ſacr. lib.* 2. *cap.* 12. *reſol.* 2. §. *notandum* 2. Equidem eo caſu Miſsa ex licentia Epiſcopi celebratur, quamvis tacitâ, juxta ſupra dicta hic *quæſt.* 7. *n.* 440.

553. Quæſtio XLIII. Sacerdos in villa ſi ex confeſsione ſcit Eccleſiam eſse pollutam, an poſſet in ea celebrare, dummodo ex omiſsione ſacri nec damnum, nec verecundia ſequeretur pœnitenti, forte quia è villa non reverſurus diſceſsit? Reſp. Nec poſse, nec debere celebrare ſubſtinet Delugo *de ſacr. Pœnit. diſp.* 23. *n.* 125.

554. Sed poſse celebrare contra Lugonem uti probabilius ſubſtinet Tancredi *in quæſt. moral. par.* 1. *diſp.* 4. *quæſt.* 12. Ex Decreto enim Clementis VIII. anni 1593. 29. Maii *Sanctiſſimus* li-

liquet, ad externum regimen, nullo modo licere uti notitiâ confeſſionis: quod ſane Decretũ (transſcriptum habes & commẽtariis illuſtratũ apud Juniperum a Deprano *de caſib. reſ. in princ. operis*) licèt loquatur de ſuperioribus Regularibus, ad inſtructionem quorumcumque confeſſariorũ deſervire non vereor; & quòd quæcumque opinio ſacramentali ſigillo favens, & pœnitenti jucunda, amplecti debet, mihi ſuadeo.

555. Quæſtio XLIV. Poſt celebrationem unicam factam in Eccleſia polluta ex diſpenſatione Epiſcopi, an poſſit ulterius ſine ea nullâ urgente causâ celebrari? Reſp. Pro hac reſolutione eſt ſciendum, quod quamvis ſit celebris quæſtio apud Doctores, nùm Eccleſia polluta per ſacrificium in ea oblatum reconcilietur, nec ne? Tribus ſupra decem affirmantibus Doctoribus apud eumdem Paſqualigum *n.* 5. quibus addo Baſſęum *in Flor. Theol.*

*v.Miſſa s n.*2.Dianam *par.6. tr.6. reſol.*28. ubi putat, id tutum in praxi cum Perſico *de officio Sacerdotis lib.* 1.*dub.6. n.61.* & negantibus novem, quibus adjungo Leandrum *de ſacrif. Miſſæ diſp.7. q.*31. & Delgadillum *de Euchar. myſterio cap.* 16. *n.* 97. id ſupponentem: ego adhæreo Paſqualigo *dicta quæſt.* 509. *n.6. &* 11. prout in ſimili circa altare, & calicẽ adhæſi *ſupra n.* 53. *&* 54. *& n.* 184. *&*. 185. ſubſtinenti, Eccleſiam pollutam per celebrationẽ ſubſtantialiter reconciliari, non verò ritualiter; & propterea debent juxta Eccleſiæ ritum cæremoniæ ſuppleri *ex dictis n.* 54.

556. Hinc fit, quod cum pro affirmativa ſentẽtia certent Doctores undiq; graves, & ſapientes; poteſt Sacerdos ſequi opinionem, quam mavult, vel ſcilicet celebrando in Eccleſia polluta per ſacrificium reconciliata, vel non. Optime tamen faciet, ſi ſcandalo imminenti occurrat; & rectè Paſqualigus *cit. n.* 13. permit-

mittit celebrationem, quando nullum ſcandalum urgeret.

557. Quæſtio XLV. Ex quo paſſim animadvertimus, in villis (utinam non in Urbibus) Miſſas optari breves, quæ petulanti ab ore tamen fidelium eliminando titulo, venaticæ, appellantur: nō eſt abs re pauca pertingere de ſpatio, intra quod ſacrificium peragi debet, exponendo ſincere literam B. qua dicitur, brevitas Miſſæ indicari? Pro qua quęſtione

558. Reſpondeo non eſſe dubium, tantam moram ſacrificio impendendam, quantam Prudentes exiſtimant aptam ad ritè, & devotè ſacrificium peragendum cum ſuis ritibus: quod, ut obſervat Olalla *de la Miſſa rezada cap.* 4.*n.*15.in tribus conſiſtit, ſcilicet in recta pronunciatione, in cæremoniis peragendis, & in habenda debita attētione. Hanc autē morā variè expēdunt DD. ſiquidē Doctus, & pius Carthuſianus Anton. Molina *in inſtr. Sacerd. tr.* 3. *c.* 13. §.2.*&* *cap.* 14.*&* 15.putavit, rectè

agere Sacerdotem, qui tres horæ quadrantes, aut etiam horã ſacro inſumeret, ut ſuæ privatæ devotioni ſatisfaceret, quamvis inde orirentur in adſtãtibus ſcandala, murmurationes, tædia, &c.

559. Cotonius verò *in controverſ. celebr. lib.* 2. *contr.* 5. *n.* 104. autumat, ſacrificio non eſse tribuendum minus ſpatium ſemihorâ, nec plus duobus quadrantibus cum dimidio.

560. Theatini tamen ex conſtitutione capituli generalis celebrati *anno* 1618. non poſsunt protrahere ſacrum vltra horę ſemiſsem, nec contrahere minus triente, ut refert Maggius Doctor numquam ſatis laudatus *in Galateo religioſo diſquiſ.* 33. ubi ſuũ depromens ſenſum ſubdit: & vere ſemihoræ duratio devoto cuilibet ſatis erit.

561. Eodem Maggio referente Carmelitæ diſcalceati pro Miſsa privata publicè celebranda dimidiam circiter horam aſſignant. Sic etiam Societas Ieſu

ad

ad quod etiam ſpatium collimat Gobat.*in Theologicis exper.tom.*1. *par.*1.*tr.*3.*n.* 814. & 815. & Doctus ex eadẽ Societate Aſceta Nicolaus Lancicius *tom.*2. *opuſc.moral.opuſc.* 13.*lib.* 2. *in proœmio n.* 126. tria enumerat abſurda ſi ſemihora non impleatur in ſacrificio celebrando. *Primum* non poſsunt aptè, & integrè pronunciari multa verba Miſsæ. *Secundum* non poſsunt cæremoniæ reverenter compleri, ſed erunt tanquam geſticulationes quædam. *Tertium* nec attentio, & devotio poteſt eſse, ac intellectus verborum prolatorum a celebrante talis, qualis eſse debet in re tanti momenti.

562. Collimat etiam praxis Sacerdotum, illorum ſcilicet, qui miniſterium, ad quod aſsumpti ſunt, celebrando prę oculis dumtaxat habentes, cuncta, quæ ipſis tamquã ſcandaloſis ab auditoribus impicantur, deſpiciunt. Collimant tandem Gavantus *in rub. miſ. par.* 3. *tit.* 11. *n.*13. & Murga

tom.

tom. 2. quæſtionum canon. tract. 1. tit. 6. quæſt. unica n. 170. ubi expendentes litteram B. dixerũt; *Breviter, non ultra mediam horam, vel paulo ultra.*

563. Sentio, tempus congruũ, ſacroſancto Miſsæ ſacrificio tribuendum, eſse mediam circiter horam; quo certè nec devotioni aliquid detrahitur, nec ſacro intereſſentibus ſcandalum affertur. Moveor: quia ſi attendamus ad cæremonias, & actiones tum legendo, tum orando, tum denique operando Miſsæ exhibendas; hæ ſunt in tantâ copiâ, ut niſi habitus ad illas acquiratur, intra mediam horam nemo a ſacro expediri poteſt, prout obſervamus in novis Sacerdotibns tot, & tantis actionibus non aſsuetis.

564. Si verò attendamus ad maieſtatem tantæ actionis; hæc eſt ineffabilis, & ſufficit dicere, Angelos eidem aſſiſtendo contremiſcere; unde magnam exigit devotionem, & attentionem: cum igitur prudentes mediam circi-

ter

ter horam congruam exiſtiment, quis arguet Sacerdotem idem ſpatium ſacro insumentem?

565. De qua temporis morâ ſacro impendenda pro noſtra Panormitana Diœceſi non poteſt esse controverſia; nam poſt hæc ſcripta Illuſtriſſimus Dominus meus D. Ferdinandus de Bazan Archiepiſcopus Panormitanus ſuo eximio zelo, dum pro morũ reformatione manum admouiſſet, pro veneratione Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum, edictum publicavit, in quo inter alia vetuit, Missas celebrari celeres; & aſſignavit pro ſpatio, intra quod Sacerdos debet induere, & exuere ſacras veſtes, & celebrare, mediam horam.

566. Quod ſi dicatur, Sacerdotes ut plurimum à ſacro expediri intra quadrantem, & aliquãdo intra minus ſpatium cum adſtantium plausu, qui eò magis creſcit, quò breviori morâ ſacrũ abſolvitur: imo cum nonnulli Sacerdotes de feſtinatione glorientur

tur, cenſeantque illam non ſolum non repugnare cum devotione, & attentione requiſita, ſed etiam expedire, ne ſcandalo ſint fidelibus, & (quod pejus eſt) ſubſannent illos,quos dignitas tanti Sacrificii ſupra altare detinet; omninò videtur licita, & honeſta feſtinatio ; eſt namque calculo eorumdem miniſtrorum altaris firmata: ſi prædicta inquam dicantur reſpondeam, rem ita ſe habere: ſed deplorabilẽ eſſe. Velim tamen, quod Sacerdotes feſtinationem aucupantes, & de ea ſe jactantes, prolixioreſq; deſpicientes, perpenderent, nùm Miſſæ verba ſine mutilatione enuncient? Nùm omnia recitent? Nùm cæremonias peragant, eaſque ſtatutis modo, loco, & tempore? Cruces, an debito ſignent geſtu? Genuflexiones, nùm uſque ad ſoli contactum faciant? Nùm Rubricis inhæreant? Et tandem nùm ſe Sacerdotes altaris oſtendant? An potius verba tam indecorè proferant, vt admirationem

in-

ingerant, & aliquãdo etiam apud ipſoſmet laicos contemptibiles evadant? Aut, an ita mutilent; quod logici mutilatis verbis aptius, quam biltri uti poſſent? Nùmque longe plura ſint verba, quæ brevitatis gratiâ, & causâ comparãdi adſtantium affectum, prætermittant, quam quæ ineptè recitant? Cæremonias nùm dimittant, deturpent, anticipent, componant? Nùm cruces ſive ſuper ſe, ſive ſuper librum, aut ſupra populum, vel oblata ſignãdo, exprimant circulos, ſemicirculos, pentagonos, aliaſque figuras, quas univerſa Matheſis non excogitavit? Illaſque manu retorta, digitis curvis, disjunctis, in altum elatis, extra oblata, vel ſupra alterum? Genuflexiones nùm tantùm pauca, & inepta totius corporis flexione, aut judaico, ut ſolemus dicere, more, faciant? An a Rubricis deviando, abuſui illorum, qui Rubricas nec a limine ſalutarunt, conforment? Et demùm an potius ſe mimos, & hi-

hiſtriones, ut dolet Auguſtinus *infra*, demoſtrent; dum ſacras veſtes ineptè induant, oculos hinc inde ferant tum incedendo, tum ſupra altare, calicem vix componant, genua ridiculè geſtientes flectendo? Perpendāt igitur prædicta Sacerdotes feſtinantes, illorumque propugnatores, & inde dignoſcant, nùm ſit laudabile ſacrificando brevitatem ineptam ſectare; quam congruam moram expendere?

567. Quod ſi prædictis perpenſis cōprehēderint, id ſine defectibus, & culpis non tranſire: non debent quaſi obliti ipſorummet, zeli divini, charitatiſque proximi, quam notabiliter lædunt, ſcandalizando laicos, qui in Miſſa competentis ſpatii tædio afficiuntur operâ Sacerdotū, ita ſe gerere; dum rem tam dignam tractant: de cujus eminentia audiamus Chryſoſtomum. *Per id tempus*, inquit, *& Angeli Sacerdoti aſſident, & cæleſtium poteſtatum univerſus ordo clamores ex-*

excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum Choris plenus eſt, & dum tanto munere, & quidem immeritò, dignificantur; audiamus quæſo de muneris preſtantia Nazianzenum. *Tunc Sacerdos apud divinam Majeſtatem univerſæ Eccleſiæ legatione fungitur: igitur paucularum vocum omiſſio gravis eſt, ſuoque muneri graviter deeſt, ſi quidem ea ſacra legatio non verborum affluentia, ſed brevisſimarum ſententiarum pondere exercetur; paucæ voces omiſſæ grandibus petitionibus gravidæ erant.*

568. Si verò dicatur, brevitatem ſectari inculpabiliter poſſe; non credam, ſicut nec crediderunt Gobatus, & Coronius *locis citatis*, ille namque ait: *nec facile quis mihi perſuadebit ſe cõmuniter cum ſenſu pietatis, & ſine multis imperfectionibus intra horæ quadrantem finire ſacrum*: hic verò poſtquam enumeravit defectus, ſubdit. *Quæ omnia eo tendunt, ut ſacrificium quam citiſſime termine-*

tur:

tur: quod & ipſum per ſe improbari debet, utpote pugnans cum gravitate, & veneratione, qua tam ſancta actio, & tremendum adeo miniſterium peragi debet.

569. Nec credidit D. Auguſtinus *ſermone* 152. inquiens: *dolendum eſt pleroſq; Sacerdotes adeo breves eſſe, ut ſæpe in ſuſpicionem veniam, num multa dicenda omiſerint, vel an ſaltem nullâ debitâ ratione temporis, quo eſſent cæremoniæ faciendæ, & quo enunciandæ orationes omnia ſimul confundant: veriuſque leves mimi, & hiſtriones, quam gravi, & compoſiti Sacerdotes videantur.*

570. Confirmantur prędicta per hoc, quod videmus laicos Miſsas breves exoptãtes obmurmurare nimis celeriter ſacrificãtes; & e contra a Sacerdotibus devotis exactè cæremonias peragentibus ædificationem recipere; quod eſt maximum argumentum judicandi, brevitatem incongruã rem eſſe deteſtabilem. Non loquor de laicis timoratis, quorum de-

devotio non cæteris laicis, ſed ipſiſmet Sacerdotibus obiici poſſet: cujus inſigne refert exemplũ Macrus *in hierolex. v. Miſſa votiva.* de Carolo II. Duce Mantuæ, cujus capellanus *coram eodem Sabbato quatuor temporum celebraturus, dubitans ne illa prolixa Miſſa tædio afficeret ejus Domino, aliam Miſſam nempe votivam celebrare propoſuerat. At pius Dux Miſſam currentem celebrari juſſit, non enim, ajebat, ſibi viſurum fuiſſe longũ illud tempus, quod vivo horario Solis Divini, & Sacramenti commenſurabatur.* Subdit idẽ Macrus *diſcere debemus, quod ob tædium Rubricarum obſervantiæ in hoc incruento, veroque fidei articulo negligendæ minime ſunt.*

571. Solet nihilhominus pro brevitate allegari vitatio murmuris in adſtantibus. Sed hic eſt prætextus vanus, dixi; prætextus, quia feſtinandi cauſa nõ eſt allegatum murmur, ſed defectus pietatis, & reverentiæ tum in laicis, tum in Sacerdotibus: hi namque

fi-

finem, quem habent, eſt captare ſibi ſæcularium affectum, quo tamen deſtituti deluſi remanent. Audi D. Laurentiũ Juſtin. *tract. de regim. Prælat. cap.* 13. *Leviculi*, inquit, *iſti* Sacerdotes *efficiuntur contemptibiles, & inglorii, qui ſumma cum veneratione debuerant a plebibus honorari.* Sæcularium verò finem ſic exprimit iterum mœrens Auguſtinus *dolendum eſt, quod ſunt aliqui, & maximi potentes iſtius mundi, qui dum veniunt ad Ecelcſiam, non ſunt devoti ad laudes Dei; ſed cogunt Præsbyterum, ut abbreviet Miſſam; & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Eccleſiaſticum ſequi propter illorum gulam, & avaritiam, quatenus unus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum ſpatium ſimul cum nocte ad eorum deputetur voluptates.*

572. Sed demus, quod murmur adſtantium cauſam contrahendi Miſſas præbeat; reputandus forſan cauſa ſufficiens? Abſit. Ecce quo pacto reſpondet Gobatus

tus *cit.n.* 815. Quid ſi nonnulli ſcandalizentur, quando dimidiā horulam do rei tantæ? Reſp.cum Salvatore Matthęi 11.*Sinite illos, cæci ſunt* : ſcandalizantur hi non ex infirmitate, ſed malitiâ, ergo nulla habenda ratio ipſorum.

573. Et ad eumdē propoſitū ait Maggius *cit.* non nego tamen ex D.Thom. 2. 2. *q.* 43. *artic.* 7. (ſi de tolerabili morâ loquamur) non eſse dimittenda bona ſpiritualia (qualis eſt devota tanti ſacrificii celebratio) ob ſcandalū, quod nō ex ignorātia,neq;ex fragilitate,ſed ex malitia,& perverſa cōſuetudine procedit:probè enim ſciunt fideles, quāta altiſſimo ſacrificio debeatur reverentia, & eorū torpor nō ex fragilitate, ſed ex prava,& inveterata conſuetudine, rerumque cœleſtium nauſea exoritur, unde quam breviſſimas Miſſas expetunt.

574. Solet etiā pro cohoneſtāda feſtina celebratione afferri, quod majorē attentionē, & expeditiorē pronūciationē cōſequitur ſe-

feſtina, quã tarda ſacri celebratio: ergo ſectanda.

575. Sed reſpondet Olalla, *cit. n.*16. cujus codex quia rarus eſt, referam ejus verba. Y eſta es la regla, que dan los Theologos, y Sumiſtas, para el modo con, que ſe ha de rezar, y leer todo lo que ſe dize en la *Miſsa*, como quien habla con vn gran Rey, ò Principe ſobre negocios muy graves: porque dezir (como dizen algunos) que tienen mas atencion, y pronunciaciõ mejor, quando lo dizen de priſa, eſto es increible, ni aun los que lo dizen lo creeran aſſi, ſino es que hablan de gracia, ò cõ pertinacia, y porfia quierẽ defender, y ſuſtentar ſu mala coſtũbre; porq; el que procurare entender, y atender con actual atẽciõ a lo que dize, y haze (como es juſto que lo procuren todos) echarà de ver clariſſimamente el impedimenro que es para eſto el apreſurarſe, y el cuydado de acabar preſto, por muy exercitado que eſtè en la conſide-

deracion, y atencion. Hæc Olalla.

576 Et tãdem nonnulli etiam moventur ad feſtinam celebrationem, eò quia S. Philippus Nerius quando palàm celebrabat, nè adſtantes tædio afficeret, brevitatem amabat; cum verò occultè in oratorio, longam moram ducebat.

577 Sed falluntur. D. enim Philippus dicitur breuitèr in publico celebraſſe, reſpectiuè ad celebrationem in ſecreto,quę erat nimis prolixa: & nihilominus notandum, quòd in publica celebratione brevitatem ſupradictam cum tanta deuotione cõponebat, quòd adſtantes ad lacrymarum profuſionem non raro provocabat. Legantur Riccius *in vita eiuſdem Sancti lib.* 2. *cap.*1.*n.*15.& Criſpinus *in Schola eiuſdem lib.*5.*ſect.* 4. *n.* 3. *& ſeq.* qui plenè dictæ obiectioni ſatiſfacit.Cæterum ſi velimus brevitatem Miſsæ D.Philippi, (quæcumque illa fuerit) ſectari, nè

populos tædio afficiamus; ſectemur, & ſpiritum, vt illis exemplo eſſe poſſimus.

578 Deus bone! Mediæ horæ ſpatium congrua eſt mora pro Miſsa ritè celebranda ex conſenſu Doctorum celeberrimorum, & ex conſtitutionibus conſpicuarum Religionum, ac ex praxi, & obſervantia timoratorum; murmur adſtantium penes eos reſidet, quorum corda jam refrigeſcens charitas,& pietas ad nauſeam rerum divinarum provocavit, cur igitur ab ipſismetSacerdotibus culpabilis, ac reprehenſibilis celeritas propugnatur? Nonnè propugnatores debent ſe reos exiſtimare, eò quod ſunt cauſa refrigeſcentis reuerentiæ erga Sacrificium, dum laicos ad feſtinas celebrationes aſsuefaciunt? Caveant nè ſeverè à Deo puniantur: iam enim exclamat Sophonias *cap.* 3. *nu.* 4. *Sacerdotes eius polluerunt Sanctum*, ſcilicet, iuxta S. Cyrillum Alexandrinum, *obeunt ſacrificia*

ficia incautè, & negligenter. Et D. Epiphanius tempus ſacrificii *terribilem horam* appellans, ſtupefactus ſubdit: *& levis homuncio, audaciſſimus ſcurra ridiculum reddit! Quanta impudentia, quanta temeritas, æterno igne luenda!*

579 Caveant,& ipſi adſtantes nauſeam Sacrificii prolixi:cōtra quos exclamat Angelus Maria Verricelli apud eumdem Maggium *in fine*: Viri mahumetani ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: ipſi enim quinquies per ſingulos dies in moſcheas convenientes, nempe in aurora, in meridie, in occaſu, per horam cum dimidia ante, & poſt occaſum (refero, quæ inter eos diù commoratus obſervavi) tantâ confluunt frequentiâ,& ſilentio, reverentiâ, attentione, ut recogitantem me pudeat: taliſque precum Canon tam exactè cuſtoditur, ut qui tranſgreſſor compertus fuerit, tamquam in-

infamis à dicendo teſtimonio in judicio repellatur. Ita Verricellus.

579 Quæſtio XLVI. Quam culpam committant Sacerdotes feſtinè celebrantes? Reſpondet Verricellus *in quæſt.moral.& legal.tract.8.quæſt,53.n.1.* his verbis: Si tanta ſit acceleratio, feſtinantia, ac fuga, ut nimis indecorè magna cæremoniarum confuſione, atque cum graui irreverentia tremendum, & admirabile ſacrificium celebretur; ac proinde cum grandi fidelium ſcandalo, offenſione, & irriſione; quamvis nulla oratio omittatur, erit certiſſimè tunc peccatum mortale.

CA-

CAPVT II.

De Sacramento Euchariſtiæ.

581 DVbia, quæ crebrò Sacerdotibus, ac fidelibus in Villis obviam ire ſolent circa Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, quod in ſui ineffabilis amoris argumentum Pientiſsimus Redemptor nobis propoſuit, vel ad jejunium naturale ſpectant, vel ex parte materiæ remotæ, aut adminiſtrationis, ſe tenent: ideo totam illius tractationem intra fines noſtri inſtituti tribus ſectionibus comprehendimus, agendo *primò* de Jejunio naturali, *ſecundò* de materia utriuſque ſacramentalis ſpe-

ciei, & tandem *tertiò* de illius adminiſtratione, & ſumptione.

SECTIO PRIMA.

De Ieiunio naturali.

582 Corporalis diſpoſitio ad Euchariſtię Sacramentum ſuſcipiendum præcipuè requiſita (non Jure Divino, ut putavit Sotus *in 4. diſt. 12. q. 5. art. 8.* & probabile exiſtimarunt Scotus, & Gabriel, ſed eccleſiaſtico ab Apoſtolis derivata, & per uniuerſum orbem propagata, ut per D. Auguſtinum relatum *in can. liquido de conſecr. diſt. 2.*) jejunium eſt, non quodlibet, ſed naturale, quod ſcilicet importat privationem cujuſcũque (etiam modiciſsimi) præaſſumpti per modum cibi, vel potus, ut loquitur Angelicus Magiſter *par. 3. q. 80. artic. 8. ad 4.*

583 Dixi, *non jure Divino*: quia certum mihi eſt, jejunium

na-

naturale à poſitivo præcepto imperari: ad quod evincendum ſufficit aſserere, Carolum V. Romanorum Imperatorem injejunum communionem ſumpſiſse ex indulto Summi Pontificis teſte Gobat *in exper.Theol. par.1.tom.1.tract.4. n.317.* quod niſi à jure poſitivo dimanaſset, profectò Pontifex non diſpenſaſset; qua enim auctoritate leges conduntur, eâdem relaxantur.

584 Addidi: *etiam modiciſſimi*: ut pateat, quod in jejunio naturali non datur parvitas materiæ, ut dicemus infra num. 599. & ſeq. quod ſi aliquis non jejunus miſsam celebret abſq; legitima cauſa, is hæreſis ſuſpicionem incurrit, & ab Inquiſitoribus puniri poteſt. Alberghinus *in man.qualif.cap. 23.n. 3.*

585 Plura autem dubia Sacerdoti in Villa ob peculiares circumſtantias, vel horologiorum defectum offerri poſſunt circa Jejunium natu-

rale; ideo illa per ſequentes quęſtiones explanare noſtrum hic erit.

586 Quæſtio I. Sacerdos in Villa an poſsit mane celebrare, ſi præcedenti nocte edit, vel bibit cum dubio, num mediam noctem cænando exceſserit ob defectum horologii? Reſp. Negat Tho: Sanchez *de matr. lib.*2. *diſp.*41.*n.*40. *& alij.* Negat item Tambur. *in metbodo comm. cap.* 2. §.7. *n.*29. & repetit *in Decalogum lib.* 1. *cap.*3. §. 7. verbo *Eucbariſtiæ ſuſceptio.* Breſserus *de conſcient. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 104. addens tamen oppoſitum eſse tenendum, quando ſequeretur notabile incommodum, vt amiſſio plenariæ indulgentiæ, &c.

587 Affirmat Diana *par.*10. *tract.* 12. *reſol.* 17. Bardi *de cõſcien. diſcep.* 6. *cap.* 11. *par.* 3. §. 1. *n.* 2. quem, & alios ſequitur Paſqualigus *de Ieiun. deciſ.* 446. *num.* 3. quorum ſententia longè eſt communior, quamque pro-

ba-

babilem putat ſtante auctoritate Doctorum, qua fulcitur, Tamburinus *cit.* & mihi arridet: quia jus certum, quod quisque habet, communicandi, non poteſt reſtringi per jus Eccleſiæ pręcipientis ieiunium naturale ad communionem, quod quamvis in ſe ſit etiam certum, in figurato tamen caſu eſt dubium, ac proinde enerue in ordine ad derogandum ei, quod eſt certum.

588 Nec obſtat ratio Tamburini, dicentis: quod cum ſit certa comeſtio, poſſeſſio ſtat pro pręcepto: nam reſpondeo; quod comeſtio ad propoſitum noſtrum, vt ſit certa, debet eſſe etiam certum tempus comeſtionis, ſcilicet, poſt mediam noctem; proinde cum hoc ſit dubium, ſequitur, quod comeſtio excluſiua ieiunij ſit etiam dubia, & per conſequens libertas ſuâ gaudere debet poſſeſſione. Cæterum nè hic immoremur contra inſtitutum, lectorem re-

mitto ad Paſqualigum, & Bardũ *citatos*, qui latè vtriuſq; ſententiæ rationes afferunt.

589 Non obſtat item, quod in dubjis ſiue iuris, ſiue facti in foro poli tutior pars ſit eligenda: quia ly *tutior* in prædicto vulgato axiomate non dicitur comparatiuè, quaſi quod oppoſita ſit tuta, ſed aduerſatiuè, quatenus oppoſita non ſit tuta, & expers periculi, vt rectè ponderat Auguſt. de Angelis *de opin. prob. ſect.* 4. *fol. mihi* 200. §. *Dixi tertio.* Hinc dum affirmatiua ſententia nullum continet peccandi periculum, vel propter pondus rationum, vel ob auctoritatem Doctorum, aut tandem quia, vt docet Paſqualigus *de ieiun. deciſ.* 445. *n.* 7. quando dubitatur, nùm lex comprehendat caſum, vt in quæſtione, in qua verſamur, rectè concluditur, quod amplecti poteſt.

590 Non ommitto tamen contra Breſſerum *cit.* aduertere, mihi non placere, quod aſſerit,

poſ-

poſse, ſcilicet, communionem permitti in caſu, quo immineret notabile incommodum, aut amiſſio plenariæ indulgentiæ: nam tunc jejunium vel non eſt violatum, & nulla requiritur causa ad communionem: aut eſt violatum; & nulla ex dictis cauſis cõmunionem cohoneſtabit.

591 Hinc meritò Tho: Delbene *in tract. mor. tract.* 3. *dub.* 8. *n.* 3. noſtram tuetur ſententiam, & permittit poſse celebrari etiam quãdo ſacrificandi nulla neceſsitas cogit, sed tantùm ſimplex deuotio ad ſacrificium impellat, quod plauſibilius videtur Cabrino *in direct. ordinand. cap.* 31. *n.* 170.

591 Queſtio II. Sed quid dicendum, ſi Sacerdos expergefactus à somno bibat, & mane dubitet, nùm id euenerit antè, vel poſt mediam noctem, poterit nè mane celebrare? Resp. Negant etiam Doctores, qui affirmarunt in caſu præcedenti non ſolùm, ſcilicet, Tamburinus *dicto* verbo *Sac. in Villa.* T 6 po-

Eucharistiæ ſusceptio nu. 1. qui ſolùm probabilē agnouit affirmatiuam reſponſionem: verùm etiam Bárdus *cit. nu.* 14. *& ſequen.* qui eam pro viribus propugnauit.

593 Quod ſi quæras diſparitatem inter vtrumque caſum, qui omninò ſimiles videntur, illam dabit Tamburinus *cit. nu.* 3. eò quia in præcedenti caſu poteſt adhibere diligentias ad tollendum dubium, quod ſi ijs adhibitis adhuc dubium vrgeat, prudens erit reſolutio, & ſententia pro ſua libertate prolata: non ſic in caſu præſenti, vbi imprudenter se gereret determinando pro sua libertate, quando nullas diligentias adhibere poteſt. Ad hanc reſponſionem reducitur illa Bardi. Sed an cōuincant? Iudicent viri Docti: fateor meā imbecillitatem ad diſparitatem non pertingere, cum etiam æſtimari poſſet prudens iudicium Sacerdotis in præsēti caſu, ſi fecerit eas reflexiones, quas

po-

potuit, quamuis poſt eas anceps remáſerit, & ſi non potuit; cur libertas non prævalebit? quod fortè perpendens Ingenioſiſſimus Tamburinus *dicto nu.* 3. *in fine*, iam dixit, eam diſparitatem fortè aliquibus nõ placere, quãuis putauerit in re morali ſatis ſuperquè eſse.

594 Poſt hæc ſcripta incidi in Paſqualigum *de ieiunio* editionis poſterioris in appendice *decis.* 466. qui impugnans rationes Bardi videtur concludere, Sacerdotem prædictum non eſse impeditum, magis quod *deciſione antecedenti ſcilicet* 465. *nu.* 3. vt certum prædocuerat, quod dubius negatiuè an ſit jejunus, poteſt ſumere Euchariſtiam. Eamdem ſententiam docere debet Diana *dicta parte* 10. *tract.* 12. *reſolut.* 17. *in fine.* ſic concludens: Dicendum eſt itaque (ſiuè dubium ſit ſuprà tempus, ſiuè ſupra comeſtionem) poſse quẽlibet mane ſumere Euchariſtiam.

Quæ-

595 Quæſtio III. Sacerdos in villa non habens niſi vnum horologium, ſi non abſtinuit à comeſtione audito primo pulſu mediæ noctis, ſed in ea proſequutus fuit vſque ad vltimum (excluſiuè), an poſſit manè celebrare? Reſp. Supponitur hìc, quod quando habentur plura horologia non manifeſtè falſa, liberum ſit vnicuique ſequi horologium, quod mauult. Paſqualigus *de Ieiunio deciſ.* 444. *nu.* 2. imò euenire poteſt, quod etiam ſi quis pranderit vſque ad vltimum pulſum non ſolùm incluſiuè, verùm & poſt illum, ſi alterum horologium non ſonuerit, non cenſeatur impeditus, & meritò, quia ex communi conſtat, quod vnumquodque horologium non apertè falſum ſe habet tamquam opinio probabilis. Gobat *in exper. Theolog. par.* 1. *tom.* 1. *trac.* 4. *nu.* 274. (quæ ratio parùm arridet Paſqualigo *cit. n.* 3. quod an rectè, non eſt hujus loci) & ſicut ex opinionibus

pro-

probabilibus eligi poteſt quælibet, ita ex horologijs. Delbene *in trac. moralib. trac.* 3. *dubit.* 8. *num.* 7. & communis; quidquid in contrarium aſſerat Merolla *tom.* 1. *Teolog. moral. diſput.* 3. *cap.* 3. *num.* 139.

596 Reſpondetur igitur ad quæſtionem, de eo, qui protraxit comeſtionem ad vltimum pulſum, etiam excluſiuè, an poſsit celebrare? Negat Caſtrop. *tom.* 1. *trac.* 1. *diſp.* 3. *pun.* 8. *num.* 10. *ad tertium.* Diana *par.* 3. *trac.* 4. *reſolut.* 36. At affirmat Leander *de Sacram. Euchar. diſp.* 5. *queſt.* 7. Vndè qui maſticans buccellam panis audiuit primum pulſum mediæ noctis in ſententia negatiua, vel vltimum in ſententia affirmatiua debet illam ſtatim expuere, vt notat Sancius *in ſelectis diſp.* 42. *nu.* 20. (quidquid aſſerat Leander *cit. quæſt.* 17. concedens vti probabile trajectionem buccellæ etiam poſt vltimum pulſum ſinè violatione jeiunii, de quo *num. ſequenti.*

Adhæ-

597 Adhæreo negatiuæ ſẽtentiæ: quia ex primo pulſu indicatur mediæ noctis complementum; nec refert, quod ſequãtur alij pulſus; id enim euenit, quia vno pulſu mediã nox indicari uon poteſt. Sententiam, quã ſequimur inter alios ſectatur De Lugo *diſp.* 15. *n.* 37. apud Leandrum *cit. quæſt.* 7. ſubdens, & rectè id procedere etiam in primo pulſu horologij deſignantis quadrantes horæ, quo ſanè audito ceſsari debet ab eſu, vel potu.

598 Dixi, quidquid aſserat Leander &c. in cuius ſententiam inclinare videtur Tonellius *in ſacro enchirid. lib.* 1. *cap.* 1. §. 5. *nu.* 1. Quia ſentio quod ſi buccella traijciatur in ſtomacum pulſata mediâ nocte, licet ori fuerit impoſita ante illam, jejunium violat naturale, vti ſpectans ad comeſtionem ſequentis diei.

599 Nec juvat Leandrum ratio, quòd quidquid non imponitur hodie ori ab extrinſeco, non impedit communionẽ: quia, ſi hoc

ſi hoc eſset verum, ſequeretur, quod poſset quis appoſitè ori imponere paulò antè mediã noctem pomum maſticandum, & traijcendum poſt mediam noctem ſiue immediatè, ſiue poſt longam temporis intercapedinẽ, abſque eo quod jeiunium naturale in aliquo lædatur, quod eſt abſurdum, vt de bolo carnis põderat Coton. *lib.* 2. *contr.* 4. *num.* 78. undè quamvis plures Doctores firment, quod reliquiæ præcedentis diei, ſi traijciuntur, jeiunio non obſiſtant, etiam ſi voluntariè traiiciantur, inter quos Paſqualigus *in praxi ieiun. Eccl. deciſ.* 477. *nu.* 4. vel quia non deglutiuntur actione manducatiua, vel quia ſpectant ad præcedentis diei eſum; rectè tamen alij, & grauiſsimi id limitant, quando voluntariè deglutiuntur. Sic Gauant. *in rub. miſs. par.* 3. *tit.* 9. *nu.* 3. Coton. *lib.* 2. *contr.* 4. *nu.* 78. idque meo judicio clarè deſumitur ex Rubrica *de defectibus num.* 3. ubi hæc haben-

bentur: Si reliquiȩ cibi remanentes in ore tranſglutiātur, non impediunt communionem, cum nō trānſglutiātur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ; idem dicendum, ſi lavando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem. Ex cujus poſtremis verbis rectè arguitur, quod ſi ſtilla aquæ ex propoſito deglutiatur, illa jejunio officiet; ergo idem dicendum erit de reliquijs cibi ex propoſito deglutitis.

Hinc quamvis Diana apud, & cum Auerſa *de Eucha. Sacram. quæſ.* 8. *ſect.* 8. verſu 5. *in fine* probabile putauerit, reliquias poſſe appoſitè deglutiri, monet tamen eſse expuendas, ſi illas eſse in linguam deductas aduertat.

600 Præceptum eccleſiaſticum de naturali jeiunio, licèt adeo graue ſit, quod materiæ parvitatem minimè admittat ſecundum communem Doctorū (quid quid aliter nonnulli ſentiant) non per hoc tamen aliquando haud licebit illo non ſeruato ad

Eu-

Euchariſtiam accedere: propterea communiter docent Doctores, quod concurrente rationabili cauſâ illud antè Communionem omittere fas erit. Rationabilis sanè cauſa tunc concurrere dicitur, quando ratio invenit majorem indecentiam in omittenda communione, quàm in communicãdo poſt cibum, ut loquitur Coton. *lib.*2. *contr.* 4. *nu.* 92. Quando autem major indecentia, ſeu rationabilis cauſa Sacerdotem in villa urgeat ut in jeiunus celebrare poſsit, ex paulò infrà dicendis dignoſci poterit.

601 Dixi, quidquid aliter nonnulli ſentiant; ut pateat, quod Paſqualigus *in deciſ. mor. deciſ.* 335. & iterum *in praxi de ieiunio deciſ.* 440. conatus eſt defendere, quod in jeiunio naturali detur parvitas materiæ, quem tamen reijcit Diana *par.* 6. *trac.* 8. *reſolut.* 8. cujus tamen rationibus licèt conetur reſpondere *in praxi de ieiunio deciſ* 440. *per totam*; adhuc

huc tamen illius ſententiam non admittendam cenſet Coton *cit. n.*75. referens Boſſium, & Leandrum apud Dianam *par.* 10. *trac.* 16. *reſolut.*48. Paſqualigum impugnantes. Equidem ex Toletano Concilio VII. (quod per extenſum refert nouiſſimè Eminen. de Aguirre *in collect. max. concil. Hiſpan. tom.* 2. *fol.* 522. relato in cap. *nihil* 7. *quæſt.* 1. conſtat, quod nullus poſt cibũ, potumquè quemlibet minimum ſumptum miſſas facere præſumat: ex quo patet, quod cum non prohibeatur ab Eccleſia cibi, aut potus ſumptio antè Communionem, ſed Communio poſt cibum, vel potum, etiam modicissimum, vt obſeruat idem Cotonius, quælibet paruitas materiæ excludi debet; materia enim quæ eſt obiectum prohibitionis, eſt ſumptio Euchariſtiæ poſt cibum, & potum, quamuis modiciſsimum, quæ paruitatem etiam excludit, ſed his præhabitis ſit.

602 *Quæſtio* IV. Sacerdos ſo-

ſolus in villa, & hic inieiunus, an poſsit ob carentiam Euchariſtiæ celebrare; vt viaticum miniſtret, ſi alter jeiunus Sacerdos haberi non poſſit? Reſp. De hac quæſtione nonnulla tetigimus ſuprà *Cap.* 1. *nu.* 403. præter quæ reſpondetur, quod Negat absolutè ex Paludano, & Turrecremata Duranti *de rit. Eccl. lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 7. quoniam non videtur præceptum Viatici obligare, niſi quando Sacramentum decenter confici, & ſumi poteſt. Affirmat abſolutè Delgadillo *de Euchar. myſter. cap.* 16. *nu.* 21. & Thomas Hurtado *tom.* 2. *var. reſolut.tract.* 11. *à nu.* 310. *ad* 320. ubi latè concluſionem probat.

602 Diſtinguit Delugo *diſp.* 15. *nu.* 67. apud eumdem Leandrum, affirmativam, ſcilicet, ſententiam admittens in caſu, quo moribundus aliud Sacramentum præter Viaticum ſuſcipere non poteſt, & ſcandalum ceſſet, aliàs ſecus.

603 Adhæreo affirmantibus: quià

quià præceptum Divinum Viatici prævalere debet eccleſiaſtico jejunii naturalis; quæ ſententia etiam nonnullis Auctoribus contrariis non diſplicuit: undè quamuis Leander *cit.* ſententiam negativam propugnaverit, affirmativam tamen non ſolùm probabilẽ exiſtimavit, verùm etiam in praxi amplecti poſſe, docuit.

604 Nec obſtant dicta à nobiſ *nu.* 131. ubi negavimus, poſſe celebrari missam ſinè omnibus sacerdotalibus indumentis Viatici causâ: ergo nec concedi debet Sacerdoti injejuno pro eadem causa celebrare. Non obſtant inquam; quià non eſt adeò diſſonum celebrare inieiunè, quàm ſine omnibus ſacris indumentis, & ideò communis Doctorum illud permittit, hoc verò minimè; & per conſequens fit, quod regula docens, quod præceptum Viatici obligat, quando legitimè confici poteſt, non habet locum in caſu inieiunè celebrandi, habere tamen in eo

ce-

celebrandi ſine veſtibus.

605 Aduertere non omitto Delugo *diſ.* 20. *nu.* 44. docuiſſe non eſse celebrandum ſacrum ab inieiuno, quando ieiunium naturale violauerit per ſumptionem purificationis in miſsa ſumptæ. Sed de hoc jam diximus *nu.* 403.

606 Quæſtio V. Sacerdos in villa ſtante negatiua ſententia, an ſaltem poſſit ad dandum Viaticum infirmo non ieiunus celebrare, quando vrget ſcandalum? Resp. Negat adhuc Nauar. *in ſum. cap.* 21. *nu.* 53. At Affirmat Leander *de Euchar. diſp.* 5. *quæſ.* 20. versu *an autem.* Jure namquè naturæ ſcandalum vitare tenemur; ideò Angles *in* 4. *quæſt. de ſuſcip. Euchar. artic.*6. *difficul.* 1. *concluſ. vnica ſol. mihi* 107. ait, quod ſi in aliquo oppido eſset unus tantùm Sacerdos, qui die Natalis poſt mediam noctem jejunium naturale ſolviſſet, teneretur profectò rem ſacram perficere, ſi alius Sacerdos

re-

reperiri non poſſet, nè populum ſcandalizaret, cum ei ex officio celebrare incumbat. Vide infra hìc quæſt. 14

607 Quæſtio VI. Sacerdos in villa an poſſit inieiunus celebrare ob mortis timorem incuſſum fortè ab aliquo, qui miſſam audire vult? Resp. Si abeſt fidei contemptus, affirmat Coton *lib. 2. controu.* 4: *nu.* 102. quis enim dicet leges eccleſiaſticas cum tãto rigore obligare? Ità etiam Requeſenius *in p. 2. D. Tho. lib. 2. diſp.* 15. *nu.* 66. Volpe *in reſolut. mor.* verbo *Eucharistia reſolut.* 60. *n.* 9. vbi aduertit, quod caſus iſte impoſſibiliter euenire poteſt; cũ nequeat effingi deuotio in eo, qui eſt paratus occidere innocentem: quod ſi eveniet, metus debet eſſe cadens in conſtantem virum. Affirmat etiam ex Hurtado Leander *de Euchar. diſp.* 5. *q.* 37. ubi docet quod tutò poterit Sacerdos (verba ſunt eiuſdem Doctoris) non jeiunus ſacrificare, caſu quo prin-

princeps non ex odio Religionis aut cæremoniarum Miſsæ, vim illi inferat, grauia damna minitando.

608 *Q*uæſtio VII. Sacerdos in villa, à qua abeſt medicus, quam certitudinem habere debet periculi mortis, vt poſsit infirmo injejuno Viaticum miniſtrare? Reſpondeo Moralem, nec ſcrupuloſè illam diſcutere debet: nè dùm ſcrupuli morantur (inquit Quart. *in rubric. miſs.par.3.tit.9.ſect.1.dub.6.cauſa* 3.verſu *colligitur ſecundo*) infirmi moriantur ſine Viatico.

609 Quæſtio VIII. Sacerdos in villa ubi invaſio infidelium, aut hæreticorum timetur; vel ob incendium, aut inundationem, an poſsit non jejunus, ſi jejunus præſto non ſit, ſacramentales ſpecies ſumere, ut imminentem irreverentiam effugiat? Reſp. Affirmat Coton. *lib.2.controu.4.n.*92.quod ipſum eſtimarem locum habere, quandò irreverentiam timet ob in-

vaſionem latronum, qui pixide furatâ ſpecies ſacramentales in locis immundis proiicere poſſunt, dummodò rationabiliter irreverentia timeatur.

610 Quæſtio IX. In prædictis eventibus adeſt ſecularis jejunus, & Sacerdos non jejunus; quis in ſacrarum ſpecierum ſumptione præferendus? Reſp. Laicus jejunus, non tamen manibus propriis ſumet, ſed Sacerdotis Coton. *cit. nu.* 93.

611 Quæſtio X. In iiſdem eventibus an non solùm posſit, verum etiam teneatur Sacerdos, vel Laicus ſacramentales ſpecies ſumere? Reſp. Affirmat Leander *de Euchar. diſp.* 5. *quæſ.* 36. quilibet namquè tenetur, nedùm Venerabile Sacramentum reverenter tractare, verùm etiam quamlibet irreuerentiam ab illo auertere.

612 Quæſtio XI. Si propter timorem hæreticorũ E.G. Sacerdos in villa fugeret non ſumptis ſpeciebus vini conſecrati, an

poſ-

poſſet laicus has ſumere? Resp. Affirmat Mendo *in append. ad epit. tit. de Euchar. nu.* 5.

613 Quæſtio XII. Sacerdos in villa ſi poſt conſecrationem advertit ſe eſse injejunum, fortè quia fructum arboris deguſtauit, quid faciet? Resp. Non ieiunus poteſt, & debet ſacrificium perficere. Coton. *lib.* 2. *controu.* 4. *nu.* 103.

614 Quæſtio XIII. Quid ſi aduertat ante conſecrationem? Resp. Salazar *in promptuar. mor. trac.* 5. §. 3. *in princip.* putat, quod ſi aducrtat ante canonem, debet Sacerdos reverſus ad populum manifeſtare se eſse injejunum; proinde, cum jejunium ſacri canones requirant, dicere populo debet, quod nequit celebrare. Hujusmodi Sacerdotis geſta, putat idem Doctor, non eſse scandaloſa, ſed puram gignere admirationem.

615 Cotonius verò *cit. nu.* 103. firmat, quod ſi Sacerdos poteſt absque nota infamiæ, aut

vaſionem latronum, qui pixide furatâ ſpecies ſacramentales in locis immundis proiicere poſſunt, dummodò rationabiliter irreverentia timeatur.

610 Quæſtio IX. In prædictis eventibus adeſt ſęcularis jejunus, & Sacerdos non jejunus; quis in ſacrarum ſpecierum ſumptione præferendus? Reſp. Laicus jejunus, non tamen manibus propriis ſumet, ſed Sacerdotis Coton.*cit. nu.* 93.

611 Quæſtio X. In iiſdem eventibus an non solùm posſit, verum etiam teneatur Sacerdos, vel Laicus ſacramentales ſpecies sumere? Reſp. Affirmat Leander *de Euchar. diſp.* 5. *quæſ.* 36. quilibet namquè tenetur, nedùm Venerabile Sacramentum reverenter tractare, verùm etiam quamlibet irreuerentiam ab illo auertere.

612 Quæſtio XI. Si propter timorem hæreticorũ E.G. Sacerdos in villa fugeret non ſumptis ſpeciebus vini conſecrati, an poſ-

poſſet [illegible] [illegible] Affirmat [illegible] *ad epiſt. tit. de Euch*[illegible]*. nu.* [illegible]

613 Quæſtio XII. Sacerdos in villa ſi poſt conſecrationem advertit ſe eſse injejunum, fortè quia fructum arboris deguſtauit, quid faciet? Reſp. Non ieiunus poteſt, & debet ſacrificium perficere. Coton. *lib.* 2. *controu.* 4. *nu.* 103.

614 Quæſtio XIII. Quid ſi aduertat ante conſecrationem? Reſp. Salazar *in promptuar. mor. trac.* 5. §. 3. *in princip* putat, quod ſi aduertat ante canonem, debet Sacerdos reverſus ad populum manifeſtare ſe eſſe iniejunum; proinde, cum jejunium ſacri canones requirant, dicere populo debet, quod nequit celebrare. Hujusmodi Sacerdotis geſta, putat idem Doctor, non eſse ſcandaloſa, ſed puram gignere admirationem.

615 Cotonius verò *cit. nu.* 103. firmat, quod ſi Sacerdos poteſt absque nota infamiæ, aut

Sac. in Villa. V 2 ſcan-

597 Adhæreo negatiuæ ſẽtentiæ: quia ex primo pulſu indicatur mediæ noctis complementum; nec refert, quod ſequãtur alij pulſus; id enim euenit, quia vno pulſu mediã nox indicari uon poteſt. Sententiam, quã ſequimur inter alios ſectatur De Lugo *diſp.* 15. *n.* 37. apud Leandrum *cit. quæſt.* 7. ſubdens, & rectè id procedere etiam in primo pulſu horologij deſignantis quadrantes horæ, quo ſanè audito ceſsari debet ab eſu, vel potu.

598 Dixi, quidquid aſſerat Leander &c. in cuius ſententiam inclinare videtur Tonellius *in ſacro enchirid. lib.* 1. *cap.* 1. §. 5. *nu.* 1. Quia ſentio quod ſi buccella traijciatur in ſtomacum pulſata mediâ nocte, licet ori fuerit impoſita ante illam, jejunium violat naturale, vti ſpectans ad comeſtionem ſequentis diei.

599 Nec juvat Leandrum ratio, quòd quidquid non imponitur hodie ori ab extrinſeco, non impedit communionẽ: quia, ſi hoc

ſi hoc eſset verum, ſequeretur, quod ſpoſset quis appoſitè ori imponere paulò antè mediã noctem pomum maſticandum, & traijcendum poſt mediam noctem ſiue immediatè, ſiue poſt longam temporis intercapedinẽ, abſque eo quod jeiunium naturale in aliquo lædatur, quod eſt abſurdum, vt de bolo carnis pōderat Coton.*lib.* 2. *contr.* 4. *num.* 78. undè quamvis plures Doctores firment, quod reliquiæ præcedentis diei, ſi traijciantur, jeiunio non obſiſtant, etiam ſi voluntariè traiiciantur, inter quos Paſqualigus *in praxi ieiun. Eccl. deciſ.* 477. *nu.* 4. vel quia non deglutiuntur actione manducatiua, vel quia ſpectant ad præcedentis diei eſum; rectè tamen alij, & grauiſsimi id limitant, quando voluntariè deglutiuntur. Sic Gauant. *in rub. miſs. par.* 3. *tit.* 9. *nu.* 3. Coton. *lib.* 2. *contr.* 4. *nu.* 78. idque meo judicio clarè deſumitur ex Rubrica *de defectibus num.* 3. ubi hæc haben-

bentur: Si reliquiæ cibi remanentes in ore tranſglutiãtur, non impediunt communionem, cum nõ tranſglutiãtur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ; idem dicendum, ſi lavando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem. Ex cujus poſtremis verbis rectè arguitur, quod ſi ſtilla aquæ ex propoſito deglutiatur, illa jejunio officiet; ergo idem dicendum erit de reliquijs cibi ex propoſito deglutitis.

Hinc quamvis Diana apud, & cum Auerſa *de Eucha. Sacram. quæſ.*3.*ſect.*8. verſu 5.*in fine* probabile putauerit, reliquias poſſe appoſitè deglutiri, monet tamen eſse expuendas, ſi illas eſse in linguam deductas aduertat.

600 Præceptum eccleſiaſticum de naturali jejunio, licèt adeo graue ſit, quod materiæ parvitatem minimè admittat ſecundum communem Doctorũ (quidquid aliter nonnulli ſentiant) non per hoc tamen aliquando haùd licebit illo non ſeruato ad

Eu-

Euchariſtiam accedere: propte-reà communiter docent Doctores, quod concurrente rationabili cauſâ illud antè Communionem omittere fas erit. Rationabilis sanè cauſa tunc concurrere dicitur, quando ratio invenit majorem indecentiam in omittenda communione, quàm in communicãdo poſt cibum, ut loquitur Coton. *lib.* 2. *contr.* 4. *nu.* 92. Quando autem major indecentia, ſeu rationabilis cauſa Sacerdotem in villa urgeat ut in jeiunus celebrare poſsit, ex paulò infrà dicendis dignoſci poterit.

601 Dixi, quidquid aliter nonnulli ſentiant; ut pateat, quod Pasqualigus *in deciſ. mor. deciſ.* 335. & iterum *in praxi de ieiunio deciſ.* 440. conatus eſt defendere, quod in jeiunio naturali detur parvitas materiæ, quem tamen reijcit Diana *par.* 6. *trac.* 8. *reſolut.* 8. cujus tamen rationibus licèt conetur reſpondere *in praxi de ieiunio deciſ* 440. *per totam*; adhuc

huc tamen illius ſententiam non admittendam cenſet Coton *cit. n.*75. referens Boſſium, & Leandrum apud Dianam *par.* 10. *trac.* 16. *reſolut.*48. Paſqualigum impugnantes. Equidem ex Toletano Concilio VII. (quod per extenſum refert nouiſſimè Eminen. de Aguirre *in collect. max. concil. Hiſpan. tom.* 2. *fol.* 522. relato in cap. *nihil* 7. *quæſt.* 1. conſtat, quod nullus poſt cibū, potumquè quemlibet minimum ſumptum miſsas facere præſumat: ex quo patet, quod cum non prohibeatur ab Eccleſia cibi, aut potus ſumptio antè Communionem, ſed Communio poſt cibum, vel potum, etiam modiciſſimum, vt obſeruat idem Cotonius, quælibet paruitas materiæ excludi debet; materia enim quæ eſt obiectum prohibitionis, eſt ſumptio Euchariſtiæ poſt cibum, & potum, quamuis modicisſimum, quæ paruitatem etiam excludit, ſed his præhabitis ſit.

602 *Quæſtio IV.* Sacerdos

ſo-

ſolus in villa, & hic inieiunus,an poſsit ob carentiam Euchariſtiæ celebrare; vt viaticum miniſtret, ſi alter jeiunus Sacerdos haberi non poſſit? Reſp.De hac quæſtione nonnulla tetigimus ſuprà *Cap.* 1. *nu.* 403. præter quæ reſpondetur, quod Negat absolutè ex Paludano, & Turrecremata Duranti *de rit. Eccl. lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 7. quoniam non videtur præceptum Viatici obligare, niſi quando Sacramentum decenter confici, & ſumi poteſt. Affirmat abſolutè Delgadillo *de Euchar. myſter. cap.*16. *nu.*21. & Thomas Hurtado *tom.* 2. *var. reſolut.tract.*11.*à nu.*310.*ad* 320. ubi latè concluſionem probat.

602 Diſtinguit Delugo *diſp.* 15. *nu.* 67. apud eumdem Leandrum, affirmativam, ſcilicet, ſententiam admittens in caſu, quo moribundus aliud Sacramentum præter Viaticum ſuſcipere non poteſt, & ſcandalum ceſſet, aliàs ſecus.

603 Adhæreo affirmantibus: quià

quià præceptum Divinum Viatici prævalere debet eccleſiaſtico jejunii naturalis; quæ ſententia etiam nonnullis Auctoribus contrariis non diſplicuit: undè quamuis Leander *cit.* ſententiam negativam propugnaverit, affirmativam tamen non ſolùm probabilē exiſtimavit, verùm etiam in praxi amplecti poſſe, docuit.

604 Nec obſtant dicta à nobis *nu.* 131. ubi negavimus, poſſe celebrari missam ſinè omnibus sacerdotalibus indumentis Viatici causâ: ergo nec concedi debet Sacerdoti injejuno pro eadem causa celebrare. Non obſtant inquam; quià non eſt adeò diſſonum celebrare inieiunè, quàm ſine omnibus ſacris indumentis, & ideò communis Doctorum illud permittit, hoc verò minimè; & per conſequens fit, quod regula docens, quod pręceptum Viatici obligat, quando legitimè confici poteſt, non habet locum in caſu inieiunè celebrandi, habere tamen in eo

ce-

celebrandi ſine veſtibus.

605 Aduertere non omitto Delugo *diſ.* 20. *nu.* 44. docuiſſe non eſse celebrandum ſacrum ab inieiuno, quando ieiunium naturale violauerit per ſumptionem purificationis in miſsa ſumptæ. Sed de hoc jam diximus *nu.* 403.

606 Quæſtio V. Sacerdos in villa ſtante negatiua ſententia, an ſaltem poſſit ad dandum Viaticum infirmo non ieiunus celebrare, quando vrget ſcandalum? Resp. Negat adhuc Nauar. *in ſum. cap.* 21. *nu.* 53. At Affirmat Leander *de Euchar. diſp.* 5. *quæſ.* 20. versu *an autem.* Jure namquè naturæ scandalum vitare tenemur; ideò Angles *in* 4. *quæſt. de ſuſcip. Euchar. artic.*6. *difficul.* 1. *concluſ. vnica fol. mihi* 107. ait, quod ſi in aliquo oppido eſset unus tantùm Sacerdos, qui die Natalis poſt mediam noctem jejunium naturale ſolviſſet, teneretur profectò rem ſacram perſicere, ſi alius Sacerdos

re-

reperiri non poſſet, nè populum ſcandalizaret, cum ei ex officio celebrare incumbat. Vide infra hic quæſt. 14

607 Quæſtio VI. Sacerdos in villa an poſſit inieiunus celebrare ob mortis timorem incuſſum fortè ab aliquo, qui miſſam audire vult? Resp. Si abeſt fidei contemptus, affirmat Coton *lib. 2. controu.* 4: *nu.* 102. quis enim dicet leges eccleſiaſticas cum tãto rigore obligare? Ità etiam Requeſenius *in p. 2. D. Tho. lib. 2. diſp.* 15. *nu.* 66. Volpe *in reſolut. mor.* verbo *Eucharistia reſolut.* 60. *n.* 9. vbi aduertit, quod caſus iſte impoſſibiliter euenire poteſt; cũ nequeat effingi deuotio in eo, qui eſt paratus occidere innocentem: quod ſi eveniet, metus debet eſse cadens in conſtantem virum. Affirmat etiam ex Hurtado Leander *de Euchar. diſp.* 5. *q.* 37. ubi docet quod tutò poterit Sacerdos (verba ſunt eiuſdem Doctoris) non jeiunus ſacrificare, caſu quo prin-

princeps non ex odio Religionis aut cæremoniarum Miſsæ, vim illi inferat, grauia damna minitando.

608 *Quæſtio* VII. Sacerdos in villa, à qua abeſt medicus, quam certitudinem habere debet periculi mortis, vt poſsit infirmo injejuno Viaticum miniſtrare? Reſpondeo Moralem, nec ſcrupulosè illam diſcutere debet: nè dùm ſcrupuli morantur (inquit Quart. *in rubric. miſs.par.*3.*tit.*9.*ſect.*1.*dub.*6.*cauſa* 3.verſu *colligitur ſecundo*) infirmi moriantur ſine Viatico.

609 Quæſtio VIII. Sacerdos in villa ubi invaſio infidelium, aut hæreticorum timetur; vel ob incendium, aut inundationem, an poſsit non jejunus, ſi jejunus præſto non ſit, ſacramentales ſpecies ſumere, ut imminentem irreverentiam effugiat? Reſp. Affirmat Coton. *lib.*2.*controu.*4.*n.*92.quod ipſum eſtimarem locum habere, quandò irreverentiam timet ob in-

vaſionem latronum, qui pixide furatâ ſpecies ſacramentales in locis immundis proiicere poſſunt, dummodò rationabiliter irreverentia timeatur.

610 Quæſtio IX. In prædictis eventibus adeſt ſęcularis jejunus, & Sacerdos non jejunus; quis in ſacrarum ſpecierum ſumptione præferendus? Reſp. Laicus jejunus, non tamen manibus, propriis ſumet, ſed Sacerdotis Coton. *cit. nu.* 93.

611 Quæſtio X. In iiſdem eventibus an non solùm poſſit, verum etiam teneatur Sacerdos, vel Laicus ſacramentales ſpecies sumere? Reſp. Affirmat Leander *de Euchar. diſp.* 5. *quæſ.* 36. quilibet namquè tenetur, nedùm Venerabile Sacramentum reverenter tractare, verùm etiam quamlibet irreuerentiam ab illo auertere.

612 Quæſtio XI. Si propter timorem hæreticorũ E.G. Sacerdos in villa fugeret non ſumptis ſpęciebus vini conſecrati, an

poſ-

poſſet laicus has ſumere? Resp. Affirmat Mendo *in append. ad epit. tit. de Euchar. nu.* 5.

613 Quæſtio XII. Sacerdos in villa ſi poſt conſecrationem advertit ſe eſse injejunum, fortè quia fructum arboris deguſtauit, quid faciet? Resp. Non ieiunus poteſt, & debet ſacrificium perficere. Coton. *lib.* 2. *controu.* 4. *nu.* 103.

614 Quæſtio XIII. Quid ſi aduertat ante conſecrationem? Resp. Salazar *in promptuar. mor. trac.* 5. §. 3. *in princip.* putat, quod ſi aduertat ante canonem, debet Sacerdos reverſus ad populum manifeſtare se eſse injejunum; proinde, cum jejunium ſacri canones requirant, dicere populo debet, quod nequit celebrare. Hujusmodi Sacerdotis geſta, putat idem Doctor, non eſse scandaloſa, ſed puram gignere admirationem.

615 Cotonius verò *cit. nu.* 103. firmat, quod ſi Sacerdos poteſt absque nota infamiæ, aut

ſcandali à Sacrificio ceſsare, non debet vltrà proſequi.

616. Georgius Gobat *in Theol. exper. trac. 3. nu.* 424. §. *nec prætermittendum* docet, quod ſi aduertat poſt offertorium, poteſt ſacrum injejunus proſequi; tunc enim cum magno pudore, & infamia, ait, ſacrum interrumpitur.

617 At Paulus Maria Quartus *in rubr. miſſ. par. 3. tit. 9. ſect. 1: dub. 6. cauſa 1. circa finem:* probabile putat, eo caſu Miſsam quomodolibet inchoatam proſequi poſse.

618 Quæſtio XIV. Sacerdos prædictus an idipſum facere poterit, quandò non incępit Sacrum, ſed non poteſt ab illo abſtinere propter ſcandalum, aut infamiam? Reſpondetur affirmativè ex Leandro *de ſacr. Euchar. diſp. 5. quæſt. 5.* Vide ſupra hìc *quæſt. 5.*

619 Duo tamen hìc ſunt advertenda. Primum, quod Sacerdos injejunus celebrans ad

vi-

vitandum imminens ſcandalum, aut infamiam., non poteſt per Epiſcopum puniri,ut noviſsimè docet Io: Adam Vveber *in nucleo Juris Epiſc.par.2.* ver. *Miſſa nu.* 20.

620 Secundum, quod ſi Sacerdos putans imminentem infamiam, vel ſcandalum cohoneſtare celebrationem, non ſervatò naturali jejunio,injejunus celebret, & poſt celebrationem comprehendat nullius ſcandali periculum adfuiſſe, non per hoc ſe alicujus criminis reum damnabit: quia illa operatio fuit recta; nam actus humani dicuntur boni , vel mali iuxta dictamen conſcientiæ , quod habemus, quando operamur; non autem iuxtà iudiciũ ſubſequens , quod nequit tranſactam operationem variare: conſequenter, dum celebratio fuit conformis conſciẽtiæ dictanti id licere , licita fuit. Et hoc notaui,quià aptari poteſt pluribus noſtri opuſculi quæ-

ſtionibus, multosquè aufert ſcrupulos.

621 Quæſtio XV. Sacerdos prædictus ſi jejunium naturale fregit, ſcientibus illis, pro quibus die feſto celebraturus erat, an poſſit pro ſatisfaciendo devotioni illorum Miſsam ſiccam in Eccleſia dicere? Reſp. Negat Quartus *in rubric. miſſ. par. 1. tit. 14. dub. 4.* verſu *colligitur malè.* vbi puniendum, ait, quemdam Parochum ſic celebrantem ob prædictam cauſam, niſi bona ſide excuſaretur. Vide *dicta nu.* 393. *&* 394. ad quæ me refero.

622 Quid autem ſit Miſsa ſicca, & an poſſit celebrari, ut ſatisfiat devotioni Magnatum? diximus *loco cit.*

623 Quæſtio XVI. Sacerdos, qui in villa, ubi nullus alius Sacerdos celebraturus expectatur, pro eo die celebravit, ſi advertit remanſiſſe in patena, vel alibi fragmenta Sacraméti, quid faciet; poterit ne tunc, licèt in-

je-

jejunus, illa ſumere? Reſp. Siuè poſsint commodè, & reverenter ſervari, ſivè non, affirmat Leander *de Euchar. diſp.* 5. *quæſt.* 3. contrà Dicaſtillum, & alios.

624 An autem poſsit Sacerdos, qui præeſt duabus Parochiis in diverſis Villis ſitis, in una non jejunus ſumere Euchariſtiam Feria V. in Cœna Domini ſervatam inadvertenter in ambabus Parochiis, dictum eſt *ſupra nu.* 417.

SECTIO II.

De Materia Sacramenti Euchariſtiæ.

625 HUjus Sacramenti materia, prout in cęteris, alia eſt proxima, alia eſt remota. Prima eſt utriuſquè ſpeciei Sacramentalis ſpecies; Secunda panis triticeus vſualis, qui in Corpus Chriſti, & Vi-

num ex Vite, quod in Sanguinem, tranſubſtantiantur. Relictis igitur hic iis, quæ ad primam ſpectant, utpotè extra noſtrum inſtitutum, dubia, quę circà ſecundam ſe offerunt, per binas ſubſectiones enodabimus.

SVBSECTIO I.

De Materia Remota Corporis.

626 LIcèt Ingenioſiſsimus P. Vaſquez dixerit *tom. 3. in 3. par. quæſt. 74. art. 4. diſp.* 170. Heterodoxos circà materiam Corporis Chriſti non deliraſſe; tamen contrarium apud omnes in confeſſo eſt. Aliqui enim ex illis, & quidem ridiculè, dixerunt materiam eſſe panem cum caſeo; Nonnulli farinam infantium ſanguine ſubactam: Alij tandem aliam materiam ſomniarunt, quam referre me pudet, & horret animus; circa quam lega-

tur

tũr Alphonſus de Caſtro *aduerſus hæreſes lib.6.* ver. *Euchariſtia* verſu *primus*.

627 Omitto hìc errorem Græcorum, & Armenorum (circa quem præter Caſtrum citatum verſu *Secunda* lege Seb. Medices *in ſum. hæreſum* ver. *Euchariſtia*) quorum hi panem fermentatum materiam eſſe ſufficientem negarunt, illi verò azymum teſte Leandro *de Euchar. diſp.* 8. *quæſt.* 17. ne intentæ brevitati officiamus: Illud tamen non prætermittam; Græcos adeò fermentatum essentiale conſecrationi reputant, quod non permittunt latinos in eorum altaribus celebrare, credentes usq; ad ſuperſtitionem à latinis in azymo celebrantibus ſua altaria prophanari; & ideo, ſi id fortè contigit, altaria lauant, ut per Caſtrum *ſupra citatum*.

Quibus ſanè erroribus Catholica Eccleſia occurrit docendo, materiam Corporis eſse panem triticeum, ſive fermẽtatum apud

Orientales, ſivè Azymum iuxta Occidentales, prout ex deſinitione Concilii Florentini sub Eugenio IV. sub quo utraque Eccleſia anno 1439. concordarunt. Concordiæ autem decretum, qui legere cupit, vel adeat ipsum Concilium, quod apud meam editionem eſt in collectione omnium Conciliorum *tom.3.fol.*475. vel Bullar. *tom.* 1. *conſtit.*17. Ejusdem Eugenii §.4.

628 Ex quibus fit, quod quamvis aliquæ regiones utantur pane caſtanearum, cicerum, & ſimilium leguminum, vel piſcium exiccatorum, & in pulverem redactorum, quamuis, inquam, talis panis pluribus in locis ſit uſualis, quia tamen non eſt triticeus, apta materia non eſt cenſenda.

629 Fit etiam, quod panis triticeus lacte cōpactus, vel butiro, non ſit materia apta: quamvis enim ſit triticeus, non eſt uſualis; nam ad hoc, ut talis ſit, requiritur, quod aqua naturali ſu-

bi-

bigatur, & per aſsationem coquatur. Legatur nouiſſimè Doctiſſimus Felix à Panormo *operũ moral. tom.* 1. *vbi examen ordinand. nu.* 111. Prædictis igitur prælibatis, quæ ad Polemicos ſpectant, ad nonnullarum quæſtionum reſolutiones, quæ circà materiam Corporis verſantur, deſcendimus.

630 Quæſtio I. Sacerdos in villa, ſi non habet hoſtiam majorem, ex illis, ſcilicet, quæ ad Sacrificium deſtinari ſolent; an poſſit cum minori ex illis, quæ laicis miniſtrantur, celebrare die feſto? Reſp. Poteſt, & tenetur. Quartus *in rubric. miſſ. in quæſt. proœm. ſect.* 5. *pun.* 4. verſu *Colligitur.* An autem adſtantes moneri debeant, ut vitetur scandalum, vel potius populi admiratio, dicetur infra *quæſt.* 6.

631 Quæſtio II. An etiam teneatur cum minori hoſtia celebrare, quando non eſt dies feſtus, ſed ex aliquo titulo celebrare obligatur, ut puta beneficio &c. Reſp. Affirmat Paſqualigus *de Sac. in Villa.* V 6 *ſa-*

ſatriſ. quæſt. 211. *num.* 4.

632 Quæſtio III. An ſufficiat, vt poſſit minori formula uti, obligatio celebrandi ex voto à Sacerdote emiſſo? Reſp. Affirmat Tancred. *in quæſt. mor. par.* 1. *tract.* 3. *quæſt.* 59. vbi idem aſſerit, quando votum fuit emiſſum ab amico Sacerdotis, qui tamen miſſam petit, vt voto ſatisfaciat.

633 Quæſtio IV. An etiam id licebit diebus ferialibus, in quibus vult Sacerdos deuotionis tantùm cauſa celebrare? Reſp. Affirmat in terminis Diana *par.* 5. *trac.* 13. *reſolut.* 80. ex Marchantio; hinc meritò Gobat *to.* 1. *exper. Theolog. par.* 1. *tract.* 3. *nu.* 47. approbat Tamburinum *in methodo celebr. miſſæ lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *nu.* 16. reſpondentem ritè celebraſſe in villa cum hoſtia minori Jeſuitam quemdam ob defectum maioris. Ratio autem eſt, quia id nec præceptum vetat, nec conſuetudo, vndè eſt gratius Deo ſic celebrare, quam cele-

bra-

brationem omittere: & hoc licebit tum in Miſsa priuata, tum etiam in publica celebratione, quando tamen nullum urget ſcãdalum adſtantium; quoniam autem horum præmonitione ſcandalum vitari poterit; ea præhabita adhuc publicè celebrari poteſt ex eodem *par. 6. trac. 7. reſol.* 17. Vide. *quæſt.* 6.

634 Quæſtio V. Sacerdos in villa an poſsit hoſtia minori vti, eò quia non habet niſi altare paruũ, quod majorem hoſtiam non capit secundùm majorem partem, sed tantùm minorem? Resp. Affirmat Pasqualigus *quæſt.* 671. *nu.* 1.

635 Quæſtio VI. Cum hoſtia minori an poſsit celebrari, quando adeſt populi admiratio? Resp. Ità planè: nam ex hoſtiæ minoris vsu scandalum non facilè oriri poteſt, cum non habeat speciem mali, sed potiùs curioſitas, ad inquirendam cauſam novitatis, cui prudens Sacerdos occurrere poteſt, notifi-

can-

cando adſtantibus defectum ma-
joris formulæ, saltem ad vitan-
dam commotionem aliquam,
quæ oriri posset in elevatione
Sacramenti minori forma con-
fecti ex Pasqualigo *quæſt.* 211.
nu. 3.

636 Quæſtio VII. Ad vitan-
dam admirationem, &c. poteſt
nè Sacerdos hoſtiam minorem
consecrare, & majorem aliàs
consecratam, quam fortè serva-
verat in Tabernaculo, eleuare?
Resp. Minimè: quoniam Sacer-
dos debet Sacramentum in eo-
dem sacro à se confectum popu-
lo adorandum exhibere: præter-
quam quod se exponeret Sacer-
dos periculo excitandi majus
murmur in populo, ſi hic ani-
madverteret, quod unam con-
secravit, & aliam elevavit; &
facilè poteſt id advertere ex fra-
ctione, sumptione, & ceteris
actionibus, quæ cum hoſtia
fiunt. Pasqualigus *quæſt.* 211.
nu. 5.

637 Quæſtio VIII. An ſal-
iem

tem poſset id facere, ſi in elevatione majoris addat minorem à ſe conſecratam? Reſp. Affirmat Marchantius apud eumdem Paſqualigum, quem ipſe Paſqualigus ob ſupradictas rationes rejicit.

638 Quæſtio IX. Sacerdos in villa expoſiturus Sacramentum non habet niſi unicam hoſtiam, & grandem, an poſſit eam conſecrare, & exponere ſumptâ particulâ aliàs conſecratâ? Reſp. Negat Tambur. *de Sacrif. lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *nu.* 18. Et meritò: debet enim Sacerdos de ſuo ſacrificio communicare.

639 Hinc patet, & à fortiori, multò minùs licere Sacerdoti prædicto, ſi non habet majorem hoſtiam conſecratam, ſed tantùm minorem, hanc exponere adjunctâ majori non conſecratâ. hoc enim eſset error intolerabilis, ut ex Tambur. *de Sacrif. miſſæ lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *n.* 23. cenſet Tonellius *in ſacro Enchir. lib.* 3. *cap.* 2. §. 2. *nu.* 5. verſu *nullo*

ta-

tamen. Et ratio eſt; quia eſset id occaſio idololatriç materialis, cũ fideles adorent totum illud, quod eſt expoſitum per modum unius, ut obſervat Tambur. *cit.*

640 Rogabis. Celebrare cum hoſtia minori abſquè rationabili causa, quodnam erit peccatum? Reſp. Veniale: non enim præceptum de celebrando cum hoſtia majori videtur grave. Quartus *in rubr. miſs. in quæſt. proœm. ſect.* 5. *pu.* 4. versu *colligitur* (adverte quod nullum præceptum in hoc agnoſcit Tãbur. *in metho: celebr. miſs. lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *nu.* 16.) poteſt tamen esse mortale, ſi ex usu minoris hoſtiæ gravis oriretur irreverentia ex Pasqualigo *quæſt.* 220. *nu.* 3. Rationabiles causæ quænam ſint, patet ex dictis *quæſt.* 1. *& ſequent.* semper tamen in publicis celebrationibus cum hoſtia minori prçcedere debet monitio propter scandalum, vel admirationem, ex dictis *quæſt.* 6.

Quæ-

641 Quæſtio X. Sacerdos in villa non habet niſi hoſtiam fractam, poteſt ne cum illa celebrare? Reſp. Secluſo contemptu, & ſcãdalo, dũmodò ſit habilis ad ceremonias, poteſt, aliàs ſecus. Ex Quarto *in rubric. miſs. par.* 3. *tit.* 10. *nu.* 9. *dub. vnico*, ubi docet, quod ſecluſo ſcandalo, & contemptu, veniale eſt illâ uti, aliàs mortale. Siverò hoſtia ob fractionem ſit inhabilis ad ſeruãdos ritus, qui cum ea fieri ſolent, ut diviſio &c. adhuc eſt mortale hoſtiâ fractâ uti: veniale autem prædictum ceſsare: dico in caſu noſtro, ubi neceſſitas aliqua, aut honeſta cauſa concurrit.

642 Quæſtio XI. Sacerdos prædictus ſi ſolùm habeat hoſtiam maculatam, poteſt ne cũ illa celebrare? Reſp. Si macula eſt notabilis, à celebratione omninò abſtineri debet; quia eſt mortale contra jus naturale ob grauem irreverentiam cum maculata hoſtia celebrare. Quartus *cit. in quæſt. proœm. ſect.* 5. *pun.* 4. verſu

ſu *limita.* Si verò macula eſt ità levis, ut nullum poſſet ſcandalum parere, poteſt illâ uti.

643 Quæſtio XII. Sacerdos in villa non habet hoſtias albas, an poſſit vti coloratis, illis ſcilicet, quibus ſigillantur litteræ? Resp. Minimè: quoniam vi coloris admixti, materia valdè alteratur, vt experientiâ compertum eſt; vndè nec eſt ſufficiens ad Sacramentum. Leander *de Euchar. diſp. 8. quæſt. 16.* color enim, vt inquit Cotonius *lib. 2. contr. 4. nu. 6.* diſtrahit illam à ſpecie panis uſualis, & licèt ſit ſufficiens, quando coloris permixtio eſt pauciſſima, vt *idem* Leander, ſi tamen ſufficiat ad albedinem, in qua recluditur myſterium, notabiliter alterandam, non poteſt eâ vti.

644 Quæſtio XIII. Sacerdos prædictus ob hoſtiarum defectū, an poſſit farinam naturali aqua ſubigere, & ſuper prunas, aliovè modo aſſare, & pane ſic confecto absque fermento (loquen-

do

do pro Latinis) celebrare? Reſpondeo. Affirmativè, nã hujuſmodi materia nõ eſt dubiũ, quod ſit apta ex Baſs. *in Flor. Th. mor. ver. Euchar.* 1. *n.* 12. verſu *ſecũdo.* Optarem tamen, vt diligentiſſimè coquatur, ne candor, in quo myſterium recluditur, deperdatur; & item, ut Crucis imagine ſignetur. Nec refert, quod panis ſic confectus non evadat tam ſubtilis, id enim ſatis accidentale eſt, & memini legiſſe apud Gobat *trac.* 3. *n.* 44. Armenos vti hoſtijs in forma placentarum digito denſatarum.

645 Quod ſi farinæ triticeæ ſit admixta alia alterius grani, tunc ſi mixtio eſt adeò in parua quantitate, ut naturam panis triticei non ſoluat, & panis ex ea confectus candorem retineat, poteſt hoc uti; hujusmodi enim panis apta eſt materia. Leànder *cit. quæſt.* 10. In caſu verò, quo dubitat; num retineat ſpeciem panis triticei, nullo modo cum illo celebrare poteſt, & ſub ſacrile-

gio-

gio, juxta dicenda *ſubſect.* 2. *quæſt.* 1.

646 Et quamuis Gobat *tom.* 1. *exper. Theolog. par.* 1. *trac.* 3. *nu.* 34. aſſerat poſſe in materia dubia celebrari ob miniſtrandũ Viaticum, ad eum modum, quo in caſu neceſſitatis poteſt adhiberi materia dubia in Baptiſmo; hoc tamen eſt prorſus refellendũ; maximè ſtante decreto Innoc. XI. id *propoſitione* 1. ex damnatis vetante. Nec urget paritas Baptiſmi; id enim provenit ex neceſſitate illius Sacramenti, quæ ratio non eſt applicabilis Euchariſtiæ. Hinc meritò Caſſianus à S. Elia *in Theolog. mor. expurg.* ver. *Sacramentum* 1. *nu.* 125. negat id fieri poſſe, etiam cum materia probabili: equidem quis dicet non peccari contrà reuerentiam Sacramenti conſecrando materiam dubiam, dum Sacramentum fruſtrationi exponitur, quod ſub damnatione cadit? Cardenas *in propoſ. damn. propoſ.* 1. *diſſert.* 2. *nu.* 20.

Quæ-

647 Quæſtio XIV. Sacerdos latinus in villa ſita inter latinos, an poſſit in fermentato celebrare, ſi azymum non habeat? Reſpondeo Minimè; Leander *de Euch. diſp. 8. quæſt. 20.* etiam ſi populus deberet diù Sacrificio priuari. Verricelli *de Apoſtol. miſſion. quæſ. 138. nu. 10.*

648 Rogabis 1. Sub qua culpa prohibeatur latinis in fermentato celebrare? Reſp. Sub mortali; grauiter enim peccat latinus conficiens in fermentato, ſicut & græcus in azymo. D. Thomas 3. *par. quæſ. 15. artic. 4. in corpore.*

649 Rogabis 2. An aliquãdò poſſit Sacerdos latinus celebrare in fermentato? Non quæro hìc, num poſſit latinus conſecrare fermentatum ad effectũ ſupplendi Sacrificium, quod poſt conſecrationem Calicis aduertit imperfectum ob ineptitudinem hoſtiæ (fortè quià eſſet corrupta) ſi azymum aliàs habere non poſſet; nam de hoc dixi *nu.* 381.

ret ritu latino, quem ſufficienter callebat, non obſtante quod Panormi eſsent templa græcorum: nam de illis nullus eſset habendus reſpectus, dum græci nolebant permittere, quod in illis celebraſſet, & aliàs Sacerdos paramentis juxtà græcum ritum concinnatis carebat. Et hac occaſione plura obiter adverto non paſſim apud Doctores obvia.

650 Primum ex Verricelli *de apoſtol. miſs. quæſt.* 138. *nu.* 1. *in fine.* Sacerdotem latinum non poſſe conſecrare in fermentato, niſi totum ritum, omneſquè Eccleſiæ græcæ ceremonias ſervet (idem conſequenter eſt dicendum de græco celebrante in azymo, qui debet omnes Eccleſiæ latinæ ritus ſervare, quod etiam colligitur ex eodem Verricelli *nu.* 28. §. contrarium, & dixit Pignatellus *tom.* 3. *conſult.* 59. *aliàs* 60. *n.* 44. quod denegatur facultas græcis presbyteris celebrandi miſsam lingua græca

cum conſecratione in azymis ſecundum ritum latinum) quod quià eſt difficillimum, ideò permittitur latinis inter græcos exiſtentibus, quod poſſint celebrare ritu latino, & ſimiliter græcis inter latinos, quod celebrent ritu græco (quidquid dixerit Ledesma, quem rejicit Verricelli *cit.*) etiam quando græcus, vel latinus in perpetuum mutauerit domicilium. Idem Verricelli *nu.* 2.

651 Secundum, quod ijsdem caſibus, in quibus poteſt Sacerdos latinus in fermentato celebrare, poteſt etiam Laicus eodẽ modo communicare. Verricelli *cit. nu.* 8.

652 Tertium, quod latinus obligatur in articulo mortis accipere sacram Euchariſtiam ex fermentato confectam per manus Sacerdotis græci, cuius solius copiam habet. Tambur. *in opuſc. de commun. cap.* 2. §. 9. *nu.* 12. quem ſequitur Verricelli *dicta quæſt.* 138. *nu.* 11. §.

et

at id non puto. qui §. *petes*, ait, id ipſum procedere quãdo tempore paschali latinus verſatur in loco græcorum, vbi nulla eſt Eccleſia latina, & græcus in loco latinorum, vbi nulla eſt Eccleſia græca, & urget preceptum Communionis; quo casu juxtà alienum ritum communicare debet.

653 Tandem quartò aduerte, quòd qui perpetuum mutauit domicilium, tenetur communicare in azymo, vel fermentato, secundum ritum noui, & perpetui domicilij. Verricelli *dicta quæſt.* 138. §. *aduerto quinto.*

654 Quæſtio XV. An pro dando Viatico infirmo liceat in fermentato celebrare, ſi in villa Sacerdos latinus azymi copiam non habeat? Resp. Negat Corſettus in *praxi ſacr. rit. ſub* titulo *de defectib. cap.* 1. *nu.* 3. quod ampliant Tonellius. *in ſacro Enchir. lib.* 2. *tit.* 7. *rubr.* 3. in notis *in fine.* Tamburinus *in opuſc. commu. cap.* 2. §. 9. *nu.* 4. etiam

quando moribundus nullum aliud recepiſſet Sacramentum.

655 Affirmat Hurtado *tom.* 2. *trac.* 11. *nu.* 321. Adhæreo negatiuæ ſententiæ. Et ratio à priori, quæ me mouet, eſt, quià diuinum præceptum de Euchariſtiæ sumptione in mortis articulo non obligat, quando illa non poteſt debitè confici, vt tandem aduertit Panimollis *in idea ſedandi iurgia conſtit.* 6. *nu.* 23. maximè quià infirmus iuſtificari poteſt per Sacramentum pænitentiæ ab eodem Sacerdote, qui in fermentato conſecrare optat, miniſtratum; vndè fit, quod in figurato caſu nulla urgeat neceſſitas conſecrandi fermentatum: vniuerſaliter autē loquendo, urgentia neceſſitatis omninò requiritur, vt præceptum Superioris relaxetur ex tacito eiusdē conſenſu, & quò grauius eſt prężceptum, eò grauius obligat, ac grauiorem prærequirit cauſam: qua ſtante, ex coniecturata Superioris mente eneruè iudicetur

con-

conſequenter cum præceptum quò ad latinos de celebrando in azymo ſit grauiſſimum, teſte Tamburino *cit.* *n.* 3. vt cedat per tacitum Eccleſiæ conſenſum, cauſam præſupponere debet, eamquè grauiſſimã; ſed, vt oſtendi, nulla in figurato caſu vrget neceſſitas; proindè nulla vrget cauſa; vndè præcepti rigorem ceſſare inconsentaneum eſt.

656 Ob eamdem rationem idem dicerem, ſi idemmet Sacerdos sumere Euchariſtiam cupiat, vt vi huius à lethali culpa reſurgat; hic enim licèt non poſſit per Sacramentum Pænitentiæ iuſtificationem aſſequi, poteſt tamen illam per contritionem, quã ſi elicere nolit, & ſic nõ iuſtificetur, inquit Tamburinus *cit.* *n.* 4. imputet ſibi infirmus, cum Dei gratia sẽper præſtò ſit; quapropter etiam pro hoc casu ceſſabit cauſa, per quam nobis tacitus Eccleſiæ aſſenſus innoteſcit.

657 Quæſtio XVI. An ſaltem græcus pro miniſtrando Viatico

poſſit in azymo celebrare? Resp. Tamburinus *opuſc. de commun. cap.* 2. §. 9. *n.* 4. quem laudat Verricelli *de apoſt. miſſion. quæſt.* 138. *poſt n.* 10. §. *notat*, & rectè, inclinat in affirmatiuam ſententiam, quando infirmus nullum aliud recepiſſet Sacramentum, propter quod iudicetur (iuxtà probabilem ſententiam) ponendus in gratia obEuchariſtiæ ſumptionem. Sed ego abſolutè affirmatiuè respondeo cum Geſualdo *tom.* 1. *Theolog. mor. trac.* 8. *cap.* 1. *n.* 22. Et ratio eſt: quià non eſt tam graue recedere à conſuetudine Eccleſiæ græcæ, ſicut recedere à latina: hæc enim eſt vniuerſalis, & caput, illa particularis, & membrum. Nota tamen hic, quod græcus debet tunc ſeruare omnes ritus Eccleſiæ latinę iuxta dicta ſuprà *quæſt.* 14. §. *primum.*

658 Et hinc colliges diſparitatem inter græcum, & latinũ: quià lenius eſt præceptum celebrandi in fermentato reſpectu

græ-

græcorum, quàm latinorum de celebrando in azymo; vndè minorem cauſam exigit, vt relaxatum præſumatur; quam cauſam ſufficienter dabunt augmentum gratiæ, & cætera dona, quæ tantum pignus, in quo mirum in modum diuina munificentia relucet, comitantur. Rurſus præceptum de ſumenda Euchariſtia non iuuat latinos, ſtante maiori grauitate pręcepti, celebrandi in azymo, quod cum reducatur ad negatiuum, quamuis ſit Iuris humani, præualet affirmatiuo diuino de ſumenda Euchariſtia in articulo mortis, vt notat Geſualdus *cit. n.* 20.

659 Quæſtio XVII. Laicus latinus in villa, vbi adeſt dumtaxat Eccleſia gręcorum, an poſſit deuotionis cauſa græco ritu, ſcilicet in fermentato, communicare; & è contrà græcus in azymo, ſi Eccleſia villæ ſit latinorũ? Reſp. Latinus non poteſt, benè tamen græcus: huic enim fauet conſuetudo, illi verò minimè.

Equidem græcum communicare ritu latino non eſt difforme,dum ille tunc conformatur Eccleſiæ vniuerſali , quamuis relinquat conſuetudinem propriæ Eccleſiæ , quę tamen eſt particularis. Ità Verricellus *dicta quæſt.* 138. *n.* 11. §. *aduerte quarto.*

660 Rogabis.Cur in Eccleſia græca conſecretur in fermẽtato , in latina verò in azymo? Reſp. Quia licèt Romana Eccleſia morem Apoſtolorum celebrandi in azymis acceperit , vt tradit Innoc. III. *lib.* 4. *de myſter. miſ. cap.* 4. tamen (vt dicit Leo Papa) ob hæreſim Hebionitarũ, seù Nazaræorum, qui dicebant, quod ſimul cum Euangelio eſſent obſeruanda Legalia , quod idẽ eſt,ac dicere , (vt vtar phraſi Scoti apud Delgadillum *in trac. de Euchar. myſterio cap.* 5. *n.* 20.) quòd neceſſarium erat Chriſtianos iudaizare; ideò Sancti Patres voluerunt , nè viderentur prædictorum hęreſi conſentire, ad tempus in fermentato

con-

conſecrare: ceſſante indè hæreſi, Romana Eccleſia priſtinum Eccleſiæ morem, conſecrandi, ſcilicet, in azymis reaſſumptit. Græci verò morem ad tempus inſtitutum perpetuò seruare voluerunt. Ità Ferrarienſis in D. Thomam contra gentes *lib. 4. cap. 69. in fine. §. aduertendum ex doctrina*: & nota, quod græci adeò predictum morem retinent, vt nonnulli ex ipſis putent requiri de eſsentia Sacramènti panem fermentatum, qui ſanè error eſt cōtra fidem. Vide Suarez. *tom. 3. in 3. par. diſp. 44. ſect. 3.* non peccant tamen græci in fermentato conſecrando, (quidquid dicat Scotus) quoniam ſequuntur conſuetudinem suæ Eccleſiæ à Romana Eccleſia approbatum: imò peccant, eam non ſeruando, quià tenetur vnusquiſquè ſeruare leges, & conſuetudines suæ Eccleſiæ, quod peccatum graue eſt, vt oſtendit Serra *in 3. par. quæſt.* 74. *art.* 4. versu *ex his colligitur*, & sequenti.

SVBSECTIO II.

De Materia remota Sanguinis.

661 NOn defuerunt etiam Hæretici, qui pro Calicis conſecratione (obliti Verborum Chriſti Domini *Matthæi 26. ver. 29. Non bibam amodò de hoc genimine vitis &c.* ex quibus conſtat vinum in calicem infudiſſe) ſolam aquam, non vinum apponendam voluerunt; indeque hujus hęreſis aſseclæ Aquarii à D. Auguſtino apud Caſtrum *adver. hæreſ. v. Euchariſtia. §. Sexta hæreſis.* nuncupati ſint, horum autem error iam extinctus, ſecundo ſęculo excitatus ob metum Chriſtianorum, nè ex vini odore in communione Sanguinis ſe tales eſse dignoſcerentur, reuixit; ut notat Macri *in Hierolex. v. Aquarij*: prædictam hæreſim refert, & refellit Sebaſt. Medic. *in ſumma hæreſ. v. Euchariſtia, §. Sexta*, & Caſtr. *cit.* ſed

his,

his, & aliis relictis, cohærenter ad noſtrum intentum inſtituitur.

662 Quæſtio I. Sacerdos in villa non habet niſi vinum hyppocraticum, an poſſit cum eo celebrare? Reſp. Si coctio, aut admixtio ſpecierum, ex quibus componitur, vinum non corrumpit, eo uti poteſt. Diana, *par.3.tract.6.reſol.*100. ex P.Ledeſma, qui meritò addit, ſacrilegium committi in uſu prædicti vini, quando dubitatur, num ſit corruptum?

663 Quæſtio II. Sacerdos in villa, ſi nullus vini copiam habeat, an poſſit ex botris vinum recens, quod muſtum dicimus, extrahere, & cum eo conſecrare? Reſp. Stante neceſſitate poteſt: *Can. cum omne crimen* 7. §. ſeorſum *de conſecr. diſt.*2.

664 Quæſtio III. Quando neceſſitas putari debeat ſufficiens? Reſp. Quando deeſt vinum defæcatum, & celebrandi neceſſitas urgeat pro miniſtran-

do Viatico, vel pro adimplendo præcepto annuæ communionis, aut audiendi Miſſam die feſtivo. Coton. *cit. num.* 17. vel deniquè quando populus per multum tempus eſset Miſsæ ſacrificio privandus. Verricelli. *de apoſtol. miſs. quæſt.* 139. *n.* 2. Hinc devotionis causâ non poſse botrum exprimi, & cum expreſſione celebrari, meritò infert Georgius Gobat *to.*1.*exper.Theolog. par.*1. *tract.*3. *n.* 50. ubi de Parocho in pago non habente vinum, habente tamen ante domum pendulas è vite vuas.

665 Rogabis 1. Quid ſervandum in uſu vini nuper ex botris expreſſi? Reſp. Priùs per linteum percolari debet, ut ſeparetur ab accinis, & fæcibus craſsioribus. Verricelli, & Coton. *ſupracit.*

666 Rogabis ſecundò. Quale eſt peccatum ſine neceſsitate aliqua ex prædictis, uti muſto? Reſp. Mortale: tùm quià eſt indecentiſsimum, ob impuritatem

ma-

materiæ, quæ plures habet fæces non conſecrabiles; tum etiam quia eſt contra Eccleſiæ ritum univerſalem. Verricelli *cit. n.* 1. quidquid dicat Martinus à S. Ioſeph putans veniale, quem tamen rejicit Diana *par.* 10. *tract.* 11. *reſolut.* 37.

667 Limita tamen prædictam reſponſionem pro illis Eccleſiis, in quibus conſuetum eſt die ſexto Auguſti Dominicæ Transfigurationis memoriæ dicato muſtum ſuper Calicem per Sacerdotem ex botris vuæ maturæ expreſſum conſecrare, in gratiarum actionem pro anni ubertate, & fructibus, ut fieri ſolet in Majori Eccleſia Bracharæ Auguſtæ in Luſitania, teſte Fernandez *in exam. par.* 3. *cap.* 4. § 3. *n.* 6. in hac enim, & ſimilibus Eccleſiis, ſtante conſuetudine, non peccatur. Leander *de Euchar. diſp.* 8. *quæſt.* 33. Prædictam autem conſuetudinem ex veteri Eccleſiæ more non eſt verendum ortum duxiſse; ſiqui-

dem antiquitùs dicta die conſecrabatur in Miſsa vinum recens, in cujus defectu parum multi ex vuis in Calice exprimebatur; quæ cæremonia, inquit Macri *in hierol.* ver. *Transfiguratio*, glorioſum Chriſti regnum in ejus transfiguratione repræſentatum denotabat.

668 Quæſtio IV. An poſset vinum ex vuis paſsis beneficio aquæ laxatis, extrahere, & cum eo celebrare? Reſp. Si extractum accidentia vini habeat, ut poſsit inter vina uſualia computari, licèt non inter optima, poteſt: & hujuſmodi vino utuntur Jeſuitæ in Æthiopia, ut refert Coton. *lib. 2. controu.* 4. *n.* 19. Advertit tamen, & rèctè Verricelli *de apoſt. miſs. quæſt.* 139. *n.* 4. quòd vuæ non debent exiccari calore ignis, quoniam tunc vinum ex illis extractum eſset Sapa, ſcilicet, muſtum coctum, ac proinde inepta materia ad Sacramentum. Non officit tamen parva elixatio botris facta ante quam exic-

cen-

centur, quæ fieri ſolet, ne putreſcant, ſicuti parva decoctio facta muſto, ut vinum fortius evadat, non facit quin ſit materia apta, ut dicam infra hic *quæſt.* 7. cautè ergo eſt legendus Amadeus Guimenius *de Euchar. propoſ.* 5. dum nulla adhibita differentia inter vuas paſsas calore ſolis, aut igne exiccatas, aſserit, harum ſuccum non differre ſpecie à muſto.

669 Advertit item Cacleranus *in Theolog.aſſert. tract.*9. *cap.* 2. *n.* 50. quod vuæ non debent eſse admodum ſiccæ, ut ſuccus extrahi non poſsit, niſi vi magnæ compreſsionis, favore cujus exeat ſuccus adeò ſpiſsus, ut potiùs ſapæ, quàm vino aſsimiletur, vel vi infuſionis aquæ in majori quantitate, quá ſit humor, qui exprimitur. Vide *infra hic q.* 7.

670 Quæſtio V. An celebrare poſset cum lora, ſeù vappa, quæ eſt vini ſpecies confecta ex racemis vuæ jam expreſsis, & im-

immerſis in aqua per aliquod tempus, ſecundum præſcriptum Matthioli *ad lib.* 5. *Dioſcoridis cap.* 9. & communem uſum harũ regionum? Reſp. Si aqua ſit in parva quantitate ſuper infuſa racemis vuæ malè compreſsis, qua de causâ multum ſucci in illis remanſerit, undè rationem vini uſualis retineat, apta eſt materia ex Coton. *cit. n.* 18. Stante ergo prædicta neceſsitate (defectu, ſcilicet, aptioris materiæ) licebit hujuſmodi loræ uſus. Optarem tamen, quod diligentiùs examinetur, an quantitas aquæ ſit longè minor ſucco racemorum, quo caſu tutè conſecrari poterit; quod ſi comprehendi nequeat, (ut regulariter evenit) undè dubitetur, num ſit minor, omninò, & ſub ſacrilegio à celebratione cum vappa abſtineri debet. Bertis *de Sacrif. miſsæ quæſ.* 5. *n.* 123.

671 Quæſtio VI. Sacerdos in villa an poſsit adhibere vinum aceſcens ob defectum melio-

lioris? Reſp. Affirmat Gobat *tom.1. exper.Theolog.par. 1.tract. 3. n.* 54. dicens id fieri ſinè ſcrupulo poſse, tùm quià defectus eſt levis, tùm etiam quià id ſufficienter ſuadet praxis, ſatis communis parochiis ruralibus.

672 Quæſtio VII. An poſſet cum ſapa, muſto, ſcilicet per applicationem ignis cocto? Reſp. Minimè. Serius *de off. & pot.parochi diſp.* 5. *quæſt.* 2. *n.* 9. & innui suprà *quæſt.* 4. *in fine*: Hanc autem doctrinam intellige cum Volpe *in reſol.moral.*ver.*Euchar. reſol.*51.*n.*9. de magna decoctione, ſecus de parva, qua in aliquibus regionibus muſtum decoquitur, ut vina fortiora fiant.

673 Quæſtio VIII. Sacerdos in villa ob ſupervenientem æſtū (cauſatum fortè ab incendio nemorum, vel collium contiguorum, cui noſtræ quotannis ſubjacere ſolent) an possit vinum & aquam Sacrificio necessaria nive circumpoſita refrigerare? Reſp.

Reſp. Affirmat Coton. *lib.* 2. *contron.* 5. *n.* 108. tùm ſi id fiat ad medicinam, tùm ad delicias. Sed Tamb. *in opuſc. de Sacrific. lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. *n.* 11. meritò venialem putat vsum prædictum ad delicias; inordinatum namquè videtur in tàm sacro miniſterio corporales quærere delicias; & ego dicerem mortale, ſi vir prudens inordinationem putaret gravem ex ſpeciali, & immoderato affectu ad illas, quo ſtante, veluti contemptus Sacrificii induci poſſet. Poteſt itē eſse mortale (quod admittit Tamburi. *cit. n.* 5.) ob ſcandalum, & quando id animo inducendi nouum ritum fiat.

674 IX. *Quid* faciet Sacerdos, cui ob villæ frigus ſpecies consecratæ congelantur in Calice? Resp. Adhibeat pannum calidum, vel aliud, ex quo liquescant, & liquatas sumat, ex Pasqualigo *de ſacrific. quæſt.* 309. *n.* 1. vbi rectè aduertit, quod non debent tantum calefieri, vt inci-

cipiant euaporare, tunc enim corruptioni sanguinis locus daretur.

675 Aduertit item Corradus *par. 2. reſponſorum queſ.* 370. nullo modo licere, vino consecrato congelato vinum calidum, vel frigidum superinfundere, vt faciliùs diſſoluatur: hoc enim eſt peccatum valdè graue: quod ſi igne appoſito liquefieri facilè non poſſit, vel deſit ignis; tunc digito reuerenter comminui debet, & ſic ſumi. Tambur. *de Sacrific. lib.* 2. *cap.* 8. §. 8. *num.* 9. Vellem tamen ex Pasqualigo *dicta quæſt.* 308. *n.* 2. quod sanguis ſic ſũptus calore oris priùs diſſoluatur, ſaltem secundum maiorem ſui partem, ſi commodè poterit, & ſic trajiciatur, ad hoc vt in ſumptione ratio potius ſeruetur.

676 *Quæſtio* X. Si congelatio eueniat antè Conſecrationem; quid faciet? Resp. Si inceptus ſit Canon, progrediatur in celebratione Tambur. *de ſacrif.*

crif. lib. 2. *cap.* 8. §. 8. *n.* 13. ſi verò non ſit inceptus, ſatius eſse, idem Tamburinus ait, Sacrum relinquere, monito, ſi opus eſset, populo ad huius offenſionem auertendam: liberè tamen progredi poſse ex Pasqualigo *quæſt.* 309. *n.* 5. deduco: imò Layman *de* Euchar *lib.* 5. *trac.* 4. *cap.* 2. *n.* 6. putat, quod ſi poſt oblationem modicè congelatum vinum deprehendatur, vt faciliùs reuolui poſſit, tunc conſultiùs fore, ſi illud conſecretur, quàm mutetur.

677 Rogabis: Sacerdos præciſa quacumque neceſſitate celebrans in vino cōgelato abſque tamen contemptu, qualiter peccet? Resp. Mortaliter ſecundũ Dianam *par.* 11. *trac.* 1. *reſol.* 17. verſu *ſed an Sacerdos*, & Bauciũ *in ſelec. vbi de Miscell. Theol. quæſ.* 33. §. *ſed inquires* 1. Venialiter verò ſecundum Paſqualigum *quæſt.* 309. *n.* 5.

678 Illud autem, quod Baucius *dicta quæſ.* 33. §. *petes* dixit,

esse

eſse opinionem utrinquè probabilem, quod vinum congelatum ſit sufficiens materia conſecrationis, mihi parùm arridet; quià opponitur rubricæ *de defectibus tit.* 10. *n.* 11. vbi habetur. *Si ſanguis congeletur in Calice, inuoluatur Calix pannis calefactis &c, donec liquefiat*; tùm ſic argumentor: congelatio ſpecierum non impedit, quin Chriſti præsentia conſeruetur in ſanguine; ergo nequè congelatio in vino impedit, quin conſecrari validè poſſit, & conſequenter concluſio sub opinione ſtare nō poteſt. Nec Germani, Lithuani &c. apud quos hyemis tempore congelatio eſt nimis vulgaris, & frequens, (circa quod vide Gobat *par.* 1. *trac.* 3. *n.* 65. *in Appendice per tot.* vbi de dira illarum regionum frigiditate) dubitant de aptitudine materiæ vini congelati, vt ex Reding. supponit idem Gobat *n.* 56.

Re-

RESOLVVNTVR VARIA

Circa Materiam Remotam Vtriuſque Speciei.

679 QVæſtio XI. Sacerdos in villa, cui deficit materia alterius ſpeciei, conſecratâ aliâ, quid faciet, ſi quæ deficit procurari poteſt, nõ tamen ab adſtãtibus? Resp. Diſcedat ab altari ad illam procurandam, relicta ſub cuſtodia ſpecie conſecrata, monitis priùs de neceſſitate adſtantibus; quod ſi per fęminam procurari poſſit, ingredi tamen debeat fęmina Monaſterium regularium, vt ibi materiam deficiẽtem petat, adhuc ipſe Sacerdos diſcedere debet; quoniam ſtante rationabili cauſa licet diſceſsus, fæminę autem obſtat pręceptum ſub excomunicatione, ingreſſum in Monaſterio vetans. Pasqualigus *de ſacrif. miſ. quæſ-* 47. *n.* 4.

680 *Q*uæſtio XII. *S*acerdos

in

in villa, vbi solus reperitur pro dando Viatico infirmo, alioqui ſinè alio Sacramento deceſsuro, vel se ipsum communicando, an posset ſinè celebratione solum panẽ priuatim consecrare? Resp. Affirmat Chriſtophorus Delgadillo *in trac. de Euchar. miſt. cap.* 3. *n.* 54. *& ſequen.* dicens Consecrationem fieri posse in prędicto casu, etiam in fermentato (loquendo de latinis) ſinè ara, & ſinè veſtibus, & ſinè aliqua cæremonia ab Eccleſia præscripta, & ibidem *in fine* ait, malè affirmatiuam sententiam aliquos Doctores improbabilem vocaſse.

681. Negat tamen vt certiſsimum Leander *de Euchar. diſp.* 5. *quæſ,* 22. & Tonellius *in ſacro Enchir. lib.* 1. *cap.* 3. §. 1. *n.* 1. versu *vnde* rectè ait, contrarium docentes non eſse audiendos. Nota ad vberiorem doctrinam, hoc non licere pro expoſitione publica Sacramenti, aut publica eiusdem proceſsione; vndè

Sacer-

Sacerdos,qui ſine Miſsę celebratione conſecraret, incurreret irregularitatem, & tamquàm de hæreſi ſuſpectus ſubjiceretur judicio Inquiſitorum. Alberghinus *in manuali qualific. cap.* 24.*n.* 2. *&* 3.

682 Quæſtio XIII.Sacerdos in villa ob prædictam cauſam, an ſaltem poſſet celebrando,materiam Corporis ſolùm conſecrare, ſi aliâ careat? Reſp.Minimè.Paſqualigus.*de ſacrif.quæſ.* 47. *n.* 6.

683 Quæſtio XIV. An ſaltem celebrare poſſit cum paramentis non ſacris? Reſpondetur Affirmatiuè; prout reſponſum eſt ſupra *n.*115.negatiuè tamen, ſi ſinè omninò paramentis celebrare vellet, vt diximus *n.* 131.

684 Rogabis: Quare liceat aliquando ſinè præuia confeſſione celebrare, vt docet Leander *de Euchar. diſp.* 7. *quæſt.*2?. quod eſt majus; cum confeſſio prævia divino Jure exigatur, non autem ſinè veſtibus ſacer-

do-

dotalibus, quod est minus, cum has Jus poſitivum exposcat? Respondeo: quià vestium defectus aliundè non potest compensari, confesſionis tamen, per contritionem suppleri potest. rectè de more suo Diana *par.* 9. *trac.* 3. *reſol.* 17. versu *non obſtat*.

685 Quæstio XV. Sacerdos in villa an poſſit absquè dispensatione consecrare vinum ſinè mixtione aquæ, quam nullo modo celebrationis tempore habere posset; vrgente tamen necesſitate celebrandi E.G. causa viatici? *Resp.* Negativè cum Leandro *de Euchar. diſp.* 7. *quæſ.* 44. nam ſicuti nulla potest occurrere occaſio, vt talis dispensatio licitè à Summo Pontifice concedatur, vt docet idem Leander *quæſ.* 43. ità nulla potest vrgere neceſſitas gravis, quæ tàm graviſſimum præceptum enervare poſſit. Nec posse defectum aquę naturalis rosacea, vel alia artificiali suppleri, docet Anclus

Per-

Perſicus *de offic. Sacer. lib.*1. *cap.* 13. *n.* 53. contra Paludanum id permittentem in caſu, quo Sacerdos proceſsiſset vſque ad Offertorium, nec poſſet ſinè ſcandalo dimittere; & rectè quià vt ait Coton. *lib.* 2. *contr.* 4. *n.* 26. eſt probabile, quod aqua conuertatur in ſanguinem, in quem aqua artificialis non converteretur; in caſu ergo Paludani docet idem Perſicus, potiùs debere proſequi Miſſam ſine aquæ mixtione, quàm cum infuſione aquæ artificialis; quod mihi optimum videtur.

686 Qui autem ſcire cupit, quàm ſit probabile, quod aqua immediatè in ſanguinem conuertatur, percurrat Authores apud Auerſam *de ſacr. Euchar. quæſt.*2.*ſect.*7. §. *quinto tandē*, & §. *ſed in contrarium*; repugnat enim aſſumptæ brevitati id examinare.

687 Quæſtio XVI. An ſaltem poſſit ſtante aquæ defectu conſecrare in vino, quod habet ad-

admixtum parum aquæ, fortè quia Caupo iam illam in dolium effuderat? Reſp. Minime. Ita D.Tho. 3.*par.quæſt.*74.*art.*8. vbi quod ſi aqua in dolio effundatur, ſignificari non poteſt vnio Eccleſiæ cum Chriſto: vnde Gobat.*par.*1.*trac.*3.*nu.* 59. dixit, mixtionem fieri debere in ipſo Altari, & Dicaſtillus apud eumdem, ab ipſo Sacerdote, præterquam in ſolemni celebratione, in qua per Subdiaconum infunditur.

688 Quæſtio XVII. Sacerdos prædictus ſi habeat ſufficientem aquam pro conſecratione dumtaxat, an poſſit digitos ſolo vino abluere? Hæc queſtio videbitur ſuperflua, & inutilis Italis, Gallis, & Germanis, quibus potus aquæ minus eſt familiaris, vndè harum nationum Sacerdotes in prædicta ablutione ſolo vtuntur vino, proindè nec à miniſtris aqua porrigi ſolet, quod ſe obſeruaſſe teſtatur Coton. *lib.*2. *controu.* 5. *nu.*107.

apud nos verò nõ ita res ſe habet, vltrò enim in ablutione adhibemus plus aquæ, quàm vini; tùm ad aptiùs abſtergendos digitos, remouendumque vini odorem, ac purificatorum mũditiem ſeruandam; tùm ad effectum reſoluendi ſpecies ſanguinis fortè calici inhærentes, quæ per conuerſionem in aquam cõſecrationem amittunt, ob idque vitatur periculum abſtergendi ſpecies conſecratas cum purificatorio, vt obſeruat Marcus à S. Roſalia *in comp. ſacr. cærem. cap.* 14. *nota* 11. *nu.* 39. *fol.* 130. Non approbo tamen, quod in digitorum ablutione nil vini adhibeatur, prout permulti faciunt; id enim eſset ſine cauſa Rubricę aduerſari, quę præcipit Sacerdoti ſic: *Deinde vino, & aqua abluit pollices, & indices*. Quid enim guttula vini nocumentum affert? Propterea Cotonius *lib.* 2. *controu.* 5. *n.* 106. ait: ego dicerem debere apponi aliquid vini, ſaltem modicum, quo ſeruetur præceptum, & vitentur

tentur incommoda modo tacta. Sed quidquid ſit de vtilitate præſentis quæſtionis, Reſpõdeo, poſſe licitè ablutionẽ ſolo vino fieri deficiente aqua; hæc enim ſub veniali requiritur. Cotonius *cit. nu.* 107. quod, vt relaxetur, ſufficiunt quælibet leues cauſæ, inter quas aquæ defectum adnumero.

689 Rogabis. Quænam quantitas aquæ dicatur ſufficiens? Reſp. ex Suario *tom.* 3. *in* 3. *par. diſp.* 45. *ſect.* 3. §. *ſecundo quoad quantitatem*, Tabiena, & alijs apud Perſicum *cit. nu.* 61. ſufficere quamlibet guttulam ſenſibilem, ſic enim faciendo ſeruatur præceptum de infundenda aqua, quod nullam determinat quantitatem, & rurſus non eſt periculum, quod per huiuſmodi aquæ infuſionem diſtrahatur vinum à ſuo eſſe phyſico, vel morali, quod dumtaxat eſt attendendum ſecundum regulam traditam à Tamburino *de ſacrific. lib.* 2. *cap.* 4. §. 1. *nu.* 3.

690 Quæſtio XVIII. In prædicto caſu ſi poteſt habere aquam maris, an poſſit celebrare, eá ſuper vinum infundendo? Reſp: Affirmatiuè: quia aqua vino miſcenda debet eſſe naturalis, vt cum D. Thoma docet Leander *de Euchar. diſp.*8. *quæſ.*46. & omnes Doctores; at aqua maris eſt naturalis, vt eſt certum. Hinc puto præciſa quacùmque neceſſitate liberum eſſe celebrantibus vſum aquæ marinæ. Et hanc ſententiam videtur docere Leander *cit.* dum ſolùm aquas excludit artificiales; quod ſi ob aquæ ſalſedinem celebrans ægre ferat ſumere digitorum ablutionem, iam diximus quæſtione antecedenti illam fieri poſſe ſolo vino, vel poſſet, alteram guttam tantùm infundendo, moleſtiæ occurrere.

691 Quæſtio XIX. Sacerdos in villa ſi adeò parum vini habeat, quod dumtaxat ſufficiat pro conſecratione, non autem pro calicis purificatione, & digitorum ablutione, an poſſit ce-

le-

lebrare purificando calicem, & digitos cum ſola aqua? Nota, quod poſt ſumptionem Sanguinis duplex fit purificatio, altera calicis, quæ propriè dicitur, Purificatio, altera digitorum, quæ per ſe, ablutio nuncupatur, quibus terminis vtitur Rubrica *par.* 2.*tit.* 10. *nu.* 5. quæ etiam dici ſolent prima, & ſecunda purificatio. Prima fieri debet cum ſolo vino ex cap. *ex parte* 5. *de celebr. miſs.* & Rubri. *cit.* Secunda cum vino, & aqua, vt eadem Rubrica præſcribit.

692 Pro Reſponſione igitur ſciendum, quod difficultas non conſiſtit in ablutione digitorum, quæ quamuis, vt innui, cū aqua, & vino fieri debeat, tamen ſtante contrario vſu Sacerdotum aliàs timoratorum, vinum omitti licitè poteſt, quibus fauet Tambur. *de ſacrific. miſs. lib.* 3. *cap.* 9. *nu.* 2. licèt ego à veniali cum Cotonio *lib.* 2. *controu.* 5. *num.* 106. vinum omittentem non excuſarem, dum tranſgreditur Rubricam per cā

 omiſ-

omiſſionem, quamvis in re leui, niſi iuſtâ cauſâ interveniente: vnde in caſu figurato à veniali immunem cenſeo ſolâ aquâ digitos abluentem, ad excuſandum namque à culpa leui ſufficit quęlibet leuis cauſa: vltra quod eſt liberum Sacerdoti tunc Tamburino, & vſui non parum frequēti conformari.

693 Tota ergo difficultas in purificatione calicis conſiſtit, pro qua eſt ſciendum, quod quāvis aliqui Doctores mortale putent purificare calicem cum ſola aqua, in contrarium tamen ſunt alij, & quidem grauiſſimi, ſcilicèt, Tambur. *cit.* & Quartus apud, & cum Paſqualigo *de ſacriſ. quæſ.* 209. *nu.* 4. qui putant id ſub leui obligatione ſeruari debere: vndè ad quæſtionem reſpondetur cum Tambur. *cit. n.*6. quod ſi quis non habeat niſi modicum vini pro conſecratione, poteſt (citrà contemptum, ſcandalum, animumque introducendi nouum ritum) ſinè culpa calicem

licem ſolâ aquâ purificare. Ratio eſt eadem, ac de ablutione, vide *nu*.692.

694 Rogabis. Abſtemij (ij ſcilicet qui naturaliter à vino abhorrent, cuiuſmodi multos Sacerdotes,eoſq;meos amicos comperi) an poſſint calicem ſolâ aquâ licitè purificare? Reſp. Affirmat Tambur. *de ſacrif. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 6. cui adhęſiſſe videtur. Gobat in *exper.Theol. tom.*1.*par.* 1.*tract.* 3.*nu*.854. ſi ſcandalum, contemptus, ac animus introducendi nouum ritum ab Abſtemio exulent, & aditus non pateat ad Pontificem, quod ſi pateat, eſt petenda diſpenſatio. Affirmat item Paſqualigus dicta *quæſ.*209. *nu*.8.requiſita à Tamburino reijciens, primum enim requiſitum excludit averſio à vini potione, quæ eſt ratio formalis, ob quam purificatio calicis ſolâ aquâ fiat; neceſſitatem verò diſpenſationis excludit levitas præcepti, ſub qua cadit obligatio purificandi calicem cum vino, & diſpenſa-

tiones ad relaxãdas graues obligationes impetrari debent.

695 Rectè tamen notat idem Paſqualigus, Abſtemios debere vti vino, quamvis cum aliquali incommodo in purificatione calicis, vt vſui communi, & Rubricæ conformentur, quod niſi fiat, mihi ſuadeo regulariter murmur ſaltem, aut ſcandalum inter adſtantes ſacrificio ſuſcitari poſſet.

SECTIO III.

De huius Sacramenti adminiſtratione.

696 QVamvis Miniſter huius Sacramenti dupliciter conſiderari poſſit, primò vti conſecrans, ſecundò vti diſtribuens; atque hoc modo conſideratus, alius eſt ordinarius, vel ex officio, alius extraordinarius, vel ex neceſſitate, quià tamen non eſt noſtrum de Miniſtro ſecundùm primam conſiderationem tractare, ideò

hìc

hic de eo dumtaxat, iuxta ſecundam agemus, reſoluendo ſcilicet dubia, quæ ſpectant ad Miniſtrum diſtribuentem, tùm ordinarium, tùm extraordinarium, ideſt tùm Presbyteratus ordine inſignitum, tùm non: quorum occaſione alia etiam dubia reſoluemus, quæ ad ſumptionem attinent, à quibus ordimur.

697 Quæſtio I. A Sacerdote celebrante in villa vbi deficiũt particulę laicus moribundus petit Communionem; an poſſit ipſe celebrans præbere partem ſuæ hoſtiæ? Reſp: Non ſolùm poteſt, ſed etiam debet. D. Thom. *in 4. diſtin. 12. quæſt. 3. artic. 2. quæſtiunc. 2.* ad primum.

698 Quæſtio II. An etiam poſſit præbere partem ſuæ hoſtiæ, ſi quis Communionem petat, vt ſatisfaciat voto de Cõmunione ſuſcipiẽda? Reſp: Ita planè Tancredus *in quæſt. mor. par. 1. tract. 3. diſp. 4. quæſt. 72.* vbi etiam negat, ſic voventem huiuſmodi Communionem petere debere.

699 Quæſtio III. An etiam poſſit, ſi Communio deuotionis cauſa tantùm petatur? Reſp: Negant antiquiores. Sed affirmat Conradus *par.* 2. *reſponſorum, quæſt.* 360. Nouar. *de grauam. vaſſall. tom.* 2. *præl.* 6. *nu.* 22. & communiter recentiores, præſertim Diana, & alij, cum & apud Leandrum *de. Euch. diſp.*4. *quæſt.* 17. non enim tenetur Sacerdos totum panem à ſe conſecratum ſumere.

700 Quæſtio IV. Sacerdos in Villa, cuius ſolus curam gerit pro eo die, pro quo non poteſt ſacrificare ob carentiam vini. E. G. ſi vult deuotionis cauſâ refici Sacramento, quod aſſeruatum habet, an poſſet ſe cõmunicare? Reſp: Negat Cotonius *lib.*2. *controu.*4. *nu.*157. Affirmat Tonellius *in ſacro enchirid. lib.* 1. *cap.*2. §.1. *nu.*24.

701 In hac opinionum varietate aduerto. Affirmatiuam ſententiam non habere locum, quãdo vrget ſcandalum, quià tunc

Sa-

Sacerdos à tali ſumptione abſtineri debet, vel ſcandalum vitare monendo adſtantes (de honeſtate actionis) vt rectè Diana *par.2. trac.14. reſol.53.*

702 Rogabis 1. Sacerdos prędictus inhærens ſententiæ affirmatiuæ, an poſſit ſe communicare qualibet hora diei? Reſp: Affirmant communiter cũ Diana *part.* 2. *trac.* 14. *reſolut.* 54. Eſcobar *in ſumma trac.* 7. *exam.* 6. *cap.* 3. *nu.*62. verſu *ſcio in caſu* modo ſit ieiunus, & ſcandalum abſit (idem dic de Laico ex Zambello ver. *Eucbariſtia n.*10. quando ſcilicet laicus habet Sacerdotem miniſtrantem) quamvis Coninch. *de ſacram. quæſt.* 80. *artic.* 10. *nu.* 85. aſſerat, & mihi arridet, quod reuerentia tanti Sacramenti exigit, vt in Communione ſeruetur tempus, quo communiter ſolet diſtribui.

703 Rogabis 2. Sacerdos ſibi miniſtrans, an debeat ſtolâ ſe inducere? Reſp: Vti ſuſcipiens nõ tenetur: quià decretum can. *Ec-*

cleſiaſtica diſtin. 23. vbi ſub pœna excommunicationis id præcipitur, vel eſt contrario vſu abrogatum, vt cenſet Zambellus *ver. Euchariſtia nu.* 13. vel nunquam ſub tanto onere receptū, vt ſubſtinet Leander *de Euchar. diſp.* 4. *quæſt.* 30. vel quia Concilium Bracharenſe III. ex quo deſcriptus eſt can. *Eccleſiaſtica* non habet vigorem id ſtatuendi ſub excomunicatione pro vniverſo orbe, vt firmat Macri *in Hierolex. v. ſtola poſt med.* fuit enim provinciale. Vti verò Miniſter debet ſtolâ, ac ſuperpelliceo ornari, & ſub mortali ex Leandro *cit. quæſt.* 26. *&* 27.

704 Id etiā prætereundū non eſt: Debere etiam, & lumen accendere, & confeſſio generalis præmitti &c. ex eodem Leandro *quæſt.* 28. etiam ſub mortali, contrà quem inſurgit Diana *par.* 10. *trac.* 16. *reſol.* 80. verſu *verum*, dicens, quod præciſo contemptu, & ſcandalo veniale non excedit.

705 Quæſtio V. Suppoſita

ſen-

ſententia, quod poſſit Sacerdos deuotionis cauſâ ſe communicare, eo die quo non poteſt celebrare ob defectum vini. E.G. quæritur, an ſi poſtquã ſuis manibus cõmunionem ſumpſit, habeat vini copiam, idque accidat die Natalis Domini, an poſſet celebrare duas, vel vnam Miſsã? Reſp: Minimè: quià Sacerdos laico modo communicaverat, & priuilegium ter celebrandi non derogat prohibitioni communi, de nõ celebrando poſt Communionem laico modo ſumptam, Coton. *lib. 2. controu. 5. nu. 59.*

706 Rogabis. Communicare laico modo quid importet? Reſp: Importat Euchariſtiam ſumere ab alio conſecratam; vndè Presbyteri die ordinationis Sacerdotali modo dicũtur communicare, licèt in vna ſpecie, & per manus Epiſcopi communionem ſumant. Paſqualigus *de ſacrif. quæſt. 369. num. 7.* ſed aliud requiro, vt Communio laico modo facta dicatur, quod ſcilicet ex-

extra Miſſam ſumatur. Hinc Sacerdos quamvis hoſtiam à ſe aliàs conſecratam ſumat, laico modo cõmunicari dicimus, quià id extrà Miſſam fit.

707 Quæſtio VI. Sacerdos in Oratorio villæ publico, an poſſit nonnullas particulas conſecrare, illaſque ſervare, vt ijs diebus, in quibus nequit ſacrificare (ob defectum paramentorum, quæ ibi diebus feſtivis ſolùm deferuntur Ex. G.) poſſit deuotionis causâ Sacramẽto muniri? Reſp: Minimè: tùm quia id eſt vetitum ex Can. *Tribus gradibus* 23. *de conſecr. diſtin.* 2. ibi, *Tanta in altario certè holocauſta offerentur, quanta populo ſufficere debeant, quod ſi remanſerint, in craſtinum non ſeruentur, &c.* vbi Gloſſa ad propoſitum ſignantèr ait: *hic prohibetur reſeruari ad opus conſecrantium*, tùm etiam quià Sacramentum in Parochiali ſeruari debet, vel ex privilegio in Eccleſijs regularium, maximè conſpicuis, vt decrevit S.

C. in

C. in vna Panormitana apud Nicolium *in floſt.* ver. *Eucbariſtia nu.* 22. & ideò noſtra Synodus ſub Illuſtriſs. de Palafox *par.* 2. *nu.* 43. ſtatuit, quod Euchariſtia extra Parochiales aſſiduè non aſſeruetur, niſi adſit Papæ privilegium, vt in Regularibus.

708 Quæſtio VII. Sacerdos prædictus an ſaltem poſſit in Oratorio villæ ex diſpenſatione Epiſcopi Euchariſtiam ſeruare, ſi ibi ſit fidelium multitudo (vt tempore meſſis, aut vindemiæ) & timeat prudentèr, quod aliquis eo tempore moriatur ſine Viatici ſumptione ob Parochiæ diſtãtiam? Reſp: Affirmat Venerus *in exam. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 9. *nu.* 31. & ego dicerem aliquando abſque licentia Epiſcopi, ſi mors imminens non det dilationem, ſupponendo tamen, quod eâ, qua decet reuerentiâ ſeruari poſſet.

709 Quæſtio VIII. Sacerdos in caſu, quo poteſt ſibi extrà Sacrificium Euchariſtiam miniſtrare, an teneatur de manu

Dia-

Diaconi, ſi fortè ibi adſit, Sacramentum ſuſcipere? Reſp: Minimè. Diana *par.* 11. *trac.* 7. *reſol.* 42. §. *& hanc opinionem.*

710 Quæſtio IX. Sacerdos in villa, ſi conſtituatur in articulo mortis, vndè Diaconus, illi Euchariſtiam defert, an poſſit proprijs manibus illam ſumere? Reſp: Affirmat Caſtrop. *part.* 4. *trac.* 21. *diſp. vnica punc.* 17. *n.* 10. non ſolùm poſse, ſed & debere ſibi miniſtrare; definit enim Diaconus eſse miniſter præſente Sacerdote. Sed negat adhuc Diana *par.* 5. *trac.* 3. *reſol.* 48.

711 Quæſtio X. Poteſt ne etiam Diaconus in villa, à qua abeſt Presbyter ſe ipsum communicare? Reſp: Ità planè etiam nulla vrgente neceſsitate. Leander *de Sacram. Euchar. diſp.* 4. *quæſt.* 16. ex conceſsione Concilij Nicœni, cum Vaſquez, & Dicaſtillo contra Emmanuelem Sà, & Ludouicum.

712 Quæſtio XI. Subdiaconus an poſsit in extrema neceſ-

ſitate

ſitate conſtitutus in villa, vbi nō adeſt idoneus Miniſter, ſe ipſum communicare? Reſp: Negat Jordan. *tom.* 1. *lucubr. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 22. Affirmat Leander *cit. quæſt.* 12.

713 Quæſtio XII. An laicus in iiſdem circumſtantijs (in articulo mortis ſcilicet) poſſit ſibi ipſi Euchariſtiam miniſtrare? Reſp: Negat Antonius Volpe *in reſol. moral.* ver. *Euchariſtia, reſol.* 59. *nu.* 5. Macrì *in hierolex.* ver. *Diaconus, col.* 2. & alij: Affirmat Eſcobar *in ſum. Theol. moral. trac.* 7. *exam.* 6. *cap.* 5. *nu.* 62. verſu *ſcio in caſu.*

714 Quæſtio XIII. Subdiaconus, & laicus prædicti ſtante affirmatiua ſententia, an etiam poſsint alijs miniſtrare? Reſp: Negat Serra *in ſum. comment.* D. Thom. *par.* 3. *quæſt.* 80. *art.* 3. verſu *de Subdiacono*, ex Soto *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 3. *in fine*, affirmativam ſententiam intolerabilem exiſtimante. Affirmat, ſecluſo tamen ſcandalo, Caſtrop.

par.

Par.4. trac.21. diſp. vni. pun.17. n.8.& plus addit Hurtadus(apud Leandrum *de Euch. diſp.4. quæſt. 13. in fine*,) loquendo de laico, ait enim, laicum tunc lege charitatis ad alijs miniſtrandũ obligari, quod (ſecundum Hurtadum)fortius procedit in laico ſibimet miniſtraturo, & in Subdiacono.

715 Quæſtio XIV. Sacerdos in villa deficiente, aut nolente Parocho per ſe Euchariſtiam miniſtrare, nec concedere, irrationabiliter tamen, licentiam illam miniſtrandi, an poſset in mortis articulo conſtituto Euchariſtiam porrigere, etiam per modum Viatici? Reſp: Negat Sylu. *in ſumma* ver. *excommunicatio* 7. *nn.*33. Affirmat Brognolus *in ſpeculo cleric. trac.* 9. *cap.* 16. *reſol.* 10. quoniam in his, & ſimilibus caſibus adeſt voluntas interpetratiua Epiſcopi, vel Pōtificis.

716 Quæſtio XV. An etiam poſsit in prædicto caſu miniſtrare

re Sacerdos Regularis? Reſp: Negabit à fortiori Syluester, negat & Toletus *lib.* 1. *cap.* 36. *n.* 3. Affirmat tamen Brognolus *cit. reſol.* 10. Mancinus *in prax. viſit. infirm. pract.* 8. *dub.* 10. & alij. Imò Caſtrop. *par.* 4. *trac.* 21. *pun.* 19. *nu.* 8. docet, poſse etiam regularem pluries requiſitũ à moribundo devotionis gratiâ, vt Sacramentum Euchariſtiæ miniſtret, pluries miniſtrare, quam Palai ampliationem ſinè Parochi licentia non admitto. Immeritò ergo elapſis his diebus approbatæ religionis Patres In villis huic Vrbi contiguis reſidentes renuerunt moribundo ſacrum Viaticum miniſtrare; maximè quià de contraria voluntate Parochi loci ipſis non conſtabat; vndè adminiſtrationem rathihabẽdam à Parocho præſumere debebant; benè verùm quod, poſt factum debet ſemper loci Parochus monere de celeri indigentia, & de adminiſtratione Viatici eâ ſtante facta.

717 Rogabis hic. Quando Parochus dicatur irrationabiliter licentiam negare? Reſp: Quãdo negatâ licentiâ exiſtimatur, quod moribundus ſine Viatico decedet.

718 Quæſtio XVI. In caſu, quo Sacerdos in villa non poſset Viaticum miniſtrare, vel ſi poſſet ex negligentia, aut nequitia nollet, an poterit Diaconus ex illius commiſsione, aut ipſo renuente Viaticum miniſtrare? Reſp: Affirmat Serra *in 3. par. quæſt.* 82. *art.* 3. verſu *quare licet.*

719 Quæſtio XVII. Sacerdos in villa deferens Euchariſtiam ad infirmum diſtantem, an poſsit cooperto capite incedere? Reſp: Ita plane. Paſqualigus *de ſacrif. nouæ leg. quæſt.* 831. *nu.* 5. ſic dicens. Accedit etiam quod Sacerdos deferens Euchariſtiam ad infirmos debet incedere detecto capite, & tamen quando neceſsitas exigit, vt in Villis, quando longe deferenda eſt, defert cooperto capite. hæc ille. quæ in-

intellige locum habere , ſtante aliqua neceſsitate: quod ſi nulla adſit, vel quia infirmus ſit vicinus, tempuſue ſerenum, nec frigus nimis vrgeat , contrarium erit dicendum.

720 Et hic obiter tota eumdem Paſqualigum *quæſt.* 483. *nu.* 4. & 8. docuiſse , poſse Epiſcopum diſpenſare cum ſuis ſubditis , vt poſsint cooperto capite Euchariſtiam deferre, & cum Regularibus horum Prælatos. Vide quæ ſpectant ad celebrationem cum pileolo ſupra *cap.* 1. *à nu.*312.

721 Quæſtio XVIII. Sacerdos in villa quomodo deferre debet Sanctiſsimum Viaticum , ſi infirmus diſtet ab Eccleſia? Reſp: Vnum particulam tantum ſecum deferat (vel plures quo plures ſunt moribundi Viaticum ſumpturi) quam reponat in vaſculo argenteo incluſo intra burſam collo appenſam propter difficultatem viarum, & itineris longitudinem, & peracta communio-

ne

ne depoſitis ſacris veſtibus priuatim reuertàtur. Pacius Jordanus *tom. 1. lucubrat. lib. 3. tit. 3. nu. 21.* Id ipſum ordinatum reperio in Synodis prouincialibus Mediolanenſibus sub D. Carolo apud Specianum (Synodorum collectorem) *lib. 3. tit. 6. cap. 5.* Ita etiam ſeruatur hìc Panormi, vbi Magiſter Capellanus, vt expeditiùs Viaticum miniſtret moribundis in villis extra Vrbis ambitum decumbentibus, particulam conſecratam ab Eccleſia infirmo proximiori (ſit illa ſæcularis, vel regularis) accipit ſtante immemorabili conſuetudine, ex qua cum cereis accenſis diſcedit ad Viaticum miniſtrandum.

722 An autem Eccleſia vicinior particulam negare poſsit? Reſpondeo negatiuè; quia conſuetudine immemorabili poteſt Parochus acquirere ius extrahendi Euchariſtiam ab Eccleſijs Regularibus (idem dicas de ſæcularibus) ad vſum ſuarum ouiũ.

Ita

Ita in terminis Ceſpedes *de exēp. Regul. dub.*131. *nu.* 1. ex Riccio, & Rota. In caſu verò quo immemorialis Parocho non ſuffragatur, adhuc illicitè particula denegatur, ſi fideli mors immineat, & periculum decedēdi ſinè Viatico urgeat.

723 Quæſtio XIX. Propter decentiam non permittunt Doctores, quod Sanctiſſimum Viaticum feratur equitando, niſi vbi fauet conſuetudo, an id liceat in villis? Reſp: Affirmat Cotonius *lib.*2. *controu.*4. *nu.* 189. & rationem reddit, quia in villis tantùm viget conſuetudo prædicta. Affirmare item debent quotquot docent, præſcindendo à conſuetudine, licere Parocho ad infirmum longe diſtantem Euchariſtiam deferre in equo manſueto, itaut non ſit periculum lapſus. Sic Quintanadueñas apud Buſemb. *lib.*6. *tract.*3. *cap.* 2. *dub.*1. *artic.* 2. *nu.* 3. qui ex Poſſeuino, & Barboſa addit, & rectè non licere pixidem dare portandam

laico,

laico, quamvis Paſtor ſit fatigatus, ſed potius ex collo ſuſpendendam burſam. hæc Buſembaū.

274 Atque hic referre non omittam, quod planè notum eſt, Rodulphum Comitem ad Imperium euectum, eo quod ſingulari pietate Presbyterum pedeſtrem ad ægrotum Sanctiſſimam Euchariſtiam deferentem equum, à quo vehebatur, aſcendere iuſſerat, vt per ſalebroſas vias ad ſuum obeundum miniſterium, tunc & futuris temporibus incedere commodè poſſet, quod adeo fuit Deo gratum, vt reuelauerit cuidam ſanctimoniali, Comitem tali facinore maximam dignitatem promeruiſſe, id quod Imperiale Diadema poſt vigintiduos annos ſuſceptum comprobauit. vide Odoricum Rinaldū *ad annum* 1252. *nu.* 57. Tantum ergo abeſt, quod Euchariſtiam equitando deferre ſit indecens, vbi neceſſitas impellit, etſi conſuetudo deficiat, quod potius Deo placeat.

725 Quæſtio XX. Sacerdos in villa an poſſit cum Sacramento currere, vt ægrum ſubitò moriturum communicet? Reſpondet Buſembaum his verbis; præſtat ægrum incommunicatum mori, quam Sacerdotem in habitu cum Sacramento per publicũ currere, & ſi feſtinare valde debet. Hæc ille. *loco cit.nu.*2. quaſi quod currere contineret indecẽtiam.

726 Sed Georgius Gobat *de Sacram. tract.*4. *num.* 406. cum Quintanadueña, & Diana nullam agnoſcens indecentiam, currere permittit, niſi adiungatur periculum grauis lapſus, aut veri ſcandali. Nihilominus ſententia Buſembaum meo videri in villis, vbi regulariter pauciſſimi sũt ſpectatores, locum habere non poſſet; mihique fauere videtur Gobat *cit. num.* 407. dum dixit, quamquam intra vrbem, frequẽtem, & interdiù non ſuaderem curſum.

727 Quæſtio XXI. Fidelis in

villa an poſſit in articulo mortis ſacrum viaticum ab excommunicato denunciato recipere, ſi aptiori careat Miniſtro? Reſp. Negat Coninch. *de Sacr. quæſt.* 64. *artic.* 6. *num.* 48. niſi quando alia ſacramenta recipere nõ poterit: ſed affirmat Verricelli *de Apoſt. miſſion. quæſt.* 142. *ſect.* 1. *num.* 4. etiam in caſu quo Sacramentum pœnitentiæ accepiſset; imò abſente ſcandalo, docet, ægrum ad id teneri *loco cit. nu.* 9.

728. Quæſtio XXII. Sacerdos excommunicatus, iſque denunciatus, & moribundus, ſi non habeat à quo abſoluatur, an poſſit celebrare, vt ſe ipſum communicet? Reſp. Affirmat Cornejo 3. *par. tract.* 5. *de excommunic. diſput.* 10. §. 1. *dub.* 1. & probabile putat idem Verricelli *nu.* 6. Cæterum pro praxi caſus mihi videtur metaphyſicus, quibuſnam enim viribus moribundus pollere poteſt ad ſacrificium ritè, & decenter offerendum?

729 Quæſtio XXIII. Fidelis

ac-

accesſurus ad villam præuidet, quod intra tempus paſchale non poteſt communionis præceptum adimplere, an teneatur communionē præuenire? Aduerto quæſtionem non procedere quando intra tempus paſchale, E.G. primam hebdomadam, præuidetur in ſecunda non poſſe quem communicare, tunc enim certum eſt teneri præuenire, eodem prorſus modo, quo quis ſummo mane tenetur ſacrum audire, ſi præuidet tardiùs non poſſe ſacro interuenire. Ita cū communi Leander *cit. quæſt.* 32.

730 Pro reſponſione eſt ſciendum aliquos, & ſanè grauiſſimos Auctores docuiſſe, præceptum communionis paſchalis ita eſſe paſchali tempori addictum, vt extra illud nullo modo obligare poſſit, ad eum modum, quo nec præceptum horarum Canonicarum, ieiunij, audiendi ſacrum, &c. extra dies, quibus affiguntur, obligant, indeque docent nullam præueniendi obligatio-

nem vrgere. Ita Azor. Suarez, Filliuc. Coninck, Reginaldus, & alij, quos citat, & ſequitur Leander *de Sacr. tract. 7. diſp. 3. q. 30.* quibus adiungo Geſualdum *de Sacram. tract. 12. cap. 4. num. 16.* Tamburinum *in opere poſthumo nuper edito de præc. eccleſ. tract. 3. cap. 3. nu. 18.* Azorij ſententiam probabiliorem reputantem, imò Azor. *tom. 1. inſtit. lib. 7. cap. 30. quæſt. vlt.* dixit, nullum Doctorem contrarium docuiſse, quæ ſentētia habere poteſt fundamētum in vtroque iure in cap. *Sicut ex literis 22. de ſponſal.* & in l. *ſi fideiuſſor. 29. §. fin.* vbi gl. ff. *mand.* vbi obligationem tempori addictam eo tranſacto ceſsaſse, cenſeri debet.

731 E contra tamen alij Doctores, nec minoris notæ, illud præceptum paſchale tempus ad ſollicitandam, non ad finiendam obligationem reſpicere, ſubſtinent, & per conſequens præceptum ad præueniendum cogere. Sic Vaſquez, Nuñus, Syluius,

Dia-

Diana, & alij, apud cit. Leand. quibus addo Cotonium *lib.1. cõtrou.15. n.38.* Petrum à S.Ioseph *in Theol. ſacram. lib.2. cap. 8. reſol. 3. nota 3.* vbi quamuis contrarium doceat, anticipare tamen communionem tutiùs putat, & in praxi conſulendũ, Leonardũ Duardum *in cap. omnis* §.2. *diſp. 3. ſect. 4. nu. 2.* Prioris ſententiæ aſſeclæ non ſolùm excuſant ab obligatione præueniendi, verùm etiam poſtponendi; poſterioris verò ad vtrumque adſtringunt, quamvis Azor. & nonnulli eximant à primo, ſed à ſecundo non excuſent.

732 Alij tandem obligant ſolùm ad præuentionem illum dũtaxat, qui intra annum nec communicauit, nec communicare poterit. Sic Abelly *in medul. theolog. par. 2. tract. 1. cap. 4. ſect. 8. num. 3.*

733 Ego verò inhærens noſtris Synodalibus Conſtitutionibus *par. 2. nu. 51.* ad quæſtionem reſpondeo affirmatiuè; & ratio

eſt, quia Synodus *loco cit.* abſentes, qui nec alibi pręcepto communionis paſchalis ſatisfecerũt, adſtringit, vt reuerſi ſub excommunicationis pęna præcepto pareant, ergo apud nos non debet ſupponi præceptum communionis paſchali tempori affixum; proindè ſicuti debet poſtponi, ita & anticipari, & ſic diſcurrens, ſententiam, quam ſequimur defendit Cotonius *d. nu.* 38. nullâ habitâ ratione ad citatam Synodum: cuius ratio velut à priori eſt, quia per paſchale præceptũ Eccleſia intendit tum communionem, tum temporis circumſtantiam, ſcilicet Paſcha, quod idem eſt ac dicere quod præceptum communicandi (vtor verbis Duardi *citati ſect.* 3. *nu.* 3.) duas partes includit æque principaliter intentas, vt communio vltra annum non differatur, & vt ſaltem fiat tempore Paſchatis.

Ad textus autem tum in cap. *Sicut*, tum ex l. *ſi fideiuſſor ſupra cit.* reſpondetur, illorum deciſio-

nes

res rectè procedere, nobis tamen non officere, cum loquantur de obligatione tali tempori addicta, vbi verò tempus non eſt determinatum ad finiendam obligationem, ad *tex.* in cap. *cum dilecti 6. de dolo, & contum.* & in l. *Celſus* §. *ſed ipſe* 28. *ff. de recep. arbitr.* adhuc extra deſignationem temporis præceptum vrgere fatendum eſt.

734 Quod autem adſit obligatio poſtponendi, eſt apud Doctores communior ſententia, quã ſequuntur Villal. *in ſum. par.* 1. *tract.* 7. *diffic.* 42. *n.* 8. Delugo *infra citandus*, Ginard. *oper. moral. par.* 2. *nu.* 742. dicens, hunc eſſe vſum Eccleſiæ. Abelly *medul. theol, par.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 8. *num.* 3. aſſerens eſſe ſententiam probabiliſſimam, & in praxi magis receptam, Duardus *cit. ſect.* 3. *nu.* 2. dicens eſſe veriorem, & ex neotericis Felix à Panormo *tom.* 2. *oper. moral. nu.* 908. & longè probabiliorem, & tutiorem appellat Natalis Alexandro *in*

theol.dogm. & mor. tom. 1. lib. 2. cap. 1. artic. 5. regul. 7. fol. 27. & miror eamdem ſententiam docuiſſe Azorium *d.cap. 30.quæſt. 5.* & alios, qui ab obligatione præueniendi eximunt, non autem poſtponendi, cum vtrobique par ſit ratio.

735 Quæſtio XXIV. Fidelis prædictus ſi affirmatiuæ ſententiæ adhærens tempus paſchale communione præuenerit, & præpeditus villam non petierit, an teneatur iterum paſchalibus diebus communionem ſuſcipere? Reſp. Affirmat Leander *loco cit. quæſt. 31.* ſed ego cohærenter ad prædicta nego cum Diana *par. 2. tract. 4. reſol. 42.* verſu *ſed ſi quis* cui aſſentitur Gobat in *Theolog. exper. tract. 4. nu. 40.*

Dixi cohærenter ad prædicta, vt pateat, quod negatiua reſponſio neceſsariò ſequitur ex affirmatiua ſententia quam *num. 733.* propugnauimus, vt ponderat Tamburinus *in methodo commun. cap. 4. nu. 38.*

736 Quæſtio XXV. Qui non ſatisfecit communioni paſchali iuxta affirmatiuam ſententiam, an toties peccet, quoties potens non adimplet? Reſp. Delugo *de Sacr. Euchar. diſp.* 16. *ſect.* 4. *nu.* 66. apud Dianã *par.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 3. *in fine.* quamuis agnoſcat elapſo paſchali tempore obligationem communicandi, negat tamen quod vlterior hæc obligatio nouam culpam ſemper afferat, ſed affirmat Diana *par.* 11. *tract.* 7. *reſol.* 14. §. *ex dictis ſequitur.*

737 Rogabis. Quodnam dicatur tempus paſchale? Reſp. Abbas Panormitanus in cap. *omnis, de pœnit. & remiſs.* apud Duardum *cit. ſect.* 2. *num.* 1. voluit de iure intelligi Dominicam Reſurrectionis cum ferijs ſecunda; & tertia immediatè ſequentibus, & de conſuetudine etiam feriam quintam in Cœna Domini. Conſonat cũ quodam Breue Eugenij IV. quatenus declarauit præcepto ſatisfieri ſi paulò poſt diẽ Reſurrectionis cõmunio ſuſcipiatur.

738 Sed ex declaratione generali eiuſdem Eugenij in Bullario *tom.* 1. *conſtit.* 20. eiuſdem Pōtificis anno 1440. 3. *Iulij* emanatâ liquet præcepto ſatisfieri, ſi communio in hebdomada ſancta, vel infra octauam Paſchę Reſurrectionis ſuſcipiatur.

739 De conſuetudine verò nonnullarum Prouinciarum paſchalis temporis nomine veniūt omnes quadrageſimæ dies, & ſequentes, vſque ad Dominicam in Albis, & alicubi vſque ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha, (quæ boni Paſtoris nuncupatur) teſte Duardo *cit. ſect.* 2. & alijs. Videatur Ioan: Azor. *cit. cap.* 30. *qu.* 2.

740 Ex priuilegio tandem Paſchatis nomine id venit, quod reſcripti tenor exprimit; huiuſmodi gaudet noſtra Panormitana Diœceſis, vbi à prima Dominica quadrageſimæ, vſq; ad Dominicam in albis incluſiuè incipit, & deſinit paſchale communionis præceptum. Unaquæque

ergo

ergo Prouincia, niſi conſuetudi-ne,priuilegioue nitatur, paſcha-le tempus pro cõmunionis præ-cepto à Dominica palmarum ad illam in albis incluſiuè compu-tabit.

741 Quæſtio XXVI. Fidelis in Villa an poſſit præceptum communionis omittere, ſi mini-ſtranti Euchariſtiam eſt inimi-cus? Reſp. Affirmat Baronius *de effect.inimicitiæ effect. 159. nu.21.* ne fidelis, vt ipſe ait, in Sacra-menti ſuſceptione contriſtetur, & peccet. Unde ceſſante pec-candi periculo inimicitiam non puto ſufficientem cauſam excuſandi à præcepto.

FINIS.

INDEX

MATERIARVM

A

Abbas.

ABbates Caſſinēſes nullo modo poſſunt conſecrare Altaria, Campanas, Vaſa, & Veſtes pro perſonis, & Eccleſijs, quæ non ſunt ſui Ordinis, & extra loca ſibi ſubiecta. n.26.

Abſtemius.

Quinam dicatur? n.694.
Si ſit Sacerdos an poſſit Calicem ſola aqua purificare? n.694. & 695.

Adoratio.

Latriæ quid, & quotuplex? nu. 423. & 424.

Crux quo cultu adorāda? n.424.
Species Euchariſticæ mutatæ in formam pueri V. G. an adorandæ, & quo cultu? n.423.

Altare.

Quid ſignificet? n.24.41.& 43.
Vnde ſic dictum? n.24.
Debet conſecrari. *Ibidem*, & à quo? n.26.
Debet eſſe lapideum. n.23.
S.Lucianus, & Theodoretus ob defectum Altaris celebrarunt hic ſupra manus Diaconorum, ille ſupra ſuum pectus. n.25.
Aliud ſtabile, aliud portatile. n.27.
Sine Altari conſecrato celebrare peccatum eſt graue. n.28. niſi concurrat grauiſſima cauſa. n.29. Quænam illa ſit? *Ibidem*.
Non ſufficit graue damnum imminens in fidei contemptum. n.30.
Quid ſi dubitetur de contemptu prædicto? *Ibidem*.
An poſſit celebrari ſine Altari, vbi non eſt liberum exercitiū Catholicæ Religionis? n.31. *& ſeq.*

Vel

Vel cauſa miniſtrandi Viaticũ. *Ibidem.*
Vel quando obligat ius naturale ad celebrandum? *Ibidem.*
Sacerdos latinus an poſſit vti Altari cedrino Maronitarum? n. 37. & ſeq. Maronitæ quinam? *vide. v. Maronitæ.*
An poſſit conſtrui ex duobus lapidibus? n.40. Quid ſeruandũ in illius ſtructura? n.44.
An per fractionem amittat conſecrationem? n. 45. & 48. *in fine*, vbi remiſſiuè reijcitur Delgadillo, & per quam fractionem? à n.47.
An per fractionem ſepulchri? n.49.
An per ſciſſuram in duas partes? n.52.
Reliquiæ an ſint de eſſentia in conſecratione Altaris? *Vide* v. *Reliquiæ.*
In dubio conſecrationis Altaris ad Epiſcopum recurrendum. n.51.
Poteſt ne celebrari ſuper Altari non conſecrato, in quo tamen
cele-

celebrauerit Sacerdos bonâ, aut malâ fide? n.53.& 54.
Altare ſupradictum debet ne ritualiter conſecrari? n.54.
Altare conſecratum num prophanetur per exercitium heterodoxæ religionis. n.56.
Debet ne celebrans explorare, num altare ſit conſecratum? n. 57.
Dirutâ Eccleſiâ an poſsit ſuper Altare, quod integrum remãſit poſt diruptionem celebrari? n.58. & ſeq.
In Altari, vbi Epiſcopus celebrat, eodem die non poteſt celebrari? *Vide* v. *Epiſcopus.*
Altare notabiliter fractum, quãuis amittat conſecrationem, fragmenta tamen debent venerari, n.149.
Propter Altarium conſecrationẽ licet extra prẹſcriptam horam celebrari. nu. 300. vbi quod Panormi propter Altarium conſecrationem Miſſa fuit celebrata poſt ſolis occaſum.

Al-

Altare Priuilegiatum.
Indulgentias Altaris priuilegiati an, & quãdo lucrari poſſumus per Miſſam de die, ſi priuilegium requirat Miſſam defunctorum? n.274. vbi nouiſſima Decreta.
Aqua.
Quæ infunditur in vinum an cõuertatur in ſanguinem? n.685. & 686. *vbi remiſſiuè.*
Ara. vide *Altare.*

B

Baptiſmus.
MInistrari poteſt cum materia dubia in neceſsitate. n 646.
Byſſus.
Quid? An hodie inueniatur? & an ſit apta materia pro mappis? n.23. §. *Et hinc.*

C

Cæremoniale Epiſcoporum.
HAbet vim legis. n.8.
Calix.
Chri-

Chriſtus Dominus in quonam Calice, & Patena celebrauerit? n. 165.
Ex quanam materia confici debeat? n. 165. & 166.
An ex Stamno? n. 168. *& ſeq.* Plũbo? n. 172. Ferro? *Ibidem*, Aurichalco, & Ære? n. 172. Lapide, Chriſtallo, Ebore, &c.? n. 174. & 175.
An ſufficiat, quod Cuppa ſolùm ſit aptæ materiæ? n. 176. Quid de pede? & quid requiratur, vt ſit aptus? n. 177.
Cuppa an debeat deaurari? num. 178. Et ſub quã culpa? *Ibidem verſu concludi.*
An poſſit fieri ſeparabilis à cuppa? n. 179.
Debet conſecrari n. 180. A quo? n. 26. quid poſſint Abbates Caſſinenſes? *Vide* v. *Albas.*
An aliquando poſſit celebrari in Calice, & Patena non conſecratis? n. 181. & 182. Aut de quorum conſecratione dubitatur? n. 183.
An in non conſecrato, cum quo

quo tamen alius Sacerdos miſſam celebrauerit? nu. 184. & 185. An tunc requiratur bona fides? n. 186. An debeat Calix prædictus ritualiter conſecrari? n. 185. *Qui* eo abutitur an incurrat hæreſis ſuſpicionem? n. 187. versu *Et hic.*

Celebrans ſcienter in Calice, non conſecrato neſciens, quod conſecratio eſſet neceſſaria, peccat. *Vide* v. *Sacerdos.*

Calix, & Patena amittunt conſecrationem, ſi mutant formã. n. 188.

Ex quanam fractura amittatur forma, & conſecratio? n. 190.

Calix ſi aliquibus ictibus mallei percutiatur, non amittit conſecrationem. n. 191. Defenditur Aſcanius Tamburinus. n. 192.

Fractus, & per vnionem partium refectus, non eſt aptus ſacrificio. n. 193. Reijcitur Delgadillo. *Ibidem.*

Quid ſi paruo foramine, ex quo affluere poſſunt ſpecies ſacra-

men-

mentales, ſit ruptus? nu. 194.
Quid ſi foramẽ commodè obturari poſſit? & quomodo obturandum? n.195.
An etiam amittat conſecrationem, ſi in cuppa perijt deauratio? n. 199. & 200. Quid ſi artificioſè auferatur? n.201.
Iterum deauratus an debeat iterum conſecrari? n.202. Sentẽtia Auctoris. n.203.

Campana.

A quo conſecranda? n.26.

Candela.

Quot, & cuiusnam materiæ debeant eſſe pro ſacrificio? vide v. *Lumen.*
Candelæ, Palmæ, & Cineres poſſunt diſtribui cum pileolo. n.324.

Candelabra.

Quot requirat rubrica? n.84.
An poſſit ſine illis celebrari? nu. 85.
An poſſint adhiberi prophana? Et an prophana, quæ deſeruierunt altari poſſint amplius reſtitui ad priſtinos vſus? n.86.

In illorum defectu an poſſint adhiberi fructus, puta mala maſsilica &c.? n.87.

Canonicus.

Vide v. *Capitulum.*

An, & qualiter teneatur ad communionem Feria V. in Cœna Domini? n.519.

Canonici inter Clericos Diœceſis primum locum obtinent poſt Episcopum: *Ibidem.* Dicuntur fratres Episcopi. *Ibid.* Senatus sunt Eccleſiæ ex Tridentino. *Ibidem.*

Capellania.

Collatiua beneficium eſt. n.342. Et quænam ſic nuncupatur? Et per quid differat à non collatiua? n.344.

Quando non eſt Sacerdotalis nõ obligat Capellanum ad per se ipsum celebrandum. n.356.

Idem dicendum quando eſt Sacerdotalis, sed non obligat expreſsè ad per se ipsum celebrandum. *Ibidem.* Quid ſi Episcopus, aut Patronus contradicant? *Ibidem.*

Ca-

Capellanus.

An poſſit præuenire, vel poſtponere Miſſam à teſtatore pręfixam causâ peragendi ad villam? nu. 326. Et per quantum temporis ſpatium? *Ibidem.*
Sub qua culpâ pręfixio horæ ſupradictæ ſeruari debeat? n. 327.
Quid ſi omittat celebrare die deſignato, an ſcilicet teneatur die ſequenti? n. 338.
Obligatus celebrare quotidie in altari deſignato quomodò, & quando peccet celebrando in alio ob rationabilẽ causã accedendi ad villam? n. 339. *& ſeq.*
Si ſine cauſa fiat, an teneatur ad aliquam reſtitutionem? n. 342. Et an peccet? n. 345. Et an teneatur iterum iuxta deſignationem à teſtatore factam celebrare? n. 346.
Obligatus celebrare in deſignato altari, die, & horâ, propter quod vltra conſuetum ſtipendium aliquod percipit emolumentum, an aliquando poſſit illud retinere, quamuis deſigna-

gna-

gnationem fundatoris nõ ſeruauerit? n. 347. *& ſeq.*
Epiſcopus an poſſit diſpenſare, vt obligatus, vt ſupra, alibi celebret? *Vide* v. *Epiſcopus.*
An poſſit per alium ſatisfacere, qui ex fundatione tenetur certo loco, die, & hora celebrare? n. 353. & 356. An contradicente Epiſcopo, hæredibus, aut patrono? *Ibidem.*
Quando obligatur ad per ſe ipſum celebrandum? n. 353. *& ſeq.*
Obligatus quotidie ad celebrandum an excuſetur aliquando, eo quia non habet cui confiteri poſſit? n. 359.
An poſsit ſemel in hebdomada celebrationem omittere oblectamenti gratiâ? nu. 360. Doctorum placita. *Ibidem*, & nu. 361. Decretum S. Congregationis. nu. 362. Reijcitur Vidal. n. 363.
Collatiuus quinam dicatur? nu. 342. & 344.
Clericus poteſt eligi in Capella-

lanum. n.354.
Obligatus celebrare in altari priuilegiato an ſatisfaciat celebrando in non priuilegiato cũ calculo, medalia, &c. animam liberante? n. 328. *& ſeq.*
Quænam certitudo requiratur de indulgentia conceſſa medaliis, &c. n.335.
An poſſit vti medalia mutuo accepta? n.337.

Capillamentum, ſiue Perucha.

An poſſit cum capillamento ſine diſpenſatione celebrari Miſſa? n.318.
Gaudet priuilegio pilei. n. 319.
Contra illud nõ poteſt fieri exequutio. *Ibidem.*
Illius vſus in Eccleſia ſemper infamis fuit reputatus. n.320.

Capitulum.

Habet poteſtatem ferendi leges pro gubernio Eccleſiæ, & ſoli Canonici habent omnimodam adminiſtrationem in Eccleſia. n.324. verſu *nec eximo.* remiſſiuè.

Car-

Cardinalis.

Itinerans viſitationis cauſâ, vel recreationis, an poſſit celebrare ante auroram, vel poſt meridiem, & per quantum tempus? n.291. & 292.
Qui audit Miſſam in capella Cardinalium ſatisfacit præcepto. n.468.

Clauſula.

Non obſtante quacumque conſuetudine, quid operetur? nu. 321.

Color paramentorum.

Rubrica de coloribus an ſit prçeptiua? n.152.
Vnus color poteſt nè loco alterius cum cauſa ſubrogari? nu. 153.
Sacerdos non habens niſi paramenta vnius coloris an poſſit diſcriminatim illis vti? n.154.
Quid dicendum de colore aureo? *Ibidem.*
Quid de colore nigro, an ſcilicet poſſit cum cauſa adhiberi diebus lætitiæ? n.155.
An pro cauſa ſufficiat obligatio cele-

celebrandi propter feſtum de præcepto? n. 156. & ſeq.
Panormi, tempore paſchali anni 1694. in paramentis violaceis fuerunt celebratæ Miſſæ in ſignum mœſtitiæ propter furtũ Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & quomodo id euenerit refertur n. 159. verſu *Occaſione*.
Color niger an poſſit adhiberi loco albi, vbi ex conſuetudine niger exiſtimatur feſtiuus, albus verò luctuoſus, prout apud Indos? n. 160.
Habens paramenta coloris conuenientis, ſed lacera, & indecentia, an poſſit celebrare Miſſam votiuam, pro qua habet paramenta congrui coloris, & decentia? n. 162.
Et tunc an potiùs deberet celebrare Miſsam de tempore cũ indumentis coloris incongrui, an potiùs votiuam cum illis coloris conuenientis? n. 163.

Communio.

An poſsit fieri cum capillamento? n. 218. verſu *Argumentum*, & n.

& n.320. *in fine.*
Sub qua culpa fieri debeat à Clero feria V. in Cœna Domini? n.512. *& ſeq.* & n.518.
Quid dicendum de Canonicis? n.518.
Quid de Monialibus? n.516.
Quid de Prælatis,& Parochis cōmunionem non curantibus? n. 514. & 515.
Feria VI. Paraſceues an posſit communicari? n.530. & 531.
Latini an, & quando posſint cōmunicare in fermentato, & Græci in azymo? n.659.
Sacerdos an posſit deuotionis causâ ſe ipſum communicare extra Miſsam? n. 700. & 701.
An qualibet hora? n.702. An tūc debeat vti ſtola? n.703. candelas accendere, & confesſionem generalem præmittere? n.704. An debeat ſuſcipere de manu Diaconi, ſi forte adſit? n.709. Quid dicendum vrgente mortis articulo? n.710.
An etiam Diaconus deuotionis causâ posſit ſe ipſum communi-
ni-

nicare abſente Sacerdote? nu. 711. An Subdiaconus in extrema neceſsitate? n. 712. An laicus? n. 713. Subdiaconus,& laicus an poſsint alijs miniſtrare? n.714.

Communio quo ad præceptum paſchale. *Vide* v. *Præceptum.*

Communicare laico modo quid importet? n.706.

Sacerdos poſtquam die Natalis Domini communionem laico modo ſumpſit, an poſsit duas Missas celebrare? n.705.

Conſuetudo.

Vt obliget quid requiratur? n.5.

In facultatiuis non introducitur. n.171.

Clauſula: *Non obſtante quacumque conſuetudine*: quid operetur? n.321.

Corporale.

Sinonyma illius n.212. remisſiuè.

Vnde dictum? *Ibidem.*

Debet esse lineum, album, & mundum *Ibidem.*

Poteſt fieri etiam ex Canape, aut Goſsypio. nu.214. & 215.

Et quid tunc aduertendum? n.216.
An poſsit fieri ex linteis factis ex alijs herbis? n.217.
An poſsit circumdari auro, aut ſerico? n.213.
Debet benedici, & à quonam? *Ibidem.*
Benedictio ſub graui requiritur. n.218.
Poteſt ne aliquando ſine corporali benedicto celebrari? nu. 218.& 219. Quid tunc aduertendum? n.220.& 221.
Et quid ſi nec corporale non benedictum habeatur? n.218. Et quomodo defectui corporalis occurrendum? n.220.
Corporali lacero an vtendum? n. 222.
An ſordido? n. 223.& ſub qua culpa? n.223.verſu *non immeritò.* Culpam qui contrahant? n.224.
Sordidum an poſsit inuerti, & inuerſo vti, & quid tunc ſeruandum? n.226.

Crux.

Quo cultu adoranda? *Vide* v. *Adoratio*.
Figura eſt Chriſti. n. 2.
In medio altaris pro ſacrificio collocanda, & quo Iure? n. 3. *& ſeq.*
Quale peccatum ſine Cruce celebrare? n. 3.
Crucis Carauazæ euentus. nu. 6. remisſiuè.
An requiratur in altari quando Icon eſt Crucifixi Imago? n. 7. Aut quando adeſt Sanctisſima Euchariſtia ſiue expoſita, ſiue intra tabernaculum? *Ibidem*.
In Cruce an requiratur Imago Crucifixi? n. 8.
Sine Cruce Miſſa an, & quando celebrari posſit? n. 9. *& ſeq.*
Crux qualiter depingi posſit? n. 12.
Quando celebratur ſine Cruce, an, & quomodo fieri debent reuerentiæ Cruci debitæ? n. 13.

D

Doctores.

LAudantur Antonius Diana. n. 303. & 433.
Antonius Cotonius. n.35.
Auguſt. à Uirgine Maria. nu. 302.
Benedictus Pereyra. In prooemio. & n. 176.
Cæſar Panimollis. n.8.
Chriſtophorus Delgadillo. n. 292.
Dominicus Macri. n. 39.
Franciſcus Maria Maggio. n. 23. 233. 310. & 387.
Franciſcus Suarez. nu. 211. 304. & 411.
Fulgentius Caſtiglione Auctoris præceptor. nu. 277
Geſualdus à Panormo. n. 433.
Hieronymus Vitale. n. 280.
Iacobus Pignatellus. n. 26. 49. & 224.
Ioannes Adamus. Vveber. nu. 126.

Ioan-

Ioannes Baptiſta Corradus. n. 108.
Ioannes Bonifacius Bagatta. nu. 64.
Ioannes Caramuel. n. 420.
Leander à SS. Sacramento. n. 71. & 377.
Nicolaus à S. Ioanne Baptiſta. n. 433.
Pacius Jordanus. n. 479.
Pompejus Sarnelli. n. 136.
Richardus Arsdekin. n. 71.
Roccus Pirri. n. 88.
Silueſter à Prierate. nu. 40. & 222.
Thomas Tamburinus. n. 286.
Vincentius Moncada Authoris præceptor. n. 649.
Vindicantur Aſcanius Tamburinus. n. 191. & 192.
Leander à SS. Sacramento. nu. 376. & 377.
Reijciuntur Chriſtophorus Delgadillo. nu. 146. 230. 278. & 406.
Georgius Gobat. n. 646.
Laurentius Portello. 480.
Leander. n. 598. & 599.

Marcellus Vulpe. n.459.
Marcus Vidal. n.363.
Maior. 406.
Henao. n.466.
Zaccharias Paſqualigus. n.601.

E

Eccleſia.

Conſecrata debet ab Epiſcopo reconciliari, non conſecrata verò à ſimplici Sacerdote benedici. n.548.

Conſecrata ſi polluatur, an poſſit in ea celebrari cum licentia Epiſcopi? Et an Epiſcopus illam concedere? n. 549. Et ex qua causâ? n. 550. & 551. Et an aliquando ſine illâ? nu. 550. & 552.

Poſt celebrationem factam in Eccleſia polluta cum licentia, an poſſit vlterius ſine illa, & ſine neceſſitate celebrari? nu. 555.

In Eccleſia polluta celebrari poteſt, ſi de pollutione ex confeſſione

ſione conſtet. n.554.

Epiſcopus.

In altari vbi Epiſcopus celebrauit, eodem die nemo poteſt celebrare. n.62. *& ſeq.*

Itinerans viſitationis, vel recreationis causâ, an & quando poſſit ante auroram, vel poſt meridiem celebrare? nu. 290. Et per quod temporis ſpatiũ? n.291.

An poſſit diſpenſare, vt obligatus celebrare in loco, & horis deſignatis, alibi celebrando ſatisfaciat obligationi? n.348. & 352.

An, & quando poſſit Miſsam tali altari præfixam à teſtatore aliò transferre? n.357.

Nõ poteſt dare licentiam erigẽdi Oratoria priuata. n.447.

Poteſt tamen Oratoria pro ſe tum in Ciuitate, tum in Villis erigere. n.467.

Et audiens Miſsam in illis ſatisfacit præcepto. n.468.

Etiam ſi ſint erecta in aliena Diœceſi. *Ibidem.*

Siue ipſemet celebret,ſiue coram ſe celebrare faciat. *Ibidem.*
Epiſcopi tenentur quotidie celebrare, vel audire ſacrum. n.470.
Poſsunt ſupra altare portatile, vbi itineris gratia reperiuntur,celebrare. n.469.
Nec hoc priuilegiũ eſt per Tridentinum reuocatum. n.470.
Locus, vbi altare præparatur, qualis eſse debeat? n.471.
An poſsit esse cubiculum Tabernæ? *Ibidem.*
Vel Villæ, vbi apud amicum recreationis gratia moratur? *Ibidem.*
An etiam poſsit erigi ſub dio, dum iter habet? *Ibidem.*
An requiratur cauſa, vt Epiſcopi prædictis priuilegijs vti valeant? n.472.
Non requiritur licentia Ordinarij loci, multò minus Parochi. n.473. & 474.
Prædictis priuilegijs an gaudeãt Epiſcopi Titulares? n.475.
An Epiſcopi nondum conſecrati?

ti? n.476.
Quid dicendum de Prælatis inferioribus? n.469.
Quando Epiſcopus celebrat priuatim in aliena Diœceſi, an poſſit ſolemnem benedictionem impendere, dicendo, *Sit nomen Domini benedictum*? nu. 477.
Epiſcopi an poſſint altare erigere Romæ? n. 478. & 479.
Epiſcopus an poſſit dare licentiam, vt ſine reconciliatione celebretur in Eccleſia conſecrata polluta? *Vide* v. *Eccleſia*,

Eremita.

An poſſit celebrare ſine miniſtro, n.244. *& ſeq.*
Eremitarum ſpecies quot? n.245.
Eremitarum ſtatus valde excellens. n.244.
Quinam non ſunt tolerandi? nu. 246.

Euchariſtia.

Sumens Euchariſtiam an debeat capillamentum deponere? *Vide* v. *Communio.*
Quare, & vnde prohibita cen-

ſeatur multiplex Euchariſtię ſumptio eodem die? n.386.
SpeciesEuchariſticę ſi celebranti mutentur in formam pueri, an posſit iterum celebrari? n. 420.
Id accidisse teſtantur Auctores? *Ibidem.*
Species mutatæ an adorandæ, & quo cultu? n.423.
De ſpeciebus mutatis quid faciẽdum? n.422.
Euchariſtia per accidens cauſat primam gratiam. nu. 433. & 526.
Laicus an posſit ſpecies vini cõſecrati ſumere ad vitandam irreuerentiam, & quando? n. 612.
Materia remota Corporis. à nu. 625. ad 629. Hæreticorum deliria circa illam. nu. 626. Græcorum, & Armenorum errores. n.627.
Hoſtiæ coloratæ an ſint materia huius Sacramenti? n.643.
Ob hoſtiarum defectum poteſt Sacerdos panẽ ex tritico conſice-

ſicere, & aſsare ſuper prunas, & pro ſacrificio vti nu. 644. Quid tunc aduerti debeat? *Ibidem*. Et quid ſi farinæ triticeæ ſit admixta alia alterius grani? n.645.

Conſecrare materiam dubiā quale peccatum? n. 645. An poſſit illa conſecrari viatici cauſâ? n. 646.

Cur in Eccleſia latina conſecretur in azymo, & in græca infermentato? n.666.

Materia remota ſpeciei ſanguinis eſt vinum ex vite. nu. 661. Hæreſis circa illam. *Ibidem*.

An vinum hyppocraticum? nu. 662. An vinum recens ex botris expreſsum? n. 663. Vel ex vuis paſsis extractum? n. 668. & 669. An Lora, ſeu Vappa? n. 670. An vinum aceſcens? n. 671. An ſapa? n. 672. An vinū congelatum? n. 678.

Non poteſt conſecrari vna ſpecies ſine altera, & extra Miſsam n. 680. & 681.

Sacramentum hoc vbi aſſeruandum?

dum? nu.707. An in Oratorio Villæ ex diſpenſatione Epiſcopi? n.708.

Fœminæ.

AN poſſint miniſtrare in Miſſa? *Vide* v. *Miniſter.*

Filius.

An poſſit patri miniſtrare? *Vide* v. *Miniſter.*

G

Gentiles.

FAlſis numinibus victimas cũ lumine immolabant n. 64.

Græci.

Cur licitè conſecrant fermentatum, cum Eccleſia latina azymo vtatur? n.660.

Hæreſis.

Sacerdos pluries celebrans eodẽ die eſt de hæreſi ſuſpectus n 387.

Item

Item ſi abſque naturali ieiunio. n. 584.

Item ſi cōſecrat ſine celebratione. n. 681.

Horologium.

Sacerdotes in Villis vbi non habentur horologia, quomodo metiri debeāt tempus pro celebrando horis opportunis? n. 307.

Et quomodo ijs in regionibus, vbi nox durat per aliquot menſes? &c. n. 408. vbi ad id diuinæ prouidentiæ effectus.

Non manifeſtè falſum ſe habet tanquam opinio probabilis. n. 595.

I

Ieiunium naturale.

QVid importat? n. 582.

Eſt de Iure poſitiuo. *Ibid.* & n. 583.

Non admittit paruitatem materiæ. n. 584. 600. *& ſeq.*

Carolus V. Imperator inieiunus

ex diſpenſatione Euchariſtiā ſumpſit. n. 583.
In dubio, nùm fractum fuerit, an poterit celebrari? à n. 586. ad n. 594.
Ne frangatur, an ſit abſtinendum à cibo, aut potu, audito primo pulſu mediæ noctis? à nu. 595. ad 599. *Quid* de pulſu quadrantis? n. 597.
Buccella panis ori impoſita ante mediam noctem, & poſt illam trajecta ieiunium naturale frangit. n. 598. & 599.
Poteſt Sacerdos jnjeiunus celebrare viatici causâ. n. 602. *& ſeq.*
Quàm certus debeat eſſe de neceſsitate viatici, ſi medicus abſit? n. 608.
An cauſa vitādi ſcandalum, poſsit jnjeiunus celebrare? n. 606. & 618. *& ſeq.* vbi an ſit puniendus?
An causâ vitandi mortem, vel grauia damna? n. 607.
Ad vitandam irreuerentiam poteſt ne Euchariſtia ab jnjeiu-
no

no ſumi? n. 609. Et an debeat? n. 611. Si adſit Sacerdos jnjejunus, & laicus iejunus, à quonam potius ſumi debeat? nu. 610.

Sacerdos aduertens ſe injejunum poſt conſecrationem quid faciet? n. 613. Quid ſi ante conſecrationem? n. 614. *& ſeq.*

Quando pluries celebratur ex legitima cauſa, debet ſeruari jejunium. n. 397.

Fragmenta patenæ inhærentes an poſſint ab eodem Sacerdote poſt Miſſam ſumi? n. 623.

Indulgentia.

Pro lucrandis Indulgentijs opinio probabilis nil iuuat. nu. 336.

Non lucratur quis per medalias mutuo acceptas. n. 337.

Irregularitas.

Æthiopes apud Europæos ſunt irregulares, ſecus verò in Æthiopia. nu. 160.

Sacerdos irregularis prohibitus celebrare in vrbe, vbi delictū patrauit, an poſsit celebrare in

in Eccleſia Villæ? n. 547.

L

Latria.

QVid, & quotuplex? nu. 423. & 424.

Lex.

Leges poſitiuæ non obligant cũ graui damno. n. 29.

Ceſsante fine legis in vniuerſali, ſi ad Superiorem recurri non poſsit, ceſsat lex. n. 161.

Lumen.

Non poteſt Miſsa celebrari ſine lumine. n. 64.

An ſubgraui? *Ibidem.* & n. 67.

An debeat eſſe duplex? n. 65.

An, & quando liceat celebrare cum vnico lumine? nu. 73. & *ſeq.*

In caſu neceſsitatis poteſt celebrari ſine lumine. n. 66. & 67.

Quænam neceſsitas ſufficiat? nu. 68. 69. & 70.

Gentiles etiam cum lumine victimas falſis Numinibus immo-

molabant. n.64.

Lumina aliquando in Miſsæ ſacrificio diuinitùs accenſa. nu. 64.

Lumen pro Miſsa debet confici ex cera. n.65.

An poſsit ex Oleo? & quando? n. 76. 80. 81. & 82.

An ex ſeuo, & quando? n.77.80. & 82.

In defectu ceræ an potius adhibendum oleum, quam ſeuum? n.78.

An ſufficiant lumina ex pice, therebinto, reſina, naphta &c.? n.79.

Habens lumen ceræ, ſi adhibeat aliud alterius materiæ, quomodo peccet? nu.83.

Si incepto ſacro lumen extinguitur, quid faciẽdum? n.71. & 72.

M

Mappæ.

AN, quot, & ex quanam materia debeant confici pro ſacrificio? n.14.

An

An poſſint confici ex Canape,
aut Goſſypio? n.23.
Quid de Byſſo? nu.23. verſu *Et hinc.*
Quo Jure requirantur? *Ibidem.*
Sub qua culpa? n.15.
Illarum Auctor. *Ibidem.*
An debeant benedici, & à quo? *Ibidem.*
An poſſit ſine illis celebrari? nu. 16. Ex quanam neceſsitate? n. 17. An ſine benedictis? nu.19.
An poſſit celebrari cum vnica? & quando? n.18.
Celebrare cum vnica ſine neceſſitate qualis culpa? n.28.
In defectu Mapparum poſſunt n: adhiberi tobalcę prophanæ? n. 20. Quid faciendum de prophanis, quæ altari inſeruierunt? nu.21.
An poſſit tobaleis prophanis vti ſi ſint alterius coloris ab albo? n.22.

Maronitæ.

Quinam populi? Vnde dicantur? Vbi degunt? Et quo altari vtātur? n.37. 38. & 39.

Mi-

Miniſter.

Aſſiſtentia miniſtri in Miſsa qualiter exigatur? n.227.
Sub qua culpâ? n. 230. vbi reijcitur Delgadillus.
Aſſiſtentia prædicta aliquando ſuppleta per Angelos. n.231.
Ex quanam neceſsitate poſsit ſine miniſtro celebrari? nu.234. *& ſeq.*
An ex cauſa viatici? n.234. An tum à Parocho. tum à ſimplici Sacerdote? n.236.
An ex neceſſitate celebrandi propter feſtum? n.237.
Die feſto ob defectum miniſtri an liceat Sacerdoti omittere ſacrum? n.238.
An teneatur Sacerdos celebrare ſine miniſtro, vt voto ſatisfaciat? n. 239. Et an poſſit? nu. 240.
An etiam teneatur quando obligatur ex Capellania, vel alio titulo iuſtitiæ? n.241.
Quid de Sacerdote, qui non habeat vnde ſe alat præter Miſſæ ſtipendium? n.243.

Et

Et quid de eo, qui degit in Villa vt Eremita? nu. 244. *& ſeq.*

Incepta Miſsa ſi recedit miniſter, an expectandus? n. 247.

Quãdo celebratur ſine miniſtro, in Confeſsione dicendum, *Vobis fratres*, *Orate fratres*, *Dominus vobiſcum*, *&c.* & non aliter. n. 248.

Ad quos ſe referant prædicta verba? n. 249.

Sacerdos, qui non habet miniſtrum, qui reſpondere ſciat, an poſset adhibere, qui vrceolos, &c. miniſtret? n. 250.

An poſset aliquem inſtituere, & illum adhibere modò cum illo reſpondendo, modò illum præueniendo? n. 251.

Fœmina an poſsit adhiberi, vt miniſtret? à n. 252. ad 256.

Fœminas adhibere quale peccatum? nu. 257. Et qualiter fœmina miniſtrans? n. 258. An neceſsitas excuſet? n. 259.

Filius an poſsit patri miniſtrare? n. 260.

An

An excommunicatus? n. 261. & 262.
Quid faciendum in Villis, vbi regulariter deficit miniſter? n. 263.

Miſsa.

Quo ad Altare. *Vide* v. *Altare.*
Quo ad Burſam, Uelum, & Purificatorium. n. 268.
Quo ad Candelas. *Vide* v. *Lumen.*
Quo ad Colorem Paramẽtorum *Vide* v. *Color paramentorum.*
Quoad Crucem. *Vide* v. *Crux.*
Quoad Miniſtrum. *Vide* v. *Miniſter.*
Quoad Miſsale. *Vide* v. *Miſſale.*
Quoad Pallam. *Vide* v. *Palla.*
Quoad Pileum. *Vide* v. *Pileus.*
Quoad Veſtes ſacras. *Vide* v. *Veſtes Sacerdotales.*
Miſsam audiens, quæ celebratur ſine ſacris veſtibus (de qua conclusione *Vide* v. *Sacerdos.*) ſatisfacit præcepto. n. 134.
Miſsæ defunctorum non poſsunt celebrari diebus duplicibus, & Dominicis. n. 274.
Nec pro adimplenda voluntate te-

teſtatorum. n.275.
An anniuerſaria, & Miſsæ cantatæ? n.275. verſu *ſecundo*, & n.276. v. *& tandem*.
Quamuis non posſint celebrari pro adimplenda teſtatorum voluntate, huic tamen ſatisfit per Miſsas de die, ex Decreto Alexandri VII. n.275.
Et obtinētur Indulgentiæ altaris priuilegiati, ex alio Decreto ſub eodem Alexandro. nu. 275. v. *ſecundo*
Siuè ſit perpetuò priuilegiatum, ex eodem Decreto. *Ibidem*.
Siuè ad tempus, ex Conſtitutione Clementis IX. *Ibidem*. v. *Tertio*.
Intra octauas priuilegjatas, quāuis nō poſsint celebrari Miſſæ defunctorum, tamen obtinentur Indulgentiæ altaris priuilegiati per Miſsam de die, ex Decreto S. C. ſub Innocentio XI. nu. 275. verſu *Quarto*.
Miſsa qua horâ celebranda? nu. 279.

Com-

Computanda moraliter, nō phyſicè. n.280. & 305.
Cauſa viatici poteſt ante auroram celebrari. n.281.
Per quantum temporis ſpatium? *Ibidem.*
Quid ſtante Bulla Pij V.? n.283
In prædictis caſibus an requiratur licentia Epiſcopi? n.284.
Qui audit Miſſam celebratam licitè, aut illicitè extra tempus præfixum, an ſatisfaciat præcepto? n.285.
Ante auroram an poſſit celebrari in Eccleſia Villæ, vbi vnum adeſt altare, & plures confluunt Sacerdotes? n.286.
Quando inſtant meſſores die feriali poteſt ante auroram celebrari. n.287.
Secus ſi inſtent venatores die feſto. n. 288.
Quænam diſparitas inter vtrumque caſum? n.289.
Vſque ad nonam ſine cauſa, priuilegio, aut conſuetudine non poteſt celebrari. nu. 298. & *ſeq.*

Et quænam illa ſint? *Ibidem.*
Quid importet Hora nona? *Vide* v. *Nona.*
Nocte Natiuitatis Domini poſſunt nè tres Miſſæ ſimul celebrari? n. 303. & 304.
Decreta circa id. nu. 304. verſu *poſt hæc.*
Sententia Auctoris. *Ibidem.* verſu *Nihilominus.*
In magna feſtiuitate, funere principis, numeroſa ordinatione, & conſecratione altarium qua horâ celebrari poſſit? n. 330.
Sine priuilegio, cauſa, & conſuetudine quomodò poteſt ante auroram celebrari? nu. 305. & 306.
Epiſcopi itinerantes an, & quãdo poſſint ante auroram, vel poſt meridiem celebrare? *Vide* v. *Epiſcopus.*
An Cardinales? *Vide* v. *Cardinalis.*
An ſimplex Sacerdos? *Vide* v. *Sacerdos.*
Miſſa addicta altari determinato à te-

à teſtatore non poteſt de conſenſu Epiſcopi aliò transferri. n.357.
Limita pro ut. *Ibidem.*
Sacerdotes antiquitùs pluries in die Miſſas celebrabant. n.386.
S. Vldaricus aliquando bis, aut ter. *Ibidem.*
Leo III. ſepties, aut nouies. *Ibidem.*
Hodie tamẽ vnica celebrari poteſt. *Ibidem.*
Quare? & à quo tempore? *Ibidem.*
Excipe diem Natiuitatis, aut cõcurrente priuilegio, aut conſuetudine. n.387.
Dicta conſuetudo, iuxta Pignatellum, tanquam corruptela reijcienda. *Ibidem*
Pluries celebrans eodem die eſt de hæreſi ſuſpectus. *Vide* v. *Hæreſis.*
An poſſit Miſsa iterum celebrari ob aduentum Cardinalis, Epiſcopi, Regis, &c.? n.388.
An ſolùm liceat Miſsam iterum incipere? nu. 389. & 390. & *Sac.in Villa.*

quando? n.391.
An pro perſona infimæ conditionis? n.392.
Miſſa ſicca an, & quando celebrari poſſit, & quænam illa ſit? n.393. & 394. & 621.
Ob multitudinem gentium an poſſit bis celebrari? n.395.
An pluries? n.396.
An tunc debeat Sacerdos eſse jejunus? n.397.
Quid dicendum de Eccleſijs ſitis in campis Urbis Panormi, in quibus ingens venatorum copia, tempore quo tranſeunt Coturnices, congregatur? nu. 398.
An poſſit bis celebrari die feriali ob aduentum multitudinis? n.399.
Si Eccleſia Villæ multitudinem capere non poſſit, an liceat bis celebrare? Et quando? nu. 400.
Tunc an potiùs celebrandum bis intra Eccleſiam, quàm ſemel extra illam? n.401. & à n.438. ad 443. vbi quid tunc ſeruandum?

Pro

Pro viatico miniſtrando an poſſit bis celebrari? n. 402. Et an tunc celebrandi vrgeat aliqua obligatio? n. 404.
An requiratur quod tunc Sacerdos ſeruet jejunium? n. 403.
An pro viatico poſſit celebrari in Capella, quæ habetur in Uilla cum altari portatili, ſine licentia in illo celebrandi? n. 486.
Sacerdos ſi dum ſacrificium offert, moneatur de viatico miniſtrando, quomodò ſe gerere debeat? n. 405.
Et quomodò ſi poſtquam celebrauerit? n. 406.
An poſſit nullâ ſeruatâ cæremoniâ, ac ſine veſtibus conſecrare, & Sacramentum miniſtrare? n. 406. Reijcitur Maior, & Delgadillus. *Ibidem.*
Quid dicendum de Sacerdote Parocho? *Vide v. Parochus.*
Vbi non eſt liberum exercitium Catholicæ religionis, an liceat Sacerdoti pluries celebrare? n. 418.

Quando licet celebrari pluries eodem die, an requiratur licẽtia Epiſcopi? n. 419.

Prælati Regularium an poſſint illam concedere? *Ibidem.*

Si celebranti vtraq; ſpecies mutetur in formam pueri, ſanguinis, &c. an poſſit iterum celebrari? & quid faciendum de ſpeciebus mutatis? *Vide* v. *Eucharistia.*

Omittere *Credo*, aut *Gloria* quale peccatum? n. 436. & 437.

Quid de *Sequentia*? *Ibid.*

Si in Miſsa hoſtia conſecrata vẽto auferatur, & Calix proſternatur, quid faciendum? n. 444. & 445.

Socius habentis priuilegium celebrandi in altari portatili, an gaudeat eo priuilegio per cõmunicationem? n. 487. & 488.

Feria V. in Cœna Domini an poſſit celebrari Miſsa priuata? 497. & ſeq.

Decretum nouiſſimũ circa hoc. n. 500.

Quænam Miſsa ea die dicenda? n. 509.

Qua

Qua hora? n.510.
Sub qua culpâ? n.515.
Vouens celebrare ſingulis quintis ferijs, an teneatur in Cœna Domini? n.519.
Quid de Feria VI. in Paraſceue occurrente caſu Viatici, an ſcilicet poſſit Miſſa celebrari? n.522. & ſeq.
Sententia Auctoris. n.526.
Quænam Miſſa tunc dicenda? n. 529.
Extra caſum Viatici dictâ feriâ, celebrare, quale peccatum? n. 523.
Quid ſi eâ feriâ cadat feſtum Annunciationis? n.524.
In Eccleſia Ambroſiana diebus Veneris quadrageſimæ non celebrantur Miſſæ. n.527.
Sabbato Sancto non poteſt præter Miſſam ſolemnem celebrari. 535.
Sub qua culpa? n. 537.
Quid faciendum, ſi occurrat feſtum Annunciationis E. G.? n.536. & 537.
Quid ſenſerint Auctores? n.533.

Nouiſſimum Decretum. n.536.
Cauſâ tamen viatici dicto Sabbato poteſt celebrari. n.538.
Quænam Miſsa tunc dicenda? n. 539. & ſeq. Et quomodò? nu. 542.
Miſsa an debeat eſse breuis? & quantùm durare debeat? num. 557. & ſeq. Qualiter in hoc peccetur. n.580.

Miſſale.

Auctor Miſsalis quiſnam? n.264.
Sub qua culpâ in Miſsa celebrāda requiratur? *Ibidem.*
An poſſit ſine illo celebrari? nu. 265.
Quomodo illius defectui occurrendum? *Ibidem.*
Sacerdos fœlicis memoriæ an poſſit ſine Miſsali tutè celebrare? Et quando poſſit memoriæ fidere? n. 266. & 267.
Ad id an requiratur aliqua neceſſitas celebrandi? n.268.
Deficiente Miſsali an poſſit Miſſa ſcribi, & ſcripto loco Miſſalis vti? n.265.

Scrip-

Scriptum an poſſit alicui libro applicari? n. 269.
An liceat vſus Miſsalis antiqui ob defectum reformati? num. 270.
An alieni ritus? n. 271. *& ſeq.*
An poſſit diebus duplicibus celebrari Miſsa *de Requiem*, ſi nõ habeatur Miſsale, niſi defũctorum? n. 274. & 277.
Reijcitur Delgadillo. n. 278.

N

Nona.

QVa horâ contineatur? num. 298.

O

Opinio probabilis.

IN materia Indulgentiarum nil iuuat ad illas lucrandas. *Vide* v. *Indulgentia.*

Oratorium.

Epiſcopus an poſſit dare licen-

tiã erigẽdi Oratorium in cortili alicuius Villæ? n.446.
Cõceſſâ licentiâ, illud dicendũne publicum, an priuatum? n. 447.
An gaudebit immunitate? n.448. & 453. verſu *at reſpondetur*,& n.458.
Eo ipſo quod approbatur ab Epiſcopo nil aliud requiritur, vt confugientes gaudeant immunitate. n.451.
Nec contra hoc poteſt aliquid ab Epiſcopo ſtatui. n.458.
Non requiritur, quod diuina officia in Oratorio iam inceperint. nu. 459. Vbi reijcitur Vulpe.
Imò, vt gaudeat, ſufficit, quod habeat Campanam, & publicè celebretur: *Vide* n. 460.
Quæ requiſita habere debeat Oratorium, vt ab Epiſcopo dari poſsit licentia in eo celebrandi? n.445.
Non requiritur, quod habeat Campanam. n.452.
An requiratur, quod habeat dũ-
taxat

taxat ingreſsum publicum? n. 455.
Poteſt ne in Oratorio publico celebrari janius clauſis,& quã-do? n. 456.
An peccet, qui illud erigit animo celebrandi janius clauſis? n.457?
Oratorium priuatũ ſubiacet viſitationi Epiſcopali. n.458.
Etiam ſi dubitetur de erectione facta authoritate Epiſc.in.460.
Qui habet licentiam Oratorij priuati an poſſit vnum erigere in Ciuitate, & alterum in Villa? n.462.
Oratorium conceſsum an posſit mutato domicilio in alia Diœceſi erigi? à n. 463. ad 466.
Oratoria debent ab Ordinario loci approbari. n.466.
Reijcitur Henao remiſsiuè. *Ibidem.*
Epiſcopi, an & vndè posſint pro ſe Oratoria erigere? *Vide* v. *Epiſcopus.*
Non poteſt in Oratorio Villæ celebratio Miſsæ prohiberi, *Sac.in Villa.* Bb 6 niſi

niſi priùs in Matrice Eccleſia, vel Parochiali celebretur. nu. 485.
Si in Villa habeatur Oratorium cum altari portatili, ſine tamē licentia in eo celebrandi, an poſſit viatici causâ celebrari? n.486.
In Oratorio priuato an posſit cantari Miſſa? n.492.
Priuilegium Oratorij priuati eſt odioſum. n.494.

P

Palla.

AN ſine illa poſſit celebrari? n.104.
Illius defectui quomodo occurrendum? n.205.
Ex qua materia confici debeat? n.206.
An ſufficiat, quod pars interior ſit aptæ materiæ? n. 207. verſu *ſufficit.*

Pallium Altaris.

Dicitur etiam Antipendium. n. 89.

Ru-

Rubrica illud præcipit. *Ibidem.*
Ex qua materia coficiendum. n. 90.
An poſſit ſine illo celebrari? nu. 91.

Pallium Archiepiſcopi.

Epiſcopus Catanenſis olim pallio vtebatur. n.88.

Palma.

Palmæ, Cineres, & Candelæ an poſſint diſtribui cum pileolo? n.324.

Parochus.

An poſſit bis celebrare diebus feſtis, ſi duabus præſit Parochijs? n.408.
An requiratur, quod Eccleſiæ ſint in diuerſis Parochijs, aut Oppidis? n.410.
Quid dicendum pro diebus ferialibus? n.411.
An etiam ſi præſit tribus Eccleſijs? n.412.
Quid dicendum in Natiuitate Domini, an ſcilicet poſſit pro qualibet Eccleſia ter celebrare? n.413.
An, & quando poſſit celebrare in

in Eccleſia alterius Parochiæ, ſi in hac ob morbum Parochi proprij Miſſa deficiat? n.414.
Qui præeſt duabus Parochijs, in quanam celebrabit Feria V. in Cœna Domini? num. 415. & 416.
Et quid faciet, ſi inaduertenter celebrauit in vtraque? nu.417.
Parochi non ſunt Prælati. n.515.

Perucha.

Vide v. *Capillamentum.*

Pileus.

Sacerdos an poſſit celebrare cum pileo? n.312.
An vltra legitimam cauſam requiratur diſpenſatio, vt cum pileo celebrare poſſit? n.313.
Diſpenſatio à quo petenda? nu. 317.
An poſſit vſque ad Canonem vti pileo ſtante euidentia cauſæ? n. 313. *& ſeq.*
An vrgente neceſſitate celebrãdi, propter Viaticum, poſſit celebrari per totam Miſſam cum pileolo? n.316.
An poſſit ſine diſpenſatione vti ca-

capillamento breui, ſeù Perucha cum tonſura ſicta? n.318.
Conſuetudo celebrandi cum pileolo vſque ad Canonem, an ſeruanda? n.321. & vbi vigeat? *Ibidem.*
An poſſit celebrari cum pileolo in locis vbi aperire caput non eſt ſignum reuerentiæ, prout apud Sinas? n.322.
An à Sacerdotibus exteris ibi confluentibus? *Ibidem.*
Apud Sinas celebratur cooperto capite, ex conſuetudine, cui annuit Paulus V. n.323.
Candelæ, Cineres, & Palmæ poſſunt cum pileolo diſtribui. n. 324.
Viaticum in Villis an poſſit deferri capite cooperto? nu.719.
Euchariſtia vt deferri poſſit capite cooperto, quis diſpenſabit? n.720.

Pixis.

Non poteſt confici ex Ebore. n. 175.
An ex Stanno, aut Ære? n.211.
Quid dicendum de Sphæra, in qua

qua exponitur Sanctiſſima Euchariſtia? n.211.

Præceptum.

Communionis Paſchalis obligat ad præueniendum, ſi impedimentum præuideatur pro tẽpore paſchali? n. 729. & ſeq.

Qui præuenit, an iterum communicare debeat, ſi impedimentum præuiſum euanuit? n. 731.

Obligat etiam ad poſtponẽdum, ſi paſchali tempore nõ potuit adimpleri. nu. 733. & 734. Et quoties peccat, qui potens non adimplet? n. 736.

Temporis paſchalis nomine quid veniat? n. 737. & ſeq.

An obliget ad ſuſcipiendam Euchariſtiam à manu miniſtri inimici? n. 741.

Priuilegium.

Quodnam dicatur odioſum, vt reſtringi debeat, & quodnam fauorabile, vt ampliationem admittat? n. 494.

Purificatorium.

An, & quando ſine illo poſſit Miſ-

Miſsa celebrari? n.208.
Quid tunc faciendum? n.209. & 210.
An debeat benedici? *Ibidem*.

R

Reliquia.

AN ſit de eſsentia conſecrationis Altaris? n.49.

Regulares.

Quibus fruantur priuilegijs circa horam celebrandi Miſsas? n.302.
Itinerantes non gaudent priuilegio Altaris portatilis. Reijcitur Portellus. n.480.
Poſſunt erigere ex ſuis priuilegijs Oratoria tum in Monaſterijs, tum in Grangiis, tum in Villis. n.481.
Prædicta Oratoria gaudent Immunitate? n.482.
Quilibet Sacerdos poteſt in illis celebrare. nu. 483. & audiens in illis ſacrum ſatisfacit præcepto. *Ibidem*.

An

An poſſint etiam erigi contra Eccleſiam, quæ habet priuilegium nè intra tot paſſus alia ædificetur? n.484.

Rubrica.

An omnes Rubricæ ſint præceptiuæ? n.4. & 89.

Prohibentes Miſſas Defunctorũ diebus Dominicis, Octauis priuilegiatis, & Duplicibus, obligant ſub graui. n. 276.

S

Sacerdos.

Conuenit, vt priùs confiteatur, & poſtea Sacerdotalibus paramentis ad celebrandũ induatur. n.92.

Ob defectum veſtis minoris die feſto an poſſit omittere ſacrũ? n.122. Quænam dicantur minores, & quænam maiores? *Vide* n.93.

Celebrãs, inſtante neceſſitate, ſine aliquo ſacro indumento, non poteſt puniri. n.126. & 151.

An

An, & quando poſſit ſine veſtibus Sacerdotalibus, aut iis nõ ſacris celebrare? *Vide* v. *Veſtes Sacerdotales.*
An, & quando poſſit celebrare cum ſolo veſtitu ordinario? *Vide* n. 128. *& ſeq.* & 683.
Sub qua culpâ teneatur recitare orationes, dùm ſacris veſtibus induitur? n. 125.
An, & quando poſſit ſumere paramenta de altari? nu. 136. *& ſeq.* Et ſub qua culpa? nu. 138. *& ſeq.*
An, & quando poſſit celebrare cum paramẽtis incongrui coloris, ſi aptioribus careat? *Vide* v. *Color paramentorum.*
An, & quando poſſit iniejunus celebrare? *Vide* v. *Ieiunium naturale.*
An, & quando poſſit celebrare in Calice non conſecrato, aut de cuius cõſecratione dubitatur? *Vide* v. *Calix.*
Celebrans ſcienter in Calice non conſecrato, neſciens conſecrationem requiri, peccat. n. 187.

Sa-

Sacerdotes debent legere, & ſcire ritus Eccleſiæ. *Ibidem.*

Sacerdos an, & quando poſſit celebrare ſine miniſtro? *Vide* v. *Miniſter.*

An, & quando itineris gratiâ poſſit celebrare ante auroram, vel poſt meridiem? n. 293. *& ſeq.* Sententia Auctoris à nu. 295.

An, & quando poſſit celebrare illotis manibus ob defectum aquæ. n. 310. & 311. Sub qua culpa debeant lauari manus? *Ibidem.*

Celebrãs in loco immundo grauiter peccat. n. 324.

Sacerdos quo ad Capellaniam, *Vide* v. *Capellanus.*

Obligatus celebrare in Altari priuilegiato nũ ſatisfaciat celebrando in non priuilegiato cum medalia, aut calculo, cui eſt annexa Indulgentia? Et an ſufficiat, quod medalia ſit mutuo accepta? Et quænam certitudo requiratur de conceſſione Indulgẽtiæ addictæ medalijs,

dalijs, &c. *Vide* v. *Capellanus*.
Celebrans in alio altari à deſignato, mortaliter peccat, niſi materiæ paruitas excuſet. à n. 339. Paruitas materiæ quænam dicatur? *Ibidem*.
Obligatus celebrare in altari deſignato, ſi variet locum, diem, & horam ſine cauſa, an teneatur ad aliquam reſtitutionem? n. 342. An peccet? n. 345. An teneatur iterum, iuxtà deſignationem teſtatoris celebrare? n. 346.
Epiſcopus an poſſit diſpenſare, vt alibi celebretur? *Vide* v. *Epiſcopus*.
Obligatus celebrare quotidie, an poſſit ſemel in hebdomada oblectamenti gratiâ Miſſam omittere? n. 360.
Doctorum placita. *Ibidem*. & nu. 361. Decretum Sacræ Congregationis. n. 362. Reijcitur Vidal. n. 363.
Pluries eadem die celebrans, & abſque jejunio, an ſit de hæreſi ſuſpectus? *Vide* v. *Hæreſis*.
Si

Si dum celebrat, deficiat, ſacrificium an, & quomodo ſupplẽdum? *Vide, v. Sacrificium.*
Sacerdos, cui in Miſsa ſpecies mutantur in formam pueri, ſanguinis, &c, an poſſit iterum celebrare? & quomodo ſe gerere debeat? *Vide v. Euchariſtia.*
Si dum celebrat in Eccleſia Villæ, intrat aliqua beſtia ferox, intermiſso ſacro, poterit nè fugere? n.426.
An licitè potuerit quidã Sacerdos inuaſus à ſicario pugione dum celebrat illum candelabro interimere, & ad altare pro complendo ſacro redire? n.427.
An poſſit ſacrum intermittere pro abſoluendo moribundo? n.428. An tunc debeat exuere veſtes ſacras? n.431.
Quid tunc in impendenda abſolutione ſeruare debeat? n.429. & quid in reſumendo ſacrificio? n.430.
An etiã poſſit ſacrum intermittere

tere causâ miniſtrandi Viaticum? n. 432. vel extremam Vnctionem? nu. 434. vel Baptiſmum? n. 435.
An tunc veſtes Sacerdotales deponi debeant? *Ibidem.*
Quid dicendum quando laicus baptizare valens, etiam adſit? *Ibidem.*
An etiam intermittere ſacrum poſſit ob ſuperuenientem vẽtris grauem neceſſitatem? nu. 428.
Sacerdos quid faciet ſi ventus hoſtiam conſecratam auferat, & ſanguinem fundat? nu. 444. & 445.
Debet nè celebrare Miſſam cõformem officio, quod recitauit, an feſto Eccleſiæ vbi celebrat? n. 489.
Ante Miſſam, & poſt Miſſam debet facere reuerentiam Prælatis adſtantibus. n. 543.
Secus autem Prælatis inferioribus, aut Magnatibus. nu. 544.
Irregularis prohibitus celebrare in Urbe an poſſit celebrare in Vil-

Villa? *Vide v. Irregularitas.*

An poſſit celebrare in Eccleſia polluta, ſi ex confeſſione pollutionem nouit? num. 553. & 554.

An in celebrando debeat eſſe breuis, & quantum? n. 557. *& ſeq.* Et ſub qua culpa? n. 580.

An poſſit celebrare cum hoſtia minori, deficiente majori, die feſto? n. 630. Quid diebus profeſtis, vrgente tamen obligatione celebrandi, ratione beneficij? n. 631. vel voti? num. 632. An deuotionis cauſa? n. 633. An ratione altaris, quod eſt paruum? nu. 634. Quid faciendum vrgente ſcandalo? n. 635.

Ad vitandam populi admirationem an poſset conſecrare hoſtiam minorem, & majorem alias conſecratam, & ſeruatam eleuare? nu. 336. vel ambas? n. 637.

Celebrare ſine cauſa cum hoſtia minori quale peccatum? num. 640.

An

An poſſet pro expoſitione Sanctiſs. Euchariſtiæ conſecrare hoſtiam grandem, cujus ſolú copiam habet, & ſumere minorem aliàs cõſecratam? n. 638.

Non poteſt exponere minorem conſecratam adiuncta maiori non conſecrata. n. 639.

An poſſet conſecrare hoſtiam fractam? n. 641. vel maculatã? n. 642.

Latinus an, & quando poſſit celebrare in fermentato, ſi azymũ non habeat? & an Græcus in azymo? à n. 647. ad 659.

Sub qua culpa Latini, & Græci tenentur conſecrare iuxtà ritum ſuæ Eccleſiæ? n. 648.

Ob defectum vini aptioris an poſſet conſecrare vinum hyppocraticum, cuius dumtaxat copiam habet? n. 662.

An multum recens? nu. 663. Ex quanã neceſſitate? n. 664. Quid tũc ſeruare debeat? n. 665. ſine neceſſitate mortaliter peccatur. n. 665. niſi in Eccleſ. vbi id eſt cõſuetũ in feſto Transfigura-

rationis. n.667.
An vinum ex vuis paſſis beneficio aquæ laxatis? nu. 668. Et quid tunc aduertendum? nu. 669.
An loram, ſeu vappam? nu.670.
An vinum aceſcens? nu. 671. Sapam? n.672. Congelatum? nu. 674.
An liceat Sacerdoti refrigerare vinum, & aquam pro Miſſæ ſacrificio? n.673.
Si vinum in calice, vel ſpecies congelentur, quid faciet? nu 674. *& ſeq.*
Et quid deficiente vna ſpecie, conſecratâ aliâ? n.679.
Non poteſt panem conſecrare causâ viatici ſibi, vel alijs miniſtrandi, abſque Miſsæ celebratione. n. 680. & 681.
Aliter fieret irregularis, & eſset ſuſpectus de hæreſi. n.681.
Nec conſecrare dumtaxat vnam ſpeciem. n.682.
Poteſt aliquando celebrare ſinè præuia confeſſione, non autem ſinè veſtibus Sacerdotalibus,

libus, & quare? n.684.
Si non habeat aquam vino miſcendam, an viatici cauſâ poſſit celebrare ſine illa? nu. 685. An poſſit tunc defectus aquæ naturalis aqua artificiali ſuppleri? n.685.
Vel vti vino, quod certò ſcit habere admixtú parum aquæ? n.687.
An, & quando poſſit Calicem, & digitos ſolo vino, vel ſolâ aquâ purificare, & abluere? à n. 688. ad 695. Vbi de Abſtemijs.
An poſſit partem ſuæ hoſtię moribundo miniſtrare? n.697. An petenti communionem vt voto ſatisfaciat? nu.698. Vel petenti deuotionis gratia? n.699.
Si die Natalis Domini Laico modo communionem ſuſcepit, an poſſet poſt illam duas Miſſas celebrare? n.705.

Sacramentum.

Sacramenta viuorum per accidēs cauſant primam gratiā. n.433.

Sacrificium.

Jus naturale obligat ad offerendum ſacrificium, n.35.& quare? *Ibidem.* Quoties? n. 36.

An poſſit offerri cum pileo? *Vide* v. *Pileus.*

Imperfectum ob morbum, vel interitum Sacerdotis, perficiendum. n.365.

Sub qua culpa? *Ibidem.*

Quo Iure? *Ibidem.*

Quomodo perficiendum? n.366. 382. & 383.

An poſſit perfici à Sacerdote injejuno? n.368.

An à Sacerdote culpa inquinato? n.370.

An ab eo qui celebrauerat? nu. 369.

An ab Irregulari, vel excommunicato? *Ibidem.*

An ab eo, qui ſimul ſit Irregularis, excommunicatus, & injejunus? *Ibidem.*

Quid ſi ſit elapſa hora celebrandi? n.379.

Si adſint plures Sacerdotes diuerſo

uerſo tamen modo impediti quisnam præferendus ad ſupplendum? n.371.
Si impeditus ſit præſens, non impeditus abſens, potens tamẽ accurrere, quis perficere obligatur? n.372.
Sacerdos perficiens, an teneatur miniſtrare partem hoſtiæ Sacerdoti, qui defecit? n.373.
Sacerdos qui defecit ob syncopẽ, an ſi poſſit reuocari ad vigorem ſumpto juſculo, vel aliquâ medicinâ, an hac ſumpta, poſſit injejunus perficere? nu. 369.
In caſu quo ſacrificium per aliũ ſuppletur, quiſnam ſacrificij fructum conſequetur, Sacerdos qui incepit, an qui perfecit? n. 374.
Si non adſit, qui perficere poſſit, quid faciendum? n.375.
Sacrificium incompletum an perficiendum eodem die? nu. 378.
Fluxus ſanguinis è naribus Sacerdotis erumpentis an, & quan-

quando ſufficiat, vt ſacrificiũ ab alio perficiatur, & quid tunc faciendum? n. 380.
Sacerdos Latinus, ſi poſt conſecrationem aduertat hoſtiam à ſe conſecratam eſse corrupruptam, an poſset aliam fermentatam conſecrare ob defectum azymæ? n. 381.
Quando ſacrificium eſt ſupplendum, ſi dubitatur num Sacerdos qui defecit, vel mortuus eſt, hoſtiam conſecrauit, quid faciendum? nnn. 384. & 385.
Sacrificium, an & quando poſſit intermitti cauſâ miniſtrandi aliquod Sacramentum, & tunc quomodo Sacerdos ſe gerere debeat? *Vide* v. *Sacerdos.*
Si in ſacrificio mutátur ſpecies, quid faciet Sacerdos? *Vide* v. *Euchariſtia.*
Sacerdos die Natalis Domini poſtquam communionem laico modo ſumpſit, an poſſit duas Miſsas celebrare? n. 705.

Se-

Sepulchrum.

Feria V. in Cœna Domini vbi fieri debet? n.521.

Sinæ.

Apud Sinas celebratur cum pileo ex conſuetudine, & conceſſione Pauli V. nu. 322. & 323.

Sacerdotes exteri an poſſint cõformari dictæ conſuetudini. *Ibidem*.

Sinæ confitentur capite aperto vt reos ſe oſtendant. n.323.

Sphera.

In qua exponitur Sacratisſima Euchariſtia, cuiusnam materiæ eſſe debeat? n.211.

V

Veſtes Sacerdotales.

Quò ad colores. *Vide v. Color paramentorum*.

Quot, & quales ſint? n.93.

Ce-

Celebrare ſine aliqua ex veſtibus Sacerdotalibus quale peccatum? n.94.
Debent benedici. n.95.
Sub qua culpa? *Ibidem.*
A quo? *Ibidem.*
Poteſt celebrari cum veſtibus nõ benedictis, ſi inſeruierint ſacrificio. n.97.
Curari tamen debet, vt ritualiter benedicantur. n.98.
Ueſtes laceræ an retineant benedictionem? n.99.
An paulatim refectæ? n.100.
An ſeparatæ ab interiori panno, vulgo, fodera? n.101. & 102.
An compactæ ex alijs veſtibus, puta ex amictis, alba? n.103.
Quid ſi iterum diſsuātur? n.104.
Celebrare cum veſtibus immundis, & laceris quale peccatum? n.105. *& ſeq.*
Sacriſtiæ præfecti negligentes munditiam veſtimentorum, grauiter peccant. n.108
Aduertens dum celebrat Veſtes ſacras eſse immundas, proſequi Miſsam debet. n.109.
Ce-

Celebrare cum aliqua veſte Sacerdotali non benedicta, an aliquando liceat? n. 110 & *ſeq.*
Ex qua neceſsitate? nu. 112. & 113.
An cum omnibus non benedictis? n. 114. & 683.
Ex qua cauſâ? *Ibidem.* & nu. 115. & 116.
Simplex Sacerdos illas non poteſt benedicere. n. 117.
Celebrare ſine aliqua ex veſtibus Sacerdotalibus quale peccatum? n. 118.
Referuntur variæ ſententiæ. *Ibidem.* & n. 119.
Quid ſentiat Auctor? à n. 121.
Ob defectum veſtis minoris die feſto non debet omitti ſacrum. *Vide* v. *Sacerdos.*
Celebrans ſtante neceſsitate ſine aliquo ex indumentis Sacerdotalibus, non eſt puniendus. *Vide* v. *Sacerdos.*
Celebrans in neceſsitate ſine ſtola, ſi hæc incepto ſacro deferatur, an teneatur illam induere? n. 127.

Sa-

Sacerdos an aliquando poſſit celebrare cũ veſtibus ordinarijs? *Vide* v. *Sacerdos.*

Defectui cinguli quomodo occurri poſſit? n.141.

Quid ſi ſit ruptum? n.142.

Quid ſi non ſit benedictum? nu. 143. & 144.

Quid dicendum, ſi alba habeat vnicam manicam? n.145.

Defectui manipuli quomodo occurritur? n.151.

Veſtes ſacræ ſi rumpantur, & mutent formam, amittunt benedictionem. n.147. Reijcitur Delgadillus *Ibidem*, & nu. *ſeq.*

Viaticum.

Simplex Sacerdos ex charitate tenetur miniſtrare Viaticum. n.236.

Simplex Sacerdos an poſſit aliquando deficiente, aut nolente Parocho, Viaticum miniſtrare? n.715. An Regularis? n.716. Quid de Diacono? nu. 718.

In Villa quomodo deferendum? nu.

n. 721. An cooperto capite? n. 719. An equitando? n. 723. Refertur factum Comitis Rodulphi. n. 724. An currendo, vt ægro jam jam morienti miniſtretur? n. 725. & 726.

An poſſit ſuſcipi per manus Sacerdotis excommunicati? nu. 727.

An ipſemet excommunicatus vitandus poſſit celebrare, vt ſibimet Viaticum præbeat? nu. 728.

FINIS.

ADDITIONES
Ad Primam Partem.

Fol. 54.*poſt poſtrema verba* Epiſcopus celebrauit, *adde*

Nec eſt nouum, quod Canones vtantur verbo *cantare* pro *celebrare*, prout in *Cap. vt calix de conſecrat. diſt.* 1.

Fol. 126. *lin.* 6. *poſt verba.* Hæc celebris Gobat. *adde.*

Quem citat, & ſequitur Biſsus *in Hierurgia litt. P. nu.* 28. §.*IX.* dicens: ſi propter paupertatem haberi non poſſint paramenta coloris cõuenientis, & ſcandalum abſit, poſſumus vti paramentis cuiuſcumq; coloris.

Fol. 166. *lin.* 3. *poſt verba, circa medium. adde*

Et Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 25. §. XI. *circa medium.*

Fol. 170. *lin.* 3. *poſt verba.* §.*obiter in fine. adde*

An autem pixis poſſit conſici ex Ebore, iam reſponſum fuit negatiuè ſupra *num.* 175. ex Decreto S. Congregationis.

*Fol.*213. *num.*27. *poſt verba* Clemente, *adde*

Et Vrbano

*Fol.*246. §. Nihilominus *poſt verba* Antonio de Eſcobar *in Theologia morali lib.*21.*n.*348. *adde*

Jo. Maria Turrinus *in director. ſacrificantium par.*3. *ſect.*3.*cap.*4. verſu *cæterum.*

*Fol.*274. *lin.* 3. *poſt verba & ſeq. adde.*

Aduertere demum pro coronide huius queſtionis non omitto, quod ſi Medaliæ, Numiſmata, Roſaria, Imagines, &c. quibus ſunt addictæ Indulgẽtiæ ſint notabiliter confracta, vel detrita, illis non gaudent, vt recte Dicaſtillo apud Dianam *par.*11. *trac.* 8. *reſol.* 10.

Fol. 311. *lin.* 15. *poſt verbum* notatur. *adde*

(Quamuis Angelus Piſtachius *de ſuperſtit. par.*2. *cap.*3. *nu.*23. ex multiplici celebratione ſuſpicionem prædictam non induci ſentiat, & ita etiam

ſir-

firmat praxis huius Magnæ Curiæ Archiepiſcopalis.)

Fol. 377. *poſt quæſtionem XXIII. adde*

An autem in Miſsa, quæ ſine cãtu celebratur in aliena Diœceſi coram Epiſcopo, huic deferri debeat liber Euangeliorum deoſculandus, prout preſcribitur in Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 30? Negatiue reſpondit S.C. in vna Jadrenſi 13. Octobris 1618. apud Pignatellum *tom.* 3. *conſult.* 54. *n.* 4. his verbis. *Epiſcopus in aliena Eccleſia non poteſt ſibi puluinar, & pannum coloris violacei ſternere, & extra ſuam Diœceſim non competit illi deoſculatio textus Euãgelij.*

Fol. 384. *lin.* 9. *poſt verba* Tamburin. *in opuſc. de ſacrific. miſs. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 14. *adde.*

Sacerdos namque exter celebrãs in ea Eccleſia, illius ſit miniſter, & eiuſdem ritibus ſe accommodare tenetur, inquit Turrinus *in Direct. or. ſacrifican.*

 par. 2.

par.2.ſect.1.cap.2. verſu *Quæres hic.*

*Fol.*405. *lin. penultima poſt verba* Euſtach. à S. Vbaldo *de Dei benedict. n.* 319. *adde.*

Turrinum *in Directorio ſacrifican. par.* 3. *ſect.* 2. *circa fin.* verſu *Dubitatur.*

*Fol.*421. *lin.* 1. *poſt verbum* collimat. *adde*

Rituale Capuccinorum *lib.* 1. *cap.*7. *in princ.*

*Fol.*422. *lin.* 11. *poſt verba* ſcandalum oftertur *adde*

Ita Turrinus *in Director. ſacrific. par.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 1. verſu *his poſitis*, poſt hæc ſcripta, imo, & typis edita lectus.

*Fol.*224. *lin.* 7. *poſt verba* ſupra altare detinet. *adde*

De quo valde conqueritur Alexander Sperellus *in obſeru. pro miſ. celebrat. cap.* 31.

Fol. 433. *lin.* 3. *poſt verba* ſacer inſumentem, *adde*

At finge (inquit Turrinus *in direc. ſacrific. par.* 2. *ſec.* 5. *cap.* 1. *in fine.* te coram Domino Ieſu, & maieſta-

ieſtate, & iuſta indignatione peccatorum terribili, ſedente in throno eleuato circumſpecto Angelorum cateruis tecũ de peccatis mundi, & tuis diſceptante, teque ſupplicem eius implorare clementiam, hoc tibi finge, & cogita nùm ſpatium duorum quadrãtium ad ſatisfaciendum Deo indignato nimis tibi longum videatur?

*Fol.*442. *lin.* 15. *poſt verba* §. *Dixi tertio. adde*

Præterquam quod poſset reſpõderi, illud axioma conſilij eſſe non præcepti, vt ex D. Antonino ſubſtinet æque neotericus, ac doctiſsimus ſcriptor D. Franciſcus de Perea *in diſſert. Theologica in Antiprobabilismi propugnatores à nu.* 89. contra quos, & præſertim aduerſus Thyrſi Gonçales diſſertationes acriter pugnat. Vide etiam eumdem modernum *à num.* 109. vbi de vero ſenſu prædicti axiomatis.

Fol.

Fol. 515. *poſt nu.* 702. *adde*
Scilicet, intra auroram, & meridiem, vt tandem docet Anton. à Spiritu Sancto *conſult.* 18. *à nu.* 3. vbi dicit affirmamatiuam ſententiam eſſe ſatis probabilem.

Fol. 523. *lin.* 23. *poſt verba* Parocho præſumere debebant. *adde*

Et præ oculis doctrinam Cotonij *lib.* 4. *controu.* 8. *n.* 118. habere debebant, quod ſcilicet, quoad viaticum Parochi rathihabitio sēpar præſumi poteſt, quando ille, vel eius conſenſus expectari non poteſt.

Fol. 558. *in Indice poſt lin.* 13. *adde*

Felix à Panormo n. 629.

Folio	linea	Errata	Corrige.
31	25	ſi ſciam	quod ſciam
41	20	lenis	leuis
49	20	vindicaret	vendicaret
Ibid.	24	motium	motiuum
51	20	quia	quoniam
55	circa fin.	& videre	vt videre
67	14	ſit celebrare	ſic celebrare
70	circa fin.	ſub oſcurum	ſuboſcurum
77	15	videat	videatur
99	circa fin.	maiorem	maiorum
100	14	patiatur	patitur
Ibid.	4	probabilia	probabile
105	9	aſſiſientes	aſſiſtentes
206	12	dum	cum
111	24	Quod	Quid
115	17	a 99	& num. 99
120	16	vane	varie
121	26	obſtat	obſtet
186	8	135	234
Ibid.	22	deperitur	reperitur
190	15	pro feſto	profeſto
204	20	Ego vtrumque	Ego vero vtrumque
210	16	366	266

	Errata	Corrige
217	23 anuuit	annuit
221	24 miſsæ cantatæ	miſsas cantatas
231	25 Reſpondeo	Reſpondet
232	25 & ordine	ex ordine
256	16 Coton. cenſuit	Coton.
281	circa fin. ad libitum	pro libito
198	9 ſcandalum ſi	ſcandalum
303	2 276	376
328	14 vt poſsit	vt poſset
334	16 eam	eum
382	vltima dele *tum*	
386	16 conceditur	concedatur
397	17 publicæ	publici
404	10 dele *verò*	
436	4 579	580
439	17 599	600
453	20 dele numerum 602	
460	21 abſtinere	abſtineri
467	23 quæſt. 9.	quæſt. 6.
478	17 illud Ambroſij	illud ex Ambroſio
480	17 nullus	nullius
496	20 IX	Quæſtio IX.
506	23 Quid	Quod
528	4 274	724

ADDITIONES AUCTORIS
Suis locis apponenda.

FOl. 5. *n.* 3. *in fine poſt verba* quæſt. 23. *adde*. Joannes Enriquez *in quæſt. moralib. ſect.* 22. *quæſt.* 12. Gobat. *de ſacram. tract.* 3. *n.* 296.

Fol. 21. *n.* 24. *in fine poſt verba* non placet *adde*. Debet item tabula eſſe lapidea: quia cum durus lapis ubique effodiatur, expeditiſſimum eſt altaria lapidea conſtruere; id quod ſacrorum Conciliorum Patres penſitarunt, ne illorum ſtructura impediretur, ut obſervavit Franc. Ferreri *de Myſterijs conſecrationis Eccleſ. cap.* 18. *in fine fol. mihi* 95.

Fol. 22. *n.* 26. *in fine poſt verba* vaſorum, ac veſtium *adde*. Vide etiam Natolium *in tract. de defectibus ſect.* 2. *tit.* 1. *n.* 3. ubi dicit, calicem ab Abbate conſecratum non manere conſecratum, & Sacerdotem eo calice utentem graviſſimum defectum committere.

Fol. 24. *lin.* 25. *poſt verba* ei libenter aſſentiret, *adde*: & juxta hanc sẽtentiã Sinodus Panormitana ſub Illuſtriſſimo de Palafox part. 3. n. 164.

✝ ſtatuit

ſtatuit, quod nocte Nativitatis Domini in nulla Eccleſia liceat miſſas inchoare privatas, niſi poſt mediam noctem, & peracta in ſolemni ſacro conſecratione.

Fol. 41. *lin.* 1. *poſt verbum* reijciemus *adde*: *ſect.* 2. *ſubſect.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 146. & *ſequ.*

Fol. 45. *n.* 53. *poſt verba.* In qua quidem negant remanere conſecratum *adde.* Joan. Enriquez *in quæſt. moral. ſect.* 22. *quæſt.* 13. quamvis contrarium teneat quo ad calicem, & patenam.

Fol. 54. *poſt poſtrema verba* Epiſcopus celebravit, *adde.* Nec eſt novum quod Canones utantur verbo *cantare* pro *celebrare* prout in cap. *ut calix* 45. *de conſecr. diſt.* 1.

Fol. 80. *lin.* 2. *poſt verba* apud eũdem *adde*, & Privitera *de dextera*, & *ſiniſtra Epiſcopi part.* 1. *poteſt.* 41. *n.* 1.

Fol. 81 *lin.* 2. *poſt verba* poteſt delegare *adde*. Ita enim Sacra Congregatio Rituum anno 1600. reſpondit Poſſevino, ut ipſemet teſtatur in tractatu *de offic. Carati cap.* 2. *n.* 37. & S. Congregatio pluries requiſita ab Epiſcopis Cardinalibus non reſi-

denti-

dentibus pro facultate delegandi,aliquando annuit cum reſtrictione tẽporis ad ſex menſes, & aliquando ſine reſtrictione, ut fert Natolius *in tract. de defect. ſect. 3. tit. 1. n. 4.* & noviſſimè Antonellus *de Jurib.&Onerib. Clericor. lib. 1. part. 5. cap. 60. num. 2.* refert, ita etiam declaraſſe Sacram Congregationem.

Fol. 89. *n.* 108. *poſt verba* de cuſtodia Euchariſtiæ *adde.* nimis enim videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in prophanis: verba ſunt Innocentij III. *ibidem* ubi de oratorijs, Vaſibus,Corporalibus, & veſtimentis loquitur. Legatur doctiſſimus recentior Monacellus *in formulario tit.* 5. *form.* 9. *no.* 14. cujus opus valde mihi arridet tum pro praxi, tum pro doctrina, quam undique parat.

Fol. 95. *in fine numeri* 117. *adde*, An autem ſimplex Sacerdos ex delegatione Epiſcopi poſſit benedicere? negativè reſponſum eſt ſupra n. 95.

Fol. 119. *lin.* 4. *poſt verba* proijci poſſent *adde.* Vide in contrarium Engel. *in man. paroch. part.* 1. *cap.* 3. *nu.* 5. ubi Decretum Sacræ Congregationis.

✝ 2 *Fol.*

Fol. 126. *lin*.6. *poſt verba*. Hæc celebris Gobat *adde*, quem citat, & ſequitur Biſſus *in Hierurgia lit*. *P*. *nu*. 28. §. *IX*. *dicens*: ſi propter paupertatem haberi non poſſint paramenta coloris convenientis, & ſcandalum abſit, poſſumus uti paramentis cujuſcúmque coloris.

Fol. 129. *lin*. 24. *poſt verba* Leocata fol. 345. *adde*. Vide etiam Alberghinum *in man*. *qualificat*. *cap*.23.*n*.5.

Fol. 151. *lin*. 1. *poſt verba*, quem ſequitur *adde*. Joannem Enriquez *in quæſt*. *moral*. *ſect*. 22. *quæſt*. 13.

Fol. 166. *lin*.3. *poſt verba* circa medium *adde*, & Cardinalis Bona *Rerum liturgicarum lib*. 1. *cap*. 25. §. *XI*. *circa medium*.

Fol. 169. *n*. 211. *lin*. 5. *poſt verbũ* Oſtenſorium *adde*.Hierotecam.

Fol. 170. *lin*. 3. *poſt verba* in fine *adde*. An autem pixis poſſit confici ex Ebore, jam reſponſum fuit negativè ſupra *num*. 175. ex Decreto Sacræ Cõgregationis. Cujus autem forma debeat fieri oſtenſorium? Vide omnino Bonannum *de numiſmatibus Pontificum tom*.2. *fol*. 671. & Novarinum *de Agno Eucbariſtico n*. 709.

ubi

ubi de mente Pauli V.

Fol. 181. *poſt lin.* 2. *adde à capite*:

Rogabis: ſordibus corporalis quomodo obviandum? Reſp. Paſſevinus *de offic. curati cap.* 2. *n.* 34. occurrit, & docet corporale ſordidum fricandum ex ſciſſuris hoſtiarum, quæ nigredinem auferunt, vel interiore parte pànis mollis: & addit, nec eſſe prius, ante ſcilicet frictionem, in ſacrario vel corporale excutiendum, vel ſciſſuras proijciendas. Sed ego contrarium puto, debere ſcilicet micas poſt frictionem in ſacrarium proijci, nec aliter faciendo leve facinus committitur; grave namque id eſſe ex epiſtola Clementis Papæ rel. in cap. *nemo* 40. *de conſecr. dict.* 1. liquet. ubi hæc: *id circo intra ſacrarium à miniſtris præcipimus hæc Sancta cum diligentia cuſtodire*. Quis enim non videt, fragmenta euchariſtica potuiſſe corporali adhærere, & inde micis? porrò, ſi corporale prius lavari debet à Subdiacono ad minus, & aqua immitti in ſacrarium, cur idem non erit faciendum de micis, quibus potuit pulverem Dominici corporis (utor

verbis ipſius Clementis) corporali conglutinatum adhæſiſſe?

Dixi à Subdiacono ad minus, ut pateat, quod ex dicto cap. *nemo* abluere ſacra ad Diaconum ſpectat; bene verum ut docet Quartus *in rubr. miſs. part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 3. *dub.* 6. quod uſus ex convenientia ad Subdiaconum eamdem facultatem extendit, ſicut enim vi muneris poteſt calicem tangere, ita & lintea-mina.

Fol. 200. *lin.* 2. *poſt verba* Sanctæ Sanctiones *adde*. Rurſus quamvis Innoc. IV. in bulla *ſub catholicæ* anno 1254. plura toleraverit Græcis; in hoc punto nihilominus ita reſpondit. *Mulieres autem ſervire ad altare non audeant, ſed ab illius miniſterio repellantur omnino*.

Fol. 203. *poſt num.* 256. *adde*. maximè quia lego apud Borellum *de magiſtratib. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 60. quēdam ſenem Epiſcopum Eugubinum Epiſcopali dignitate privatum fuiſſe, qui ex ignorantia craſſa in monaſterio virginum duas moniales fecerat ſibi ad altare celebranti deſervire.

Fol.

Fol. 206. *poſt num.* 260. *adde*. ex ejusdem textus ratione, cum *indecorum ſit*, inquit, *ut in altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo Unigenitus Dei Filius Æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur*.

Fol. 213. *n.* 27. *poſt verbum* Clemente *adde*, & Urbano.

Fol. 246. *lin.* 14. *poſt verba* amplius tueri *adde*, & noviſſimè Octavius Maria à S. Joſeph. *in opuſc. Interrogationes, & reſponſ. caſ. conſc. interrogat.* 647. ſubſtinet à negativa non eſſe recedendum.

Fol. eodem lin. 19. *poſt verba* in Theologia morali lib. 21. n. 348. *adde*. Joanne Maria Turrino *in director. ſacrificantium par.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 4. verſu *cæterum*, Florentio de Cocq. *de princip. Theol. moral. & ſpeculat. tom.* 3. *tract.* 7. *cap.* 6. *ſect.* 10. *in fine*.

Fol. 253. *lin.* 3. *poſt verba*, & non pigebit *adde*, & ſi curioſitatis gratia modum quo per ablutionem Ethnici præparabantur ad ſacrificia ſcire cupias, percurre Paulum Merula *de ſacrific. Romanorum cap.* 2. *n.* 3.

Fol. 262. *lin.* 10. *poſt verba* cum

illis litare *adde*, & ut pro mea ſentē-
tia nullus remaneat dubitandi locus, afferam verba edicti Romani *die* 20. *Novembris anni* 1691. §. 17. poſt primam hujus opuſculi impreſſionem a me lecti, ita loquentis: *& avvertiranno li Rettori, Sagreſtani, Cappellani &c. ſotto le medeſime pene di non permettere, che alcun Sacerdote celebri con la zazzara finta, o ſia Perucca.*

Fol. 274. *lin.* 13. *poſt verba*, & ſequ. *adde à capite*.

Advertere demum pro coronide hujus quæſtionis non omitto, quod ſi medaliæ, numiſmata, Roſaria, Imagines &c. quibus ſunt addictæ Indulgentiæ ſint notabiliter confracta, vel detrita, illis nō gaudent, ut rectè Dicaſtillo apud Dianam *part.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 10.

Fol. 287. *lin. ultima poſt verba* vices committendo *adde à capite*.

Cohærenter ad prædicta inferes, Clericum primæ tonſuræ eſſe capacem beneficij, cui ſit annexum onus celebrandi miſſas: eo quia electus poterit per alium ſatisfacere oneri, ad quod per ſeipſum non

tene-

tenetur. Antonellus *de Jurib. & Onerib. Clericor. lib.* 1. *par.* 3. *cap.* 29. *n.* 10.

Fol. 311. *lin.* 15. *poſt verbum* notatur *adde* (quamvis Angelus Piſtachius *de ſuperſtit. par.* 2. *cap.* 3. *num.* 23. ex multiplici celebratione ſuſpicionem prædictam non induci ſentiat, & ita etiam firmat praxis hujus Magnæ Curiæ Archiepiſcopalis.)

Fol. 319. *lin.* 12. *poſt verba* prohibitam cenſet §. 9. *adde.* Vide etiam Fantonum *in cærem. Carmelitan. lib.* 2. *rubr.* 55. & Clericatum *de ſacrif. miſſæ decis.* 31. *n.* 36. *& ſequ.* ubi quod S. Ludovicus Francorum Rex tempore ſuæ captivitatis apud Saracenos quotidie miſſam ſiccam sũma devotione audiebat: cujus rei teſtis eſt Wilielmus Carnotenſis dicens in ejusdem Sancti vita: *Totum officium miſſæ abſque Sacramenti conſecratione aſſiduò cum uno presbytero prædicatore, me adiuncto ſibi tunc temporis clerico ſuo, jugiter exolvebat devoto corde.*

Fol. 331. *lin.* 14. *poſt verba* non recedo à dictis *adde à capite.*

illis litare *adde*, & ut pro mea ſentẽtia nullus remaneat dubitandi locus, afferam verba edicti Romani *die* 20. *Novembris anni* 1691. §. 17. poſt primam hujus opuſculi impreſſionem a me lecti, ita loquentis: *& avvertiranno li Rettori, Sagreſtani, Cappellani &c. ſotto le medeſime pene di non permettere, che alcun Sacerdote celebri con la zazzara finta, o ſia Perucca.*

Fol. 274. *lin.* 13. *poſt verba*, & ſequ. *adde à capite.*

Advertere demum pro coronide hujus quæſtionis non omitto, quod ſi medaliæ, numiſmata, Roſaria, Imagines &c. quibus ſunt addictæ Indulgentiæ ſint notabiliter confracta, vel detrita, illis nõ gaudent, ut rectè Dicaſtillo apud Dianam *part.* 11. *tract.* 8. *reſol.* 10.

Fol. 287. *lin. ultima poſt verba* vices committendo *adde à capite.*

Cohærenter ad prædicta inferes, Clericum primæ tonſuræ eſſe capacem beneficij, cui ſit annexum onus celebrandi miſſas: eo quia electus poterit per alium ſatisfacere oneri, ad quod per ſeipſum non

tene-

tenetur. Antonellus *de Jurib. & Onerib. Clericor. lib. 1. par. 3. cap. 29. n. 10.*

Fol. 311. lin. 15. poſt verbum notatur *adde* (quamvis Angelus Piſtachius *de ſuperſtit. par. 2. cap. 3. num. 23.* ex multiplici celebratione ſuſpicionem prædictam non induci ſentiat, & ita etiam firmat praxis hujus Magnæ Curiæ Archiepiſcopalis.)

Fol. 319. lin. 12. poſt verba prohibitam cenſet §. 9. *adde.* Vide etiam Fantonum *in cærem. Carmelitan. lib. 2. rubr. 55.* & Clericatum *de ſacrif. miſſæ decis. 31. n. 36. & ſequ.* ubi quod S. Ludovicus Francorum Rex tempore ſuæ captivitatis apud Saracenos quotidie miſſam ſiccam sũma devotione audiebat : cujus rei teſtis eſt Wilielmus Carnotenſis dicens in ejusdem Sancti vita: *Totum officium miſſæ abſque Sacramenti conſecratione aſſiduò cum uno presbytero prædicatore, me adiunčto ſibi tunc temporis clerico ſuo, jugiter exolvebat devoto corde.*

Fol. 331. lin. 14. poſt verba non recedo à dictis *adde à capite.*

Petes hic. Cur in Nativitate Domini ter celebretur? & à quonam inſtituta trina celebratio? Reſp. A Thelesphoro Papa id ſtatutum eſſe communiter ſentiunt Doctores cum Auctore Gemmæ animæ *lib.* 4. *cap.* 104. Durando *in ration. divin. offic. lib.* 6. *cap.* 13. *n.* 7. Arnaudo Peyronet *in manuali breviar. rom. par.* 2. *cap.* 7. §. 13. nec ſine miſterio: nam id vel fit ad ſignificandas tres Chriſti Nativitates, ſcilicet, æternam à Patre, temporalem à Matre, & ſpiritualem in animabus fidelium. Ita D. Thom. 3. *par. quæſt.* 83. *artic.* 2. *ad* 2. vel ad oſtendendū Jeſum Chriſtum natum pro trino genere perſonarum, ſcilicet, pro hominibus ante legem Moyſis, aut pro illis, qui ſub lege Moyſis, aut denique, qui ſub lege Evangelica: hinc prima miſſa celebratur media nocte; vixerant namque tunc gentes in tenebris; ſecunda in aurora, quia gētes ſub lege Moſayca iam receperant lumen aliquod reſpectu myſteriorum noſtræ religionis; tertia tandem in die, quia poſt Evangelium homines nati ſunt in plenitudine

luminis,

luminis, quo tenebræ omnes diſſipatæ ſunt; legantur citati DD. cum Angelico.

Fol. 336. *lin. fin. poſt verbum* miraculum *adde*. Florentium de Cocq. *de princip. Theol. moral. & ſpecul. tom.* 3. *tract.* 7. *cap.* 6. *ſect.* 1. *in fine f.* 207.

Fol. 346. *lin.* 2. *poſt verbum*, & matrimonio *adde*, & probabile putat Alex. Mynez *in Theol. morali par.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 4. verſu *quod attinet*. Et in quantum ſpectat ad Euchariſtiam, Petrus d'Oultremannus *de Amore increato lib.* 1. *cap.* 4. *ſect.* 6. §. 3. verſu *quid medij* dixit, quod non modo vivorum ſit Sacramentum, verùm etiam mortuorum, hoc eſt eos, quos in peccatis mortalibus reperit, vel ignaros reatus ſui, vel confiteri non valentes, ad vitam gratiæ revocat.

Fol. 354. *lin.* 7. *poſt verba* alicujus ſacri indumenti *adde à capite*.

Quod ſi quæras, an extra Eccleſiam in domo privata ſit celebrandum pro miniſtrando viatico? Reſp. negat Pignatellus *tomo* 3. *conſult.* 39. *n.* 2. id probans tum ex concilio Tridentino prohibente extra Ec-

cleſiam, & oratoria ad divinum cultum dedicata celebrari, tum ex duobus S. Congregationis decretis. Affirmavit ante illum, cum Toleto, Fernandez, Nugno, & Hurtado Paſqualigus *de ſacrific. tom.* 1. *q.*453. *n.* 2. & Diana par. 9. *tract.* 1. *reſol.* 46. §. *non deſeram*. Placet mihi hæc ſecunda ſententia, ut moribundo ſuccurratur conſolatione, quam affert SS. Chriſti Corpus: & ſicuti viatici cauſa poteſt injejunè celebrari, ut dicetur infra *n.* 603. & itē ſecundò celebrari, ut dictum eſt *n.* 402. ita idem dicendum de celebrādo extra locum ſacrum; ſunt enim præcepta eccleſiaſtica, quæ ei viatici cedere oportet. Non obſtat Tridentinum: quoniam loquitur per ſe, non autem in aliquo particulari caſu, nec Decreta S. Congregationis, quæ loquuntur pro licentijs abſolutè concedendis.

Fol. 366. *lin.* 23. *poſt verba* deſtructo eo civitatis *adde*. quod tamen nec concedere videtur Florētius de Cocq. *de princip. Theol. tom.* 3. *tract.* 7. *cap.* 6. *ſect.* 7. §. *debet* fol. 219. per hæc verba: debet inſuper privilegiatus

privi-

privilegio ſuo uti in domo ſuæ ſolitæ habitationis: unde in villa non poſſet ſacellum erigi, uti poteſt ab Epiſcopis, & alijs. hæc ille.

Fol. eodem 366. poſt num. 462. adde à capite.

Petes. An prædictæ procedant etiã pro Procuratoribus S. Marci Venetiarum? Occurrit hoc dubium, eò quia prædicti donati ſunt à Paulo V. anno 1605. privilegio erigendi oratoria ſuis in domibus, eo ipſo quod ad illam dignitatem promoti ſunt, dependenter tamen ab Epiſcopi diœceſani approbatione: cujus diploma refert Clericatus (ſcriptor ſanè doctiſſimus, & varia eruditione perornatus) *de ſacrif. miſſæ Deciſ.* 12. *n.* 59. Hoc ſuppoſito juxta ſupradicta neque poſſe unum oratorium in civitate, & alterum in villa erigi: quamvis enim ſit valdè ſpecioſum Procuratorum Reipublicæ Venetæ privilegium, illud tamen nullam particularem clauſulam continet, ex qua poſſumus aliter conjectare.

Fol. 377. poſt quæſtionem XXIII. adde à capite.

An autem in miſſa, quæ ſine cãtu celebratur in aliena diœceſi coram Epiſcopo, huic deferri debeat liber Evangeliorum deoſculandus, pro ut præſcribitur in Cærem. Epiſc. *lib.* 1. *cap.* 30. ? Negativè reſpondit Sac. Congregatio in una Jadrenſi 13. *Octobris* 1618. apud Pignatellum *tomo* 3. *conſult.* 54. *num.* 4. his verbis. *Epiſcopus in aliena Eccleſia non poteſt ſibi pulvinar, & pannum coloris violacei ſternere, & extra ſuam Diœceſim non competit illi deoſculatio textus Evangelij.*

Quod ſi etiam petes: an liceat Epiſcopo extra Diœceſim deferre caudam? Reſpondeam cum Ventriglia *in praxi tomo* 1. *annot.* 26. *num.* 18. quod ſic; id enim gravitatem redolet, non jurisdictionem; unde inter prohibita Epiſcopis exteris non adnumeratur.

Fol. 384. *lin.* 9. *poſt verba* cap. 6. §. 1. n. 14. *adde*. Sacerdos namque exter celebrans in Eccleſia, illius fit miniſter, & ejusdem ritibus ſe accommodare tenetur, inquit Turrinus *in direct. ſacrificantium par.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 2. verſu *quæres hic*.

Fol.

Fol. 387. *lin.* 6. *poſt verba* contemnenda eſt *adde à capite*.

Poſt hæc ſcripta, & edita incidi in Gabrielem Henao *de ſcientia media* in fine *parergo* 27. *num.* 2705. ubi cantare miſſam in oratorijs privatis, quamvis non reputet præjudicium afferre Parochis, tamen ob novitatem, & indecentiam ſine licentia Ordinarij non licere aſſerit.

Rogabis. An poſſit in oratorio villæ privato exponi SS. Euchariſtia? Reſp. Hic caſus etiam eſt exoticus, & nullum auctorem de illo tractantem invenio. Nihilominus reſpondeo, non poſſe: rationẽ deſumo ex decreto S. Congr. Epiſcop. & Regular. *anni* 1602. 10. *Decembris* apud Nicolium *in floſc. verbo Euchariſtia num.* 23. quo prohibetur Regularibus in ſuis Eccleſijs Sacramẽtum Euchariſtiæ publicè adorandum exponere, niſi ex cauſa publica ab Ordinario approbanda: & ex alio Decreto Sac. Rit. Congregationis *anno* 1628. *die* 26. *Februarij* prohibente id ipſum Regularibus, quando vellent ſolemniter Sacramentum exponere ſine licentia Ordinarij, cujus

decreti

decreti meminit Nicolius *cit.*Ex cauſa item privata id concedit; dummodo SS. Euchariſtia è Tabernaculo non extrahatur, & velata remaneat, ita ut ipſa hoſtia videri non poſſit: juxta quod Decretum, & alia ad id emanata, Panormitana Synodus ſub Illuſtriſſimo de Palafox *par.* 4. *num.* 121. ſanxit, ut pro cauſa privata SS. Euchariſtiam Regulares exponerre poſſent velatam in oſtiolo tabernaculi, aut in pixide velata cum luminibus, & aſſiſtentia. Eamdem prohibitionem urgere Eccleſias ſæcularium ex alio decreto ejusdem S. Congregationis *in Tortonenſi* apud eumdem Nicolium conſtat; & procedere etiam in alijs Eccleſijs quocumque modo exemptis, & non habentibus jurisdictionem in populum declaravit S. C. Epiſc. *in Florentina anno* 1696 teſtatur Monacellus *in formul. tit.* 6. *foron.* 20. *n.* 2. prædictis ergo Sacræ Congregationis oraculis inhærens, iterum reſpondeo non poſſe: quia ſi Eccleſijs ſæcularibus, regularibus, & exemptis id prohibetur ex publica cauſa ſine licentia Epiſcopi, à fortiori id veti-

tum

tum cenſeri debet oratorijs privatis, pro quibus nulla cauſa, nullaque ratio poterit concurrere, quæ animum Epiſcopi moveat ad veniā concedendam: imò nec ex cauſa privata, id poteſt fieri modo ſupradicto, cum Euchariſtia in oratorijs privatis non aſſervetur.

Fol. 391. *lin.* 10. *poſt verba* ſatiſfactionem audire *adde*, & Panormi an. 1660. ita fuit obſervatum juſſu Illuſtriſſimi D. D. Petri Martinez Rubio tunc Archiepiſcopi.

Fol. 397. *n.* 515. *lin.* 5. *poſt verba* editionis latinæ num. 718. *adde*. Fr. Jacobus de Corella *prattica del confeſſionario tract.* 17. *num.* 104.

Fol. 404. *n.* 530. *poſt verba* apud Paſqualigum cit. q. 357. n. 1. *adde* quam opinionem Delgadillus quamvis prius reputaverat ſatis probabilem, poſtea tamen incepiſſe eſſe certam, & indubitatam teſtatur in Epiſtola dedicatoria ſui tractatus *de Euchar. miſter.* verſu *poſterior eſt* eo quia Cardinalis Sandoval Archiepiſcopus Toletanus dicta feria Compluti in Eccleſia SS. Juſti, & Paſtoris publicè communionem ſumpſerat.

Fol.

Fol. eodem num. 531. *poſt verba* miniſtrari minimè poſſe *adde*: & hanc rubricam, & uſum Eccleſiæ Romanæ omnino ſervari jusſit Innoc. XI. fel. rec. in decreto communionis quotidianæ an. 1679. die 12. Febr. quod per extenſum refert Lumbier *ſuper propoſ. damnat. n.* 483. per hæc verba. *curent etiam Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur.* Caveant ergo Illuſtrisſimi D. D. Epiſcopi à Jo. Adamo Weber, qui *in nucleo Juris Epiſcopal. par. 1. ver. Euchariſtia n.* 7. illis favens, aſſerit, poſſe permittere, ut quis Euchariſtiam ſumat quavis die etiam Veneris Sancti, & quavis hora, ſed de hora vide infra *num.* 702.

Fol. 405. *lin. penultima poſt verba* Euſt. à S. Ubaldo de Dei bened. n. 319. *adde.* Turrinum *in director. ſacrificantium par.* 3. *ſect.* 2. *circa fin. verſu dubitatur.*

Fol. 410. *lin.* 7. *poſt verba* Paſqualigus cit. q. 362. n. 5. *adde à capite.*

Ragabis iterum, In miſſa ſolemni Sabbati Sancti an debeat celebrans ad verba. *Et Incarnatus eſt &c.* genuflectere, ſi illa die inciderit

derit feſtum Annunciationis? Reſpondeo negativè, ſed talis cæremonia (quæ in Rubrica Miſſalis XVII. *num.* 3. continetur, ubi in tribus Miſsis Nativitatis, & in die Annunciationis præcipitur ſolemniter celebranti, ut genufleƈtet dum in choro cantantur prædiƈta verba) trãsferenda ad diem, in quo feſtum Annunciationis traslatum celebratur: & ita fuit exequutum Panormi anno 1660. quo feſtum illud incidit feria V. in Cæna Domini juſſu Illuſtriſsimi D. Petri Martinez Rubio f. rec. tunc Archiepiſcopi.

Petes an liceat Sabbato Sanƈto SS. Euchariſtiam miniſtrare? Reſp. Affirmat Caſtaldus *lib.* 3. *ſeƈt.* 8. *cap.* 5. etiam ſi petatur ex devotione, præſertim concurrente Annunciationis feſto. Negat cum Gavanto, & Arnaudo Corſettus *in praxi ſacr. rit. traƈt.* 1. *par.* 2. *cap.* 8. *in addit. n.* 10. quibus addo Macrum *in hierolex. u. communio in princ.* quorum ratio eſt: quia in miſſa illius diei non habetur communio, illa ſcilicet antiphona legi ſolita in omnibus miſsis poſt Sacerdotis Purificationem, quæ antiqui-

tiquitus canebatur in choro dum Euchariſtia fidelibus diſtribuebatur: Unde inferunt; non poſſe communionem fieri, & aliter facere reputat Macri abuſum, ſicuti etiam abuſum cenſet communicare populum poſt miſſam.

Sed ego libenter Caſtaldo adhæreo, quod eſt conforme praxi Panormitanæ Eccleſiæ, ubi intonato hymno angelico *Gloria in excelſis Deo*, miniſtratur omnibus SS. Euchariſtia: ſive petatur devotionis cauſa, ſive ut paſchali præcepto ſatisfiat: non enim video unde id prohibeatur; imo affirmativæ sẽtentiæ favet Rituale Romanũ ſub *tit. Ordo miniſtrandi communionẽ* verſu *cõmunio antẽ*, ubi quandoque ex rationabili cauſa communionẽ fieri poſſe poſt miſſam concedit, dictio autem *poſt* non ſignificat præciſè tempus, quod miſſam ſequitur, ſed habet eamdem ſignificationem, quam dictio *præter* ut interprætatur communis Eccleſiæ uſus, vi cujus etiam ante miſſas Euchariſtia fidelibus miniſtratur: propterea reputo, ex cauſa rationabili miniſtrari poſſe Euchariſtiam Sabbato San-

cto

cto extra miſſam majorem, & ad mentem Ritualis, tum ſi ex devotione, ad quam allicit illius diei magna lætitia, tum ſi ex obligatione, quæ urget ex præcepto paſchali, petatur.

Ad rationem in contrarium facilè reſpondetur: nam non ſequitur ex illa, quod diſpenſatio Euchariſtiæ debeat omitti, ſicuti non ſequitur, quod ubi habetur antiphona *communio* dicta in miſſa, fideles poſſunt communicare; quia in ſenſu etiam Gavanti *in rubr. miſs. par.* 2. *rubr. VI. lit. N.* & Corſetti *tract.* 2. *par.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 2. *n.* 10. Toñellij *in ſac. Euchirid. lib.* 2. *tit.* 10. *rubr.* 6. *num.* 5. & communis in misſis defunctorũ non eſt diſtribuenda communio, & tamen miſſæ defunctorum continent eamdem antiphonam *communio* dictam.

Fol. 421. *lin.* 1. *poſt verbum* collimat *adde*. Rituale Capuccinorum *lib.* 1. *cap.* 7. *in princ.*

Fol. eodem poſt num. 561. *adde à capite*.

Collimat rurſus aſſertio plurium Epiſcoporum, ac plurimorum Theologo-

logorum, quorum judicium requiſivit Vincentius Sorianus, & plena manu congerit in tractatu hiſpanè edito *de Reverentia ſacrificio miſſæ debita par.* 1. *poſt cap. ult. fol.* 96.

Fol. 422. *lin.* 11. *poſt verba* ſcandalum affertur *adde.* Ita Turrinus *in Director. ſacrific. par.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 1. verſu *his poſitis* poſt hæc ſcripta, imo & typis edita lectus.

Fol. 423. *lin.* 3. *poſt verba* ſacro immanentem? *adde à capite.*

At finge (inquit Turrinus *in director. ſacrific. par.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 1. *in fine*) te coram Domino Jeſu, & Majeſtate, & juſta indignatione peccatorum terribili, ſedente in throno eleuatò circumſpecto Angelorum caternis tecum de peccatis mundi, & tuis diſceptante, teque ſupplicem ejus implorare clementiam, hoc tibi finge, & cogita nùm ſpatium duorum quadrantium ad ſatisfaciendum Deo indignato nimis tibi longum videatur?

Fol. 424. *lin.* 7. *poſt verba* ſupra altare detinet *adde.* de quo valdè cõqueritur Alexander Sperellus *in obſervat. pro miſſæ celebrat. cap.* 31.

Fol.

Fol. 436. *poſt verba* erit certiſſimè peccatum mortale *adde à capite*.

Ex quibus inferes cum Quarto, Molina, Verricelli, & Paſqualigo cũ & apud Thomam à S. Maria noviſſimè *in Collettan. Sacram. tom.* 1. *par.* 4: *fol.* 8. *ſect.* 3. *dub.* 3. verſu *quæres* 1. *in fine* quod tum Epiſcopi, tum Prælati Regulares tenentur ſub gravi culpa celeres miſſas in ſubditis corrigere, & extirpare; quippè qui tenentur illorum culpas impedire.

Fol. 442. *lin.* 15. *poſt verba* §. dixi tertio *adde.* præterquam quod poſſet reſponderi, cum Alexio Mynez *in Theo. Mor. par.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 4. *fol.* 94. illud axioma conſilij eſſe nõ præcepti, ut etiam ex divo Antonino ſubſtinet æque. Neotericus, ac doctiſſimus ſcriptor D. Franc. de Perea *in diſſert. Theologica in Antiprobabiliſſimi propugnatores a num.* 89. contra quos, & præſertim adverſus Thyrſi Gonzales diſſertationes; acriter pugnat. Vide etiam eumdem moderaum *a num.* 109. ubi de vero ſenſu prædicti axiomatis.

Fol. 452. *lin. penultima poſt verba* quæ parvitatem etiam excludit

adde

adde præterquam quod nullam dari parvitatẽ materiæ mihi videtur certum ex Rubrica *de defectibus* §. *IX. num.* 1. ubi hæc: *ſi quis non eſt jejunus poſt mediam noctem etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ in quantacumque parva quãtitate, non poteſt communicare, nec celebrare*: quid clarius?

Fol. 468. *lin.* 1. *poſt verba* quæſt. 211. num 4. *adde* Manara *in nocti-bus melancholicis Interrogat.* 30. dicens id licere non ſolum in neceſſitate communicandi infirmum, aut reum ad ultimum ſupplicium ducẽdum, ſed etiam in qualibet neceſſitate celebrandi.

Fol. 515. *lin.* 18. *poſt verba* Sacerdotem miniſtrantem *adde*: imo Epiſcopos poſſe permittere, ut quis Euchariſtiam ſumat quavis hora docet Weber *in nucleo Juris Epiſcop. par.* 1. verbo *Euchariſtia num.* 7.

Fol. eodem num. 702. *in fine poſt verba* ſolet diſtribui *adde*: ſcilicet intra auroram, & meridiem, ut tandem docet Anton. à Spiritu Sancto *conſult.* 18. *a num.* 3. ubi tamen dicit,

cit, affirmativam ſententiam eſſe ſatis probabilem : ſanè quamvis per ſe id liceat, cum nulla lex id vetet; per accidens tamen non licere ex eo patet, quod conſuetudini Eccleſiæ repugnat, & imminenti ſcandalo ſubeſt Manigart *in praxi paſtorali par. 1. cap. 4. de Eucbariſtia in fine*.

Fol. 517. *lin.* 16. *poſt verba* Coton. lib. 2. contr. 5. n. 59. *adde*. Hinc Canonicus D. Petri, & Cardinalis Diaconus miſſæ Papalis nocte Natalis Domini à Sum. Pontifice communicati miſſas non celebrant teſte Diana *tom.* 2. *tract.* 1. *reſul.* 96. apud Thomam à S. Maria *tom.* 1. *fol.* 367. verſu *notandum*.

Fol. 521. *num.* 713. *poſt verba* ſcio in caſu *adde*: etiam ſi laicus ſit ultimo ſupplicio addictus. Quintanadueñas quem citatum ſequitur Hiacynthus Manara *in noctib. melanchol. interrogat.* 38. ubi ſubdit, cuſtodem non teneri Reo manus ſolvere, ut ſibimet miniſtrare poſſit, ob periculum fugæ : at ego alio etiam ducor motivo, quia ſcilicet è manu cuſtodis juxta ſequentē quæ-

ſtionem

ſtionem viatico refici poteſt.

Fol. 523. *lin.* 23. *poſt verba* præſumere debebant *adde*, & præ oculis doctrinam Catonij *lib.* 4. *contr.* 8. *num.* 18. habere debebant, quod ſcilicet, quo ad viaticum Parochi ratihabitio ſemper præſumi poteſt, quando ille, vel ejus conſenſus expectari non poteſt.

Fol. 524. *poſt quæſtionem XVI. adde à capite.*

Rogabis rurſus: Regulares ſine Parochi licentia miniſtrantes Sacramentum Euchariſtiæ Clericis, aut Laicis quas pœnas incurrant? Reſp. Peccare non ſolum mortaliter, ſed ipſo facto in excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam incidere rectè docet Tho. à S. Maria *in collect. ſacr. tom.* 1. *par.* 4. *ſelect.* 6. *dub.* 1. verſu *quæres* 1. Excommunicatio autem hæc continetur in Clem. *Religioſis de privileg.* (ex qua idem dicas de miniſtrantibus extremã unctionem, & Matrimonium) quæ Clementina SanctioRegulares in hoc delinquentes Ordinariorum jurisditioni ſubijcit quacunq; exemptione nõ obſtante: unde ſequitur, quod poſſunt

ſunt ab Ordinarijs per cedulones de-
ſarari excõmunicati, ut ſæpè declaravit S. C. apud Monacellum *in formulario tit. 6. form. 20. num. 16.* qui etiam refert novisſimè S. Congregationem *anno* 1700. *die* 5. *Junij in Neapolitana* declaraſſe validas cenſuras publicatas ab Archiepiſcopo Neapolitano contra Monachum Mõtis Oliveti, qui abſque Parochi licentia extremam unctionem cuidam inhabitanti intra ſepta monaſterij miniſtraverat.

Prædicta autem concluſio etiam extenditur ad advenas, qui in conventibus regularium infirmantur, quoniam illis non poſſunt Regulares abſq. licentia Epiſcopi, vel Parochi adminiſtrare Sacramenta: imo ſi decedant, nec eos ſepelire in eorũ Eccleſijs. Matthæucius *de Curia regulari cap. 29. n.* 20 ex decreto ſacræ Congregationis in Monopolitana 27. Septembris 1670. quod ego authenticum vidi.

101 1465 m

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] Google